UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

urn:nbn:de:hbz:466:1-83620

Visual Library

Th. 889a

C. IX. 8

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr.

JOANNIS LAURENTII BERTI,

Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI,

DE

THEOLOGICIS DISCIPLINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr.

JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS;

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM SANE PRÆSTANTISSIMUM,
PRIMO OCTO TOMIS EDITUM ROMÆ,
QUIBUS NOVISSIME ACCESSERUNT DUO TOMI, COMPREHENDENTES AUGUSTINIANUM SYSTEMA DE GRATIA, AB INIQUA BAIANI, ET JANSENIANI ERRORIS INSIMULATIONE VINDICATUM:
JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM,
NEC NON NUMERIS, ET NOTIS MARGINALIBUS, AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS I.
De Existentia, & Proprietatibus, seu Attributis Unius Dei, de Scientia & Voluntate Dei, item de Visione beatifica, & Prædestinatione.

TOMUS II.
De Summa Trinitate, de Angelis, de rerum corporearum productione, ac de primo homine

TOMUS III.
De Originali peccato, de Hæresibus adversus liberum arbitrium, & gratiam, atque de ipsa gratia Reparatoris.

TOMUS IV.
De Legum Præscriptionibus, humanorúmque Officiorum Præceptis.

TOMUS V.
In quo agitur de Verbo facto Homine, & de mirabili humanæ Reparationis Oeconomia.

TOMUS VI.
Qui de Sacramentis in genere, ac de Baptismo præcipuas dissertationes complectitur.

TOMUS VII.
In quo plura tráduntur, quæ ad Confirmationis, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ pertinent sacramenta.

TOMUS VIII.
In quo de Sacramentali Confessione, & Satisfactione, nec non de reliquis Sacramentis disseritur ac pertractatur.

TOMUS IX.
In quo refellitur criminatio de Bajanismo, Sententiæ Augustinianæ male impacta.

TOMUS X.
In quo Jansenianæ hæreseos calumnia pariter Augustiniano dogmati intentata retunditur.

Collegii Societatis Jesu Paderbornæ

TOMUS I.

1757

Editio prima in Germania respondens Romanæ Multum Auctior & Correctior
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Monachii & Pedeponti, Vulgô Stadt am Hoff.
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
ANNO MDCCL.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA
HISTORICO-
DOGMATICO-SCHOLASTICA
SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS,
OPUS
CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANE PRÆSTANTISSIMUM,
PRIMO OCTO TOMIS EDITUM ROMÆ,
QUIBUS NOVISSIME ACCESSERUNT DUO TOMI, COMPLECTENTES AUGUSTINIANUM SYSTEMA DE GRATIA, AD MENTEM BAIANI, ET JANSENIANI ERRORIS INSIMULATIONE VINDICATUM.
JUXTA AD CALCEM OPERIS CAPUT SUMMARIO ALPHABETICO NECNON NUMERIS, SEU NOTIS MARGINALIBUS, AC INTEGRA CURA SUBSIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS I.

CELSISSIMUS AC REVERENDISSIMUS S.R.I. PRINCEPS AC DOMINUS DOMIN.
ANDREAS IACOBUS ARCHI EPISCOPUS SALISBURGENSIS S. SEDIS
APOSTOLICÆ LEGATUS NATUS GERMANIÆ PRIMAS etc. etc. S.R.I.
COMES DE DIETRICHSTEIN etc. etc.

Jos. Ant. Schmidt. Cath. fc. A.V.



CELSISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
ANDREÆ
JACOBO,
S. R. I. PRINCIPI
ET
ARCHI-EPISCOPO
SALISBURGENSI,
SACRÆ SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATO NATO, GERMANIÆ
PRIMATI, &c. &c.
EX ILLUSTRISSIMA ET ANTIQUISSIMA PROSAPIA
S. R. I. COMITUM
DE
DIETRICHSTEIN,
DOMINO DOMINO PRINCIPI
CLEMENTISSIMO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

ANDREÆ

JACOBO,

S. R. I. PRINCIPI

ET

ARCHI-EPISCOPO

SALISBURGENSI,

SACRÆ SEDIS APOSTOLICÆ

LEGATO NATO, GERMANIÆ

PRIMATI, &c. &c.

EX ILLUSTRISSIMA ET ANTIQUISSIMA PROSAPIA

S. R. I. COMITUM

DE

DIETRICHSTEIN,

DOMINO DOMINO PRINCIPI

CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME ac CELSISSIME
S. R. I.
PRINCEPS
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.

NOminis TUI, gratiæ, virtutisque fama non finitimos duntaxat sed vel longe remotos blande pervadit. Fama, inquam, non sexcentis, non

mille linguis, Reverendiſsime S. R. I. Princeps ſed uno omnium ore illud præclarum atque magnificum cantans, quod cantari de Principe maximum poteſt, *BONITATEM.*

Eſt profecto Princeps velut quidam in terra DEUS. DEUS autem non alio magis indicio mortalium animis illabitur atque indicatur, quam ſummæ bonitatis.

Neque vero patiuntur omnes TUI ignorare nos vicinos & exteros Bonitatis TUÆ, CLEMENTISSIME PRINCEPS, imaginem. Quam dulce eſt per TUAM ditionem agentibus iter, aut cum quovis TIBI ſubditorum miſcentibus ſermonem, illico audire ſponte prolata, nec requiſita quidem illa verba nemini non Principum exoptanda: *BONUM DOMINUM HABEMUS.* Hic nobis (ita pergunt) primum onera laxat ea charitate, ut ipſe ſacris ſuis illa imponere humeris videatur. Hic neminem à ſe triſtem dimittit; triſtior ipſe, cum quid concedere nequit, quam is cui negabatur; quia neque negat cuiquam, ſed pro conditione tantum

huma-

humana dare omnibus omnia nequit. Hic, ajunt, non, dum quæratur, expectat; sed ipse quærit, ipse vocat, quibus bene faciat nec opinantibus: velut huic uni studio se dederet, ut rationes clientum omnes perdius ac pernox in numerum vocat. Solis instar, qui ipse quærit, oriendoque detegit, quos calore confoveat. Hic est, conclamant denique, cujus vel obtutu felici, vel recordatione pia, vel nomine saltem intellecto fugit ab animis nostris memoria difficilium temporum, quibus pulsati fatali rerum ordine ingemuimus.

Has esse TUORUM voces, *CLEMENTISSIME PRINCEPS*, nemo ignorat, qui vel à longe ditionem TUAM salutaverit. Quod cum mihi Clementiâ *Tuâ* non semel contingat, patere, *PRINCEPS MITISSIME, TUORUM* festivis salutationibus & mea vota subjungi, quæ Theologico hoc insigni opere testata facio, sacrisque pedibus substerno. Ceterum DEum optimum maximum ex imo pectore precor, uti *TIBI* annos plurimos atque integerrimos, *TE-*

)( )(*QUE*

QUE genti TUÆ ac mihi Servo TUO infimo quam diutissime concedat.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus interſis populo Juvavi
Neve TE *noſtris vitiis iniquum*
Ocyor aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps. *.

Dabam Monachii
An. 1750.

Reverendiſſimæ
Celſitudinis Tuæ

* Horat. Carm. Lib. I. Od. II. ad Auguſtum.

Servus Subjectiſſimus

JOANNES GASTEL,
Bibliopola Monacenſis.

AUCTORIS AD AUGUSTINENSES Theologicis Disciplinis Formandos ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.

Mirari vos credo, Juvenes ornatissimi, unde sit, quod præ cæteris Studiorum nostrorum Moderatoribus, qui & ingenii acumine, & delectu orationis, & humanarum divinarumque rerum cognitione præpollent, ego potissimum Theologicas Disciplinas nova quadam methodo exornatas ante conspectum vestrum exhibeam, hac præsertim ætate ob literarum cultum splendoremque vere aurea, in tanta optimorum librorum copia, ex amplissima autem MAGNI AUGUSTINI familia, in qua & omnium minimum me esse cognosco, & innumeros plane video huic implendo muneri idoneos, necnon doctrinæ laude nominisque celebritate clarissimos. Quamquam vero mihi videor hujusmodi cogitationibus vestris plenissime satisfacturus, si dixero me ad scribendum supremi Antistitis, NICOLAI ANTONII SCHIAFFINATI olim Neapolitanæ S. Joannis Congregationis, nunc universi Ordinis vigilantissimi Præsulis auctoritate fuisse compulsum; quod nullus æquus æstimator reprehendet in homine vinculis juramentorum obstricto: credo tamen ideo vigilantissimum Præsulem in me animum convertisse, quod viri exercitatissimi opus aut minus elaboratum, aut brevi absolutum nunquam prodire paterentur in lucem, vel prima fortassis divinarum scientiarum rudimenta publici juris facere minime dignarentur, sublimioribus studiis addicti, moliendisque duntaxat summæ eruditionis voluminibus. Cum itaque temporum angustiæ cogerent, atque ageretur tantum de Tironibus erudiendis, neque essent opuscula ista Eruditorum manu terenda; scribendi onus impositum mihi est, obscuro scilicet homini, cujus fama periclitari non posset, eo forte consilio, ut his additis incitamentis viri illi doctissimi ac celeberrimi perpolitum aliud Theologicum Opus aggrederentur, quod nullatenus morosi Critici fastidirent, atque cum uberiori proventu repeterent Candidati. Neque ab instituto deterrere nos potuit mag-

na illa multitudo Scriptorum, qui de rebus Theologicis accurate, ornateque diſſeruerunt: quippe non omnia, quæ conſcribuntur in manus incidunt ſingulorum; & perutile eſt de eisdem quæſtionibus plures à pluribus libros perfici, quibus, ſi fieri poteſt, etiam ad negligentiores veritas aliquando perveniat, quemadmodum initio magni Operis de Trinitate, & in libro de unico adverſus Petilianum Baptiſmate ſcite beatiſſimus Auguſtinus admonuit. Urget præterea, torporemque noſtrum vehementer excitat numerus ille Scriptorum, ex quo & ſententiæ complures ſpargi cœperunt adverſus inſtituta Majorum, & plura exorta fuerunt quæſtionum genera, quæ veteres prætermiſerunt Scholaſtici, nunc autem dedecus eſt ignorari. Quæ cum ita ſint, non abs re factum puto, ſi Theologicas Diſciplinas ex Antiquorum placitis, ſtudiisque Recentiorum complexus fuero, in quibus nova ſimul ac vetera proferantur; omniaque ad certa principia, duce præſertim & facem præferente Auguſtino, quantum poterit imbecillitas ingenii mei, revocavero. Aequo igitur animo labore hoc noſtro, Juvenes, unuſquiſque veſtrum fruatur: navate operam Theologiæ; id vero quanta animi voluptate, & qua ratione facere debeatis, quantum denique, ſi feceritis, gloriæ decoriſque poſſit vobis ipſis accedere, non rhetoricorum pompa verborum, ſed hortatoria dicturus ſum oratione.

Non illam vobis propono, Auguſtinianæ Doctrinæ Cultores, percipiendam voluptatem, quæ in omni ſenſu implicata penitus inſidet, & majores partes animi à virtute detorquet, ſive quam malorum eſcam Plato appellabat, Tullius vero decoris labem; atque illecebram turpitudinis; ſed quæ interiorem hominem, mentem ſcilicet rationalem honeſtiſſima ſuavitate perfundit, & maximum habet cum virtute commercium; explet autem inſatiabilem in cognoſcendis rebus ardorem, animumque incommutabili bono conglutinat. Iſtud quidem manifeſta veritatis contemplatione, atque indiſſolubili perpetuoque nexu in cæleſti Jeruſalem poſſidendum, multimodis nos allicit ac demulcet: at nulla eſt in hac mortalium peregrinatione, ſi una excipiatur Theologia, tam excellens facultas, cujus ope humana ratio luce divina illuſtretur, & conſortium quodammodo habeat ſupernæ felicitatis. Memineritis, opinor, quanta inviti etiam ac reluctantes legeritis ſub ferula Grammaticorum poetarum figmenta; nec prorſus ignoratis quam anceps ſit, contentioſa, & per anfractus diſcurrens ſcientia illa, cui noviſſimam dediſtis operam, nimirum Phyſiologia. Proh quanta animi ægritudine in literarium ludum urgebamini adoleſcentuli, memoriæ mandantes plenum armatis equum, incendium Ilii, errores Aeneæ, amorem Didonis, Creuſæ umbras, atque fabellas hujusmodi plurimas; de quibus legentes mœrentem fletum, ac verba Auguſtini, (*conf.* 1. *cap.* 17.) Ita ne aliud non erat, ubi exerceretur ingenium meum? optime percipietis quale vos traxerit aſperſum

felle

felle atque amariſſimum blandimentum. Poſteaquam vero acceſſiſtis ad Philoſophicas Inſtitutiones, ut mittam barbariſmos latinitatis, & torquentes ingenia complexiones technaſque Dialecticorum, quæ neque nos, veluti teſta odorem quo recens imbuta eſt, provecta jam ætate abjecimus; quid vobis, quæſo, aut certitudinis, aut jucunditatis attulerunt Categoriæ Ariſtotelis, Platonicorum archetypi, Epicuri atomi, Carteſii elementa, atque alia complura, ſcitu quidem aliquo modo neceſſaria, ſed innumerabilibus controverſiarum ambagibus implicata? Nunc autem his omnibus ad naturæ opera inveſtiganda improbo labore comparatis, en vobis profero incommutabilem veritatem, Deum Unum, Deum Trinum, Deum Conditorem univerſorum, Deum Largitorem gratiarum omnium, Deum humani generis Reparatorem, Deum, inquam, Deum, in quo bonitatis ac ſapientiæ theſauri inveniuntur abſconditi. Profecto ſi ratione, atque experimento comprobatas ſcientias cæteris præferendas eſſe jure meritoque arbitramur, quemadmodum Mathematicas firmis innixas definitionibus, exploratiſque theorematibus, anteponimus Phyſicis, ac logicis Inſtitutionibus, quarum illæ circa ſenſuum miniſteria verſantur, hæ autem circa humanæ mentis idola; longe ſupra cæteras ſe extollunt Theologicæ meditationes, quibus non traduntur Græcorum Philoſophorum inventa, non corporum generationes, non pugnæ elementorum, non ſenſibilium facultatum officia, non quantitatis proprietates ac dimenſiones; ſed myſteria gentibus abſcondita, impervia ſenſibus, immutabilia, ſpiritualia, divina; eaque Prophetarum vaticiniis, revelatione Spiritus ſancti, ſtatutis Eccleſiæ, teſtimoniis Patrum, & certitudine miraculorum apertiſſime confirmata. Quamobrem nullam ex univerſis naturalibus humaniſque ſcientiis, quantam ex una Theologia, poteſt rationalis homo percipere voluptatem, ſive res ipſa ſpectetur, & inconcuſſa atque exploratiſſima veritas, ſive præceptionum, aut locorum, unde argumenta deducuntur, perſpicui fontes, ac regula ſtabilis & immutabilis. Neque vero ſpiritualium æternorumque bonorum ubertatem & copiam oſtendunt Theologicæ diſquiſitiones ad excitandum inutile deſiderium, & quaſi ad animum excruciandum. Sit hæc miſerrima aliarum ſcientiarum conditio, ad ea, quæ conſequi non poſſumus cupiditatem accendere, aut de iis, quæ ſi adipiſcamur, deteriores efficimur, laborioſa exercitatione differere. Perpauci enim minimam partem aſſequuntur bonorum, quæ in rerum creatarum complexu à natura miniſtrari demonſtrat Philoſophia; omneſque econtra temporum viciſſitudini ſubjiciuntur, & properant ad interitum, humana duntaxat inveſtigantibus teterrimum & miſerandum. Verum Theologi in Deum, qui ſimul & via & veritas & vita eſt, animum intendentes non ſolum ubi perennis felicitas ſita ſit non ignorant; verum etiam planiſſimum rectiſſimumque, quod arripiant iter agnoſcunt, diſcernentes a ſuperſtitione religionem, ab hæreſi fidem, à

Satanæ conventu Ecclesiam Catholicam, à mercenariis pastores, à morum corruptelis regulas probitatis; ut non possint, nisi summa pervicacia reddantur rebelles lumini; extremam subire calamitatem. Itaque, lectissimi Adolescentes, cum nihil tam honestum ac sanctum, tam gratum ac perjucundum in hac mundanarum rerum varietate possit excogitari, quam accedere ad beatissimam illam vitam, quæ in contemplatione consistit; bene ac sapienter exclamabat in commendationem sacræ doctrinæ eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus, (*Epist.* 155.) Quid hac voluptate jucundius, qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, & in abdita ejus intrare, & sensum Creatoris inspicere, & sermones Domini, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali? Cedat, cedat Theologicis contemplationibus consideratio naturæ, quam Cicero dixit animorum ingeniorumque pabulum: cedat inspectio astrorum, cui deditus Ptolomæus putabat se pedibus contingere sidera, atque attolli ad consortium Deorum: cedat conviviorum apparatus, cedat divitiarum opulentia, cedat corporum forma, valetudo, & integritas, cedat honoris splendor, decorisque amplitudo: cedant denique quæcunque alia tam animi, quam corporis oblectamenta.

Sed audio quosdam hactenus dictis repugnantes in me verba contorquere, propterea quod nullus Scholasticis honor soleat ætate hac nostra deferri, ipsaque Theologica studia permultis adeo videantur aspera, ut quæ tædio affecti compendiosis notis, sparsisque lacunis dictante Magistro scriptitarunt, ea blattæ tineæque corrodant. Hos paullulum aloquar, opus est. Ergone ex ipso veritatis fonte, quem vobis attingere singulari Numinis providentia datum erat, ad cisternas dissipatas, quæ salubres aquas continere non valent, atque à sacrarum literarum consortio, vel ad temporalium rerum administrationem, vel ad vitam otio & languore torpentem, tandèm animum convertistis? Ergone fuit literarii certaminis vestri meta commodiorem agere vitam, præesse cæteris, laureæ ornamenta capessere, & ampliori nomine celebrari, ita ut post tam miseram compensationem virtutis, unusquisque vestrum, quasi accepto bravio, stadium percurrere in posterum detrectaret? At non ista me hercle sunt, de quibus Præco divinus inclamat, Currite ut comprehendatis Nam qui habitat inaccessibilem lucem, ipse requirentibus veritatem merces est, nec aliis, nisi iis, qui fuerint mundi corde, & humiles spiritu, repromissa. Accepimus, spectatissimi Adolescentes, cur isti queruli supernarum veritatum jucunditatem minime degustaverint; ideo nempe, quia superbia tumidi, noxiisque irretiti cupiditatibus, non ipsam sapientiam revera meditarentur, sed res illas mortalium, in quarum affluentia deprehendit Ecclesiastes vanitatem, & spiritus afflictionem. Atque hoc erat, de quo initio orationis vos commonefaciendos esse putavi, quando me demonstratu-

straturum dixi, qua ratione danda sit opera Theologicis Disciplinis. Quum etenim harum notitia melior sit cunctis pretiosissimis, neque omne desiderabile possit ei comparari; profecto turpe est disciplinas ipsas postponere humanæ vitæ solicitudini; magis turpe illas temporis progressu deserere; turpissimum vero non incommutabilis veritatis, sed quæstus vel ambitionis caussa easdem appetere. Rectissimum propterea, quisquis ad Theologiam accedit, sibi finem proponat: inquirat cælestia: terrena contemnat: ad fores sapientiæ quotidie vigilet, neque abjiciat eam, cum invenerit. Quotidianæ lectioni preces præmittat: Deo, quidquid didicerit, gratias referat: caveat ne scientia absque charitate animum inflando ipsum reddat insipientibus deteriorem. Hoc erga Auctorem omnium servato fine, modum etiam in cæteris teneat: præscriptam a Præceptore methodum non immutet: disputationibus assiduus interfit: fugiat rixandi libidinem, & puerilem ostentationem decipiendi adversarium. In usu facultatum, quas sibi sedulo comparavit, tale studeat servare temperamentum, ut eloquentiam non affectet, vitet tamen orationis barbariem: utatur logicis potius ac metaphysicis institutionibus, quam traditis in Scientia naturæ: argumentationes autem neque sophistice perstringat, neque rhetorice exornet. Animadvertat præterea magno sibi futuras esse adjumento Hebraicas Græcasque literas, quarum notitia planior redditur Scripturæ sensus, refellitur Judæorum pervicacia, detegitur hæreticorum calliditas, percipiuntur Veterum dogmata, & controversiæ innumeræ dirimuntur. Interdum quippe pendet ab una dictione quæstio universa; quemadmodum, ut ex multis producam exemplum aliquod, interpretatio vocabuli *Siloh* demonstrat an ad Messiam spectet Jacobi vaticinium, *Alma* an Virgo sine maritali complexu peperit, *Emmanuel* an sit una in Christo persona: sæpenumero aut suffixum, aut punctum, aut litera pædagogica omnem tollit dubitationem, ut contingit in hujusmodi disputationibus, An primus homo fuerit sepultus in Hebron, an Diabolus verum serpentem assumpserit, an Messiæ pedes ac manus fuerint transfigendæ: frequenter uno Græcorum articulo explodimus cavillationes hæreticorum, pugnantes præsertim pro Verbi divinitate, & pro subsistentia Spiritus sancti. Impossibile est etiam, ut antiquas hæreses insectemur, nisi perdiscamus quid sit Omoousion, quid Hypostasis, quid Theotoxos, ut prætermittam alia vocabula Græcorum quamplurima: imo qui cum Latinis tantum versabitur, etiam nomina sacrorum librorum ignorabit, Geneseos, Exodi, Deuteronomii, Paralipomenon, Evangelii, Apocalypsis; quid plura? ipsius, quam tradimus Theologiæ, & scientiarum reliquarum etymologiam, nominisque rationem. Igitur perutilem esse Theologo utriusque linguæ notitiam nemo jure negabit. Idem de Ecclesiastica Historia judicium ferendum est, nisi hanc magis etiam necessariam æstimare velimus: historiâ enim, paucis exceptis parabolis, vetus Testamentum comprehenditur: histo-

riam vitæ, ac mortis reparatoris noſtri enarrant Evangeliſtæ: ex hiſtoria Religionis Chriſtianæ dignoſcitur inſtitutio & progreſſus: hiſtoriæ commemorant profligatas hæreſes, & confirmatas Majorum traditiones in Synodis Oecumenicis: in hiſtoria demum recondita ſunt omnia fidei noſtræ præclariſſima monimenta. At quoniam hiſtoriam univerſam memoriæ mandare eſt impoſſibile, neque tempus ſupereſt ſtatutis ſtudiorum veſtrorum annis pervolutandi Euſebium, Socratem, Theodoretum, Evagrium, Baronium, alioſque in hoc argumento percelebres; conſcriptis induſtria veſtra breviſſimis catalogis, quorum unus enumeret ſacros libros eorumque argumenta, alter ſupputet per Epochas ſæcula, tertius tradat ſeriem Romanorum Pontificum, quartus celebriorum Conciliorum, quintus ſanctorum Patrum, poſtremus Hæreticorum, qui ad hanc uſque ætatem vexarunt Eccleſiam, aliquam ſaltem ſacræ Hiſtoriæ Epitomen perlegere minime negligatis. Sint vobis uſui pro conficiendis catalogis accurati recentiores, Petavius, Pagius, Scheleſtratus, aliique complures, non quidem ſinguli, ſed unus, aut alter: atque Hiſtoriæ compendium eligite, quale olim ad quartum uſque ſæculum protraxit Severus Sulpitius, ac poſtea ad ætatem noſtram Boſſuetius. Interim compilatas ab Heterodoxis Hiſtorias, in quibus latet anguis in herba, prorſus abjicite; etiamſi audiatis non abſque laude celebrari Centuriatores, Baſnagium, Clericum, Uſſerium, Caveum, & cæteros hujus furfuris: hos omnes diſciplinis jam imbuti tanquam hoſtes adite, expugnate, refellite, extrahite ex ipſis viſceribus viperarum adverſus venena medicamentum. Præter hæc univerſim dicta, ut palam fiat quam ſolemniter mentiatur Antonius Charlas, dum in ſua Paræneſi de omnibus ſacrorum Virorum Ordinibus auſus eſt indiſcriminatim pronuntiare, quod Theologia in Monaſteriis tradita longe ab eruditione Eccleſiaſtica diſtare ſolet, multique Theologiæ Profeſſores ſe in Eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudio peregrinos monſtrarunt; vos ſaltem, Adoleſcentes optimi, in ſingulis fidei controverſiis expendite priori loco ſacras literas additis Catholicorum interpretationibus, conſulite traditiones Apoſtolicas, exquirite Eccleſiæ definitiones, examinate teſtimonia Patrum, attendite verborum omnium ſcopum ac ſenſum, probate communes Theologorum aſſertiones: atque hæc veſtra propugnacula ſint; non mentis figmenta, non fallaciarum ſtructura, non jejuna, vel ſpinoſa ratiocinatio. Pugnantia Scholarum placita verſate cum ingenii moderatione: parum vos exerceant Veterum quodlibeta: ſive Ariſtoteles dixerit, ſive Socrates, ſive Plato, vera tantum probate: ante Interpretum Commentaria ſcrutamini textus Auctorum, ſæpenumero magis, quam ſint aliorum Interpretamenta, perſpicuos. Hæc vobis monita præſcribo; reliqua vos uſus, atque experimntum docebit.

Dummodo ſtudia veſtra his præceptionibus dirigantur, firmiſ-

ſimam

simam habeo spem, fore ut aliquando consequamini ampliora Ordinis munera, Ecclesiasticas dignitates, atque in literaria Republica nomen honestissimum & celeberrimum. Convertite, quæso, oculos in peristylii, gymnasiique parietes, & paullulum contemplamini pictas Majorum imagines, necnon ea, quæ iis apposuit Curtius, aut Pamphilus, Epigrammata. Refert hæc tabula Romanum Aegidium Bituricensium Antistitem, quo post Augustinum neminem plura, neminem accuratius scripsisse affirmat Sabellicus, ac tantæ auctoritatis & doctrinæ virum, ut illum adhuc viventem Generalia Comitia Florentiæ habita Scholarum nostrarum Ducem elegerint. Proximus est Gregorius Ariminensis, quem nullus veterum Scholasticorum in Augustini lectione superavit, ut recte Norisius, Macedo, Deschampsius, aliique plurimi contestantur. Exhibent tabulæ reliquæ Thomam de Argentina, Gerardum Senensem, Paulum Venetum, & Scholasticos alios innumeros, quorum scripta dignis, plenisque laudibus celebrantur. Inter istos vero illi maxime, qui ad exercitationes Scholasticas addiderunt peritiam linguarum, eloquentiam, historiam, ac multiplicem eruditionem, non solum inter Nostrates, verum etiam inter viros cujuscunque Ordinis celebriores laudibus splendidissimis cohonestantur. Quis enim non congerit laudes omnes in Onuphrium Panvinium, quem alii helluonem Antiquitatis, alii Fastorum Conditorem, alii Romanæ & Ecclesiasticæ Historiæ Patrem appellant? Quis amplissimis præconiis non exornat Aegidium Canisium decus Purpuratorum Patrum singulare, à Jovio, Sadoleto, Bembo ob poesim, solutamque orationem maroni ac Tullio comparatum, declaratumque publicis Leonis Decimi testimoniis hominem egregium atque digniſſimum? Quis gloria & prædicatione non effert Hieronymum Seripandum Cardinalem amplissimum, ac in Tridentino Concilio Apostolicæ Sedis Legatum; qui, ut Donius scribit, linguæ Græcæ & Hebraicæ, ac divinarum, humanarumque scientiarum cognitione ad miraculum imbutus in se omnium admirationem convertit? Quis ad sidera usque non extollit inclytum & percelebre nomen Henrici Cardinalis de Noris, Augustinianorum librorum Vindicis strenuissimi, suorum obtrectatorum invicti debellatoris, reconditarum Historiarum Scriptoris accuratissimi, & posteriorum Chronologorum omnium Ducis ac Principis? Christianum etiam Lupum ob Moralium doctrinarum gravitatem ac pondus, ob illustratos sacrorum Conciliorum Canones, ob historicarum Dissertationum copiam atque præstantiam quis non laudat, non prædicat, non commendat? Hi quidem, & qui brevitatis gratia prætermittuntur silentio, tantam adepti sunt gloriæ Lucem atque amplitudinem, eoquod Scholasticam Theologiam bonarum artium societate honestarunt, peregrinas linguas excoluerunt, lustrarunt vetera monumenta, rudera quoque confractosque lapides pervolutarunt. Fateor non omnes tali ingenio ac fortuna præditos esse, ut possint ad horum doctri-

nam & decora, adhibito etiam omni conatu, pertingere: ſed qui parem ipſis dignitatem non aſſequetur, aliquam ſaltem, nec mediocrem reportabit; ſi nullam prorſus arripiet, ſatis illi glorioſum erit promeruiſſe: ſi nec promeruerit, honeſtum valde atque decorum curam omnem & diligentiam ad promerendum locaſſe. Monui quippe, atque iterum moneo, non eſſe ſolam hominum exiſtimationem, & cumulatam honoribus famam ſapientiæ virtutiſque mercedem: ſapientia ipſa ſuimet corona eſt, & ſcientiarum omnium, quæ ſunt participationes veritatis æternæ, ipſa veritas præmium ac retributio. Porro hæc merces rependitur iis omnibus, qui bene utuntur diſtributis à Deo talentis, ſive decem, ſive quinque, ſive duo tantum acceperint; illique ſoli remuneratione fruſtrantur, qui unum ſibi collatum tenent pigritia atque inertia reconditum in ſudario. Fruuntur ſupernæ veritatis luce ex magni Auguſtini diſcipulis, non tantum Proſper hæreſis Semipelagianæ devictor, Fulgentius Propugnator divinæ gratiæ, & profligator Arianorum, Thomas Præſulum & Concionatorum Exemplar, alliique inter Divos relati, & literis æque ac ſanctitate conſpicui; verum etiam permulti ex ordine illorum, qui ad cathedras regendas inepti è Schola exierunt inſtructi ſaltem, ac parati ad reliqua Religioſæ vitæ exercitia. Verum in tanta ſanctorum Virorum multitudine nullus prorſus poterit connumerari, qui Superiorum nutu inter ſtudentes cooptatus propter pigritiam aut ignaviam ſacrarum diſciplinarum ſtudia neglexerit. Quæ cum ita ſint, vos ſpectatæ indolis Juvenes oro, atque obteſtor, ut ſi quis vobis ineſt felicitatis amor, ſi quis ſcientiæ ardor, ac ſtimulus honeſtatis; in Theologicas veritates omnem ingenii facultatem intendatis, additoque ſacræ eruditionis ornatu exhibeatis vos dignos Auguſtini diſcipulos, athletas fidei, Evangelii miniſtros, atque hoſtes acerrimos hæreticorum. Ad hanc rem libros iſtos conſcribere juſſus cauſa duntaxat veſtræ utilitatis ſuperavi metum conſequentis laboris; voſque demiſſe precor, ut fraterna charitate quicquid vobis profero excipiatis: ſi quid erit perutile, Deo primum, deinde Auguſtino referatis acceptum; errores autem mihi illorum auctori æquo animo condonetis. Ad te denique ſupplex accedo, Pater ac Magiſter omnium optime, Aureli Augustine, pro me, hiſque adoleſcentibus ſacra doctrina imbuendis patrocinium tuum enixe deprecaturus. Te optimum Fidei Magiſtrum, Legis Oraculum, Eccleſiæ auctoritatem ac Ducem, ſplendidiſſimum ſcientiæ ſolem, munitiorem contra hæreticos partem, Doctorum omnium ſuſtentaculum, Pontifices, Patres, Theologi, univerſi demum fideles proclamant. A Te profligatas quaſcunque hæreſes, productas in lucem veritates fidei Catholicæ, firmiſque & invictis rationibus ſolidatas, declarant Conſtitutiones Romanorum Pontificum, definiunt Oecumenicæ Synodi, teſtantur totius orbis Epiſcopi. Verbis præſertim tuis Sententiarum libri, in quos tot Scholaſtici Commentaria ediderunt, fuere conſcripti, iiſdem fabricati

cano-

canones Conciliorum, ex iis depromptæ Scripturarum ſanctarum perſpicuæ & dilucidæ expoſitiones. Etiamſi tui, Præſul ac Pater ſanctiſſime, non eſſemus, cum abſque ulla dubietate doctrinam tradideris ſanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordiſſimam, & nullus doctorum abſtruſa quælibet diligentius exquiſierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, robuſtius defenderit, effuſius diſſeminaverit; poſtularet æquitas ipſa, ne alium in Scholarum noſtrarum columen, ac præſidium præeligeremus. Nunc vero, quoniam Tui ſumus, impellit nos præter æquitatem filiorum neceſſitudo, atque in tui clientelam trahit etiam amor ac pietas. Ex illa itaque beatorum Spirituum patria, ubi præfulges inter Doctores Eccleſiæ tanquam ſol rutilans inter ſidera, dirige me ſcribentem; & pro ea gratia, quam in te puſilli cum magnis miramur, quid tenere debeam oſtende. Theologicis ſtudiis addictos, quibus decretum eſt Te ſuſpicere, colere, tuaque dicta quaſi propria defendere, omni charitate ac benevolentia proſequere; & excubante pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſima induſtria tua, Eremitanam Familiam paterno, & ſingulari amore complectere.

CENSURA.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Regentis Fratris Nicolai Antonii Schiaffinati Generalis legi libros, quorum titulus eſt. De Theologicis Diſciplinis, *elucubratos opera & ſtudio admodum Reverendi Patris Magiſtri Fratris Joannis Laurentii Berti Florentini; in quibus nihil ſane offendi, quod ſanam Orthodoxamque doctrinam undique non redoleat. imo omnia ibidem perſpicue, appoſite, graviterque ita diſcuſſa, omnigenaque eruditione referta conſpexi, ut nedum Tironibus noſtratibus dirigendis, & ad bona ſtudia inflammandis, ſed etiam doctis, veteraniſque in abditiora ſacræ doctrinæ penetralia inducendis utilia, idoneaque mihi videantur. In his ſiquidem Auctor ita Scholaſticam methodum ſectatur, ut linguæ barbariem quondam Peripatum obtinentem penitus exuat, ac perpetuo declinet. Dogmaticas, Polemicaſque controverſias paſſim occurrentes ita pertractat, ut & offuſas ſub peregrinæ eruditionis ſpecie à verſutis Novatoribus tenebras, arceſſitis undique è ſacratiori penu illuſtribus teſtimoniis, omnino depellat; & ſacrorum Oraculorum, ſanctorumque Patrum auctoritatem à malignantium, aut minus critices peritorum calumniis egregie vindicet; Scholaſticas demum, adiaphoraſque quæſtiones ea modeſtia, brevitate, ac perſpicuitate diſſolvat, ut & planiorem, ac Auguſtini ſenſibus accommodatiorem ſententiam domeſticis Juvenibus aperiat, & externarum Academiarum ſibi adverſantium placitis debitum honorem ubique ſervet: eaque propter cenſeo è re Auguſtinianæ Scholæ eſſe, quod præfatum Opus typis mandetur.*

Romæ die 26. *Septembris anno* 1737.

Fr. Benedictus Auguſtinus Gattini Pratenſis, Sacræ Theologiæ Magiſter, Procurator Generalis Ord. Erem. S. P. Auguſtini.

CENSURA.

OPus inſcriptum De Theologicis Diſciplinis, *ac A. R. P. Magiſtro Fratre Joanne Laurentio Berti Florentino in Scholæ Auguſtinianæ commodum elaboratum vidi, pervidi, probavi. Vidi, inquam, ut mandatis Univerſi Noſtri Ordinis Magiſtri obtemperarem: pervidi, ut voluptatem, quam in ſemel legendis hiſce lucubrationibus perceperam, mihi ingeminarem: probavi, ut non ſolum Noſtratium, ſed externorum etiam Magni Auguſtini ſtudioſorum utilitatem proveherem. Eſt enim Opus perſpicua, claraque methodo digeſtum; ſolida, ſanaque doctrina inſtructum; ac multiplici, minimeque obvia eruditione reſperſum: totum denique ſpirat, atque exhibet Auguſtinum. Eſt igitur cum aliis titulis, tum hoc uno nomine publica luce digniſſimum. Sic cenſebam.*

Romæ in D. Auguſtini pridie Idus Sextiles 1737.

F. Hieronymus Auguſtinus Zazzeri Ord. Erem. S. P. Auguſtini Sacræ Theologiæ Magiſter, Ex-Aſſiſtens Italiæ, Congregationis Sacrorum Rituum Conſultor, & in Archigymnaſio Sapientiæ Urbis Sacræ Script. Interpres.

F. NICOLAUS ANTONIUS SCHIAFFINATI
NEAPOLITANUS.

S. Joannis ad Carbonariam, Sacræ Theologiæ Magiſter Regens, totius Ord. FF. Erem. S. P. AUGUSTINI Prior Generalis, & Commiſſarius Apoſtolicus.

CUm *Opus inſcriptum* De Theologicis Diſciplinis, *à Rev. Patre Magiſtro F. Joanne Laurentio Berti Florentino elaboratum, duo noſtri ejuſdem Ordinis Theologi à Nobis deputati recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; Nos tenore præſentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſiita iis, ad quos reliquum ſpectat, videbitur.*
Datum in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Urbe die 10. *Martii* 1739.

F. Nicolaus Antonius Schiaffinati Generalis, & Commiſſarius Apoſtolicus.

Noſtri mun. aff. Sig.

Magiſter Fr. Auguſtinus Gioja à Juvenatio
Ordinis Secretarius.

Reg. lib. 6.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Rño Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.
Philippus Spada Epiſc. Piſauri Viceſg.

CENSURA.

CUm *ex mandato Reverendiſſimi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri accurate perlegerim tria* Theologicarum Diſciplinarum *Volumina, quorum in priori diſputatur de Exiſtentia, & Proprietatibus unius Dei, in altero de Summa Trinitate, de Angelis, de rerum corporearum productione, in tertio denique de Originali peccato, de hæreſibus adverſus liberum arbitrium, & gratiam, ac de ipſa gratia Reparatoris, Opus elucubratum per Adm. Rev. P. Mag. Joannem Laurentium Berti Florentinum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, tantum abeſt ut in eo quidpiam à recta fidei, vel morum norma alienum offenderim, ut potius miratus ſim Authoris ingenium, eruditionem, ac doctrinam. Quamobrem ſtudioſorum omnium Sacræ Theologiæ bono lucubrationes hujusmodi publica Lucis uſura digniſſimas cenſeo.*
Datum in Conventu Transpontinæ Idibus Octobris anni 1737.

F. Petrus Thomas Cacciari Carmelita Sacræ Theol. Mag. & Doctor, Romani Cleri Examinator, atque in Collegio de Propaganda Fide ejusdem ſacræ Diſciplinæ Lector.

CEN-

CENSURA.

UT *mandatis obsequerer Reverendissimi P. Jo. Benedicti Zuanelli, Sacri Apostolici Palatii Magistri, attente Legi librorum* De Theologicis disciplinis *tres priores Tomos. Opus sanæ Doctrinæ & eruditionis plenum, ab Adm. Rev. P. Mag. Joan. Laurentio Berti, Eremita Augustiniano, solerter, atque ingeniose elucubratum, in quo nihil Fidei Catholicæ aut bonis moribus adversum, quamplurima Sacræ Theologiæ Studiosis utilissima deprehendi: in cujus fidem, &c.*

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. SS. Salvatoris, & Sac. Congr. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR,
Fr. Jo. Benedictus Zuanelli. Ord. Præd. S. P. A. Magister.

APPROBATIO CENSORIS.

OPus hoc cui Titulus: Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, mea non eget approbatione aut Commendatione, sed ut ICtus l. 1 ff. de in integr. restit. loquitur, se ipsum commendat, suaque præstantia sibi sit encomium, ob singularem nempe ampliſſimæ eruditionis copiam, solidissimæ doctrinæ vim, rerum ordinem ac claritatem perspicuam, ut ex merito atteſter verbis D. Ambrosii 1. Hexam. cap. 1. *Plus in eo est, quod probetur aspectu, quam quod sermone laudari possit, suo enim utitur Testimonio, non Suffragio alieno.* Prodeat ergo in lucem, ut publica ejus evulgatione Res litteraria novum accipiat & ornatum & emolumentum.

Imprimatur H. S.

Ex Vicariatu Augustæ Vindelicorum die 26. Febr. 1749.

Nicolaus Antonius Seiz, J. U. D. S. N. Prælatus domesticus Ecclesiæ Cathedralis. August. & insignis in Haugis Herbipol. Canonicus. Reverendiss. & Sereniss. Princip. & Episcop. August. in Spiritualibus Vicarius Generalis.

Franciscus Josephus de Handl, SS. Theol. Licent. Reverendiss. & Sereniss Princip & Episcop. August. Consil. Eccl. Maj. Pœnit. & Libr. Censor. nec non insign. Eccles. ad S. Maurit. Canon. & Paroch.

IN

IN LIBROS DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS PROLEGOMENA.

DIVINARUM RERUM DISCIPLINAM, *quam propriè sapientiam nuncupari*, affirmat in lib. XIV. cap. 1. de Trinitate maximum Catholicæ Ecclesiæ lumen, ac firmamentum Augnstinus, non solùm contentiosam illam, quam Scholasticam dicunt, & quæ sublimiori & longè jucundiori, quàm appellant dogmaticam, viam sternit, eamque validissimo præsidio tutatur, verùm etiam hanc ipsam, in qua Fidem, Sanctorumque dogmata contra impiorum machinamenta vindicamus ac propugnamus, quantum vires tenuissimi ingenii mei suppetunt, adolescentibus nuper Philosophiæ doctrina formatis, Divino implorato Numine, tradere aggredior. Quoniam verò quisquis in novam aliquam facultatem intendit animum, quænam ea sit, quæ præsertim comprehendat, qua methodo teneatur, quidque voluptatis afferat, non mediocri solet inquirere solicitudine; huic ego morem gerens Isagogicam Diatribam præmittere excogitavi: ut habita instituti mei ratione, in ipsoque limine dicendorum varietate, & utilitate perspecta, arduum quidem iter, sed felicitatis decorisque plenum arripiat. Etsi enim ego talis profectò non sum, qui vel eruditione, vel argumentorum copia Scholasticas disputationes efficere possim pleniores; dabo tamen operam, ut pluribus antiquorum Scriptorum dumetis purgata, ac interdum Recentiorum floseulis, placitisque conspersa lamplior videatur via, quam juniores in scholaram latebris versaturi animo ingrediantur alacriori. Illud autem me consecuturum esse confido, si Augustinenses discipuli, quorum tantummodò causa universam Theologiam his libris mandare satago, una cum his elucubrationibus Opera Sanctissimi Protoparentis assiduè legant, & pervolutent. *humiliter orantes misericordiæ Dominum, ut eundem spiritum intelligentiæ legentes accipiant, quem ille accepit ut scriberet; & eandem illuminationis gratiam adipiscantur; ut discant, quam ille adeptus est, ut doceret.* S. Fulg. Lib. II. de Verit. Præd. & Grat. cap. 18.

CAPUT I.

De notione, variisque generibus Theologiæ.

SUMMARIUM.

1. Quænam facultas veniat sub generali appellatione Theologiæ;
2. Pagani triplicem habuerunt Theologiam; nimirum fabulosam, naturalem seu physicam. & civilem.
3. & 4 Reprobatur universa idololatrarum gentium Theologia.
5. Definitio Theologiæ, ac discrimen inter infusam. & acquisitam.
6. Divisio Theologiæ in positivam, scholasticam, & mysticam.
7. Divisio ulterior in Theologiam Polemicam, Dogmaticam, & Adiaphoram Polemicam, & Adiaphoram. Item in Theologiam Dei, Beatorum, ac viatorum.

1. Quænam facultas veniat sub generali appellatione Theologiæ.

ITAQUE altissimam hanc facultatem Græco vocabulo *Theologiam* appellamus, quo *significari intelligimus de Divinitate rationem, sive sermonem*, ait lib. VIII. de Civit. Dei cap. 1. S. P. Augustinus. Nam Græca lingua Deum dicimus Θεόν, sermonem verò τὸν λόγον. Qua generali appellatione omnem de supremo Numine orationem, sive per scientiam ac disputationem instituta sit, sive fabulis, Rhetorumque figmentis exculta, sive sacra, sive superstitiosa ac profana, non incongruè dicere possumus Theologiam. Propter quæ de

summo Deo tradidit Plato, & quæ de idolorum cultu Numa Pompilius, laudato nuper libro cap. 9. Magnus Augustinus Theologiæ nomine haud veritus est insignire. Sed quemadmodùm naturali ratione ducti vix divinam attingimus existentiam, ac nonnulla summi Dei attributa, quæ humanam nullatenùs superant perceptionem; ita naturalis illa Platonis, aliorumque Philosophorum supremæ caussæ notitia ad Ontologiam, non ad specialem aliquam Sapientiam videtur spectare. Quæ verò de Gentium diis veteres idololatræ commenti sunt, tantum Theologiæ nomine censenda erunt indigna, quantum longè recedunt à veritate. Theologos ergo propriè dicimus, quos ex revelatis arcanis de divinitate audimus disserentes, ut rectè observarunt Budæus in Commentariis, & in Prolegomenis Dionysius Petavius. Atque indè promanavit Theologorum nomen; quo primum appellatos novimus Christi discipulos ab Areopagita in suo, ut creditur, de Divinis nominibus libro, ubi ait: *Aderat & Petrus supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen.* Hactenùs de vocabuli significatione.

2. Pagani triplicem habuerunt Theologiam: nimirum fabulosam, naturalem, & civilem.

Pagani triplicem Theologiam habuere: Fabulosam, qua utebantur in theatris vario carminum genere ad numinum suorum flagitia, erroresque narrandos; hujusque Ethnicorum poetarum pleni sunt libri: Naturalem ac physicam, per quam Deorum genus philosophi scrutabantur, ut præstiterunt olim Cicero in libris de Natura Deorum, Macrobius in Saturnalibus, nec non posterioribus temporibus Lilius Giraldus Ferrariensis, Vossius, & quos contra Polytheos disputans opportuniori loco commemorabo: Civilem denique, quæ in urbibus commorantes, & confluentes ad templa erudiebat circa ritus ac sacrificia ad cultum peragenda Deorum. Quam postremam Numa septem Latinis, ac septem Græcis libris explicuit, quos erutos ex agro Petilii sub Janiculo à cultoribus altiùs terram molientibus, refert Livius Historiarum XL. ad annum Urbis Conditæ DLXXIII, fuisse Senatus judicio concrematos.

3. Reprobatur universa Idololatrarum Theologia.

Universam hanc idololatrarum gentium Theologiam perstringit Apostolus in Epist. ad Rom. cap. 1. v. 23. his verbis: *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.* Quibus redarguit primò eos, qui corporeos homines superstitioso cultu venerati sunt, non solum Romanos, sed & Græcos, & Persas, aliosque populos mortales Deorum turmas sacrilega religione prosecutos; quamquàm unicuique naturali rationis acumine notum est, quod de vero Deo scripsit Antiphanes, ὀφθαλμοῖς οὐκ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, *oculis non videtur, nemini est similis.* Quare imbecilles infirmosque Deos ipsos fatetur in Epistola ad Matrem Alexander Rex Macedonum invictissimus, ut rectè in libro de idolorum vanitate Cyprianus, Felix in Octavio, & Athenagoras in Apologia pro Christianis. Et deinde damnat Paulus Aegyptios, quorum aquatica, terrestria, & volucria numina commemorant Theophilus Antiochenus, Strabo, Philo, atque Virgilius, Juvenalis syncronusque Paulo Lucanus. At quoniam Deorum gentium vanitatem modò refutare non vacat; audiatur D. Thomas hæc ad Apostoli testimonium adjiciens: *Videtur autem Apostolus triplicem Theologiam tangere Gentilium. Primò quidem civilem, quæ observabatur à Pontificibus in adoratione idolorum in templo, & quantum ad hoc dicit:* Et mutarunt gloriam incorruptibilis Dei. *Secundò Theologiam fabularem, quam poetæ tradebant in theatris, & quantum ad hoc dicit:* Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. *Tertiò Theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in mundo partes mundi colentes, & quantum ad hoc dicit:* Et coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Hæc D. Thomas.

4. Prosecutio.

Eamdem idolis addictæ Gentilitatis Divinam, si ita fas est nominare, scientiam jure, ac merito S. Pater Lib. VIII. de Civit. Dei c. 5. Platonicorum Thelogia existimat deteriorem. Nam qui hanc olim sectati sunt, licèt fidei lumine destituti, esse unam universorum caussam, unumque beatitudinis largitorem nequaquam dubitaverunt. *Cedat eis igitur*, sic eximius Ecclesiæ Doctor effatur, *non solùm theologia illa fabulosa Deorum criminibus oblectans animos impiorum; nec solùm etiam illa civilis, ubi impuri Dæmones terrestribus gaudiis deditos populos Deorum nomine seducentes, humanos errores tanquam suos divinos honores habere voluerunt: ubi ad spectandos suorum criminum ludos cultores suos tanquam ad suum cultum studiis immundissimis excitantes, & sibi delectabiliores ludos de ipsis spectatoribus exhibentes: ubi si qua velut honesta geruntur in templis conjuncta sibi theatrorum obscænitate turpantur, & quæcunque turpia petuntur in theatris comparata sibi*

sibi templorum fœditate laudantur. Et ea, quæ Varro ex his sacris, quasi ad cœlum & terram, rerumque mortalium semina interpretatus est, quia nec ipsa illis vitibus significantur, quæ ipse insinuare conatur, & ideo veritas conantem non sequitur: & si ipsa essent, tamen animæ rationali, quæ infra illam creaturæ ordine constituta sunt, pro Deo suo colenda non essent, nec sibi præferri debuit tanquam Deos eas res, quibus ipsam prætulit verus Deus. Et ea, quæ Numa Pompilius revera ad sacra ejusmodi pertinentia secum sepeliendo curavit abscondi, & aratro eruta Senatus jussit incendi. His autem prædictas superstitiosæ Theologiæ species & enumerat Augustinus, & quali in existimatione habendæ sint, luculenter demonstrat.

5. Definitio Theologiæ ac discrimen inter infusam, & acquisitam.

Verùm mitto profanorum hominum rudimenta, & ad Theologiam nostram sermonem verto. Quam definire possumus *rerum divinarum vel ex naturaliter cognitis, vel ex revelatis principiis comparatam doctrinam.* Et si ea ex principiis naturaliter notis deducitur, pertinet, ut jam diximus, ad Ontologiam, seu Metaphysicam, quæ singularum rerum creatarum, ac supernarum inquirit essentiam. Si autem ex iis, quæ per revelationem innotescunt proficiscatur, erit illa Theologia, quæ particularem constituit sapientiam; & quæ nonnullis divinitùs animo illabitur, qualem habuêre Salomon, & Apostoli, qui Spiritu Sancto repleti, *cæperunt loqui magnalia Dei*, nec non Sanctorum plurimi, etiam feminæ, ut nostri Ordinis Sanctimonialis Clara, quæ non semel de altissimis Fidei nostræ mysteriis fertur disseruisse. Sed ut plurimùm studio ac labore comparanda est; nam Spiritus ubi vult spirat, & prout vult, gratiarum charismata dividit. Habes hinc, ut arbitror, discrimen inter *infusam*, & *acquisitam* Theologiam.

6. Divisio Theologiæ in positivam, Scholasticam, & Mysticam.

Porrò hanc ratione methodi dividunt in Positivam, Scholasticam, & Mysticam. *Positivam* aliqui eam dicunt, quæ non servatis dialecticæ præceptis fusiori quodam dicendi genere divinam Scripturam, Fideique exponit mysteria: sed alii dictam putant, quod sua principia *supponat*, atque ex sacris literis, Apostolicis Traditionibus, & Catholicæ Ecclesiæ statutis suas inferat positiones. *Scholasticam* nuncupamus Theologiam illam, quæ ad syllogysticæ artis regulas sese accuratiùs accommodat, neque à priori diversa est, nisi methodo disputandi: unde qui servato verborum delectu & ampliori oratione sua ex Theologicis fontibus deprompserit argumenta, non tam Scholasticam, quam Positivam tenere is videbitur Theologiam; eritque hac temporum ætate auditoribus suis haud ingratus, sive in rerum divinarum contemplatione, sive in iis, quæ ad formandos mores pertinent, occupabitur: etenim hæc Theologia præstat utrumque, & pro argumenti diversitate *Speculativa* dicitur, & *Moralis*. Mysticam porrò nominamus illam, quæ non in sola contemplatione versatur, sed in Deum dirigit cordis affectum: de qua possumus ea verba Davidis usurpare Ps. XI. 7. *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septulum.*

7. Divisio ulterior in Theologiam Polemicam, Dogmaticam, & Adiaphoram. item in Theologiam Dei, Beatorum, ac viatorum.

Ratione autem argumentorum, quæ Theologo pertractanda sunt, dividere possumus Theologiam in Polemicam, Dogmaticam, & Adiaphoram. *Polemica*, idest bellatrix, ea est, qua cum hæreticis, ceterisque fidei hostibus funem ducimus contentionis, ea nempe, quæ in dirimendis Controversiis inter Fideles & Etherodoxos tota versatur. *Dogmaticam* ego quidem illam appello, quæ Patrum placita, sententiasque ad trutinam revocat; quippe *Dogma* idem est, ac scitum, vel decretum, etiamsi *Polemicas* Theses sermonis usus & consuetudo *Dogmaticas* indiscriminatim denominet. *Adiaphoram* autem dico, quæ absque fidei discrimine, erroriscque periculo exercitationis caussa inter Doctores exagitatur, ut cum de suis distinctionibus Scoti, ac Divi Thomæ discipuli digladiantur. Denique ratione subjecti dividi potest Theologia in Theologiam *Dei*, *Beatorum*, *ac Viatorum*, quæ proculdubio satis solo nomine comprehenduntur. Atque hanc Theologiæ partitionem si quis minùs aptam arbitrabitur, alteram fortasse meliorem excogitet proprio marte, vel consulat initio sui Apparatus Petrum Annatum.

CAPUT II.

Num Scholastica Theologia, quæ Dialecticam in usum assumit sit penitùs abjicienda?

SUMMARIUM.

1. 2. Hæretici fermè omnes in Scholasticam Theologiam contumeliosè debacchantur.
3. Cur hæretici nostras Cathedras parvipendant?

4. 5. 6. Theologo usum Dialecticæ summoperè esse utilem probatur ex S. scriptura, sanctis Patribus, & ratione.

7. Theologi Dialecticâ utentes non sunt fallaces, & captiosi.

8. Dialecticâ usus est S. Paulus, imò & Christus, & SS. Patres passim.

9. 10. 11. 12. Philosophiam naturalem plurimùm etiam conferre Theologo, probatur ex S. Scriptura, SS. Patribus, exemplo, & rationibus,

13. 14. Theologum non debere naturali solummodò duci Philosophia, sed illam in obsequium fidei captivare, innixum divinis revelationibus, probatur ex SS. Patribus, & ratione.

15. Scholastica methodus Petri Rombardi non est necessaria absolutè, valdè tamen utilis, & accommada.

16. 17. 18. Theologia scholastica est utilis, necessaria, & ad profligandas hæreses fidémque servandam aptissima. Comprobat hoc Auctoritas summorum Pontificum, ac Doctissimorum, sanctissimorúmque virorum usus.

1. Hæretici fermè omnes in Scholasticam Theologiam debacchantur.

IN SCHOLASTICAM THEOLOGIAM, quam diximus Dialecticæ usum ac philosophicam methodum differendo complecti, contumeliosis verbis ac dicteriis hæretici ferè omnes debacchantur. Opponebat olim Augustino Cresconius Grammaticus, quod & ille Dialecticus esset, ac in Fidei quæstionibus disputandi artem adsumeret, ut refert idem Sanctus Doctor lib. 1. cap. 13. Novatores quoque ut eam omninò perderent, nullum non lapidem moverunt; nam Wiclephus in articulis à Synodo Constantiensi damnatis asseruit Universitates & studia Theologorum, quorum gymnasia Castra Cainitica nuncupabat, eo modo Ecclesiæ prodesse, *sicut prodest diabolus*. Et Lutherus lib. 2. de abroganda Missa nostrorum Scholas *lupanaribus* comparat, appellatque D. Thomam *phialam iræ Dei*. Joannes Calvinus in suis Institutionibus hæc audacissimè eructat: *Tota Papatûs Theologia immane est chaos, & horribilis labyrinthus, quia neglecto Christo sibi insanis, & ventosis speculationibus indulget.* Pari audacia in sua Apologia Philippus Melanchthon ait Lutetia Parisiorum natam esse profanam Scholasticen, eaque admissa obscuratum Evangelium ac Fidem extinctam. Eo autem devenerunt Withembergenses Hæretici, ut anno 1520. Scholasticorum libros feretro impositos sacras defunctorum celebrantes vigilias magna ministrorum populique frequentia ad mediam deferrent urbem, ac in ardentem rogum projicerent, ut in Appendice ad Naucleri Chronicon refert Surius. Qua impia improborum hominum indignatione satis, superque apparet, quanto animi odio & veteres, & recentiores hæretici communionis Romanæ Theologos, quos dicimus è Schola, prosequantur.

2. Veterior debacchatio hæreticorum.

Connumerandus est his Nicephorus Gregoras, qui circa annum 1328. floruit, Andronico Juniore imperante, & in Latinos iniquissimus non tantùm invehitur, quod ex Petri successione arrogent sibi Primatum, sed etiam acriter illos reprehendit, eo quòd temerè ac superbè, præsertim Itali, in Theologiam disputantes insiliant. Quam Scholarum invidiam longa querimonia adauget Erasmus asserens, in quæstionum nostrarum delectu plurimas offendi supervacaneas, & satius esse ad benè, beatèque vivendum Deum humili religione diligere, quàm de ipsius natura, ac personis plura operosa inquisitione tractare. Ad ejusmodi criminationem proniores videntur moderni Scriptores, qui cum nudam, ac subtilem physiologiam, quæ penès nos hactenùs obtinuit, cachinnis ac risu excipiunt; tum hanc differendi methodum damnant, exercitationes despiciunt, vocabula, quorum fortè significationem ignorant, barbarismos censent latinitatis. Non obscuræ sunt in hujuscemodi commentationibus Constantini Grimaldi lucubrationes; quas literatorum horum judicio probatas damnat Magistra veritatis Ecclesia.

3. Cur hæretici nostras cathedras parvipendant.

Ego quidem caussam, cur id genus hominum nostras parvipendant cathedras, mihi videor divinare. Nam vel de Sectariis loquimur ab Ecclesia alienis, vel de Catholicis viris, qui in Scholasticos communi quodam odio feruntur. Sectarii nollent nos ad evitanda ipsorum sophismata instructos, sed in ratiocinando difficiles, quo majori conatu ac dolo ea, quæ profitemur, dogmata impeterent; unde traditur dixisse Bucerus, *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam:* dignissimi, quos Dominicus à SS. Trinitate de Theologicis disciplinis optimè meritus, libr. 2. Biblioth. sect. 1. cap. 3. comparet Philistæis, qui devictis ad Gabam Hebræis prohibuerunt, ne deinceps fabros ferrarios haberent, auctore lib. 6. Antiquit. cap. 7. Josippo, ut soli possent contra hostes lanceas, gladiósque tractare. Hi verò duplici de caussa in subtiles, & acutas disputationes declamant; quarum una est, quòd experimentali philosophiæ impensiùs navantes operam remotiora à sensibus vix delibarunt; altera quòd dicendis in foro contentiosis incumbunt orationibus, sermonisque fucum ubique expetunt, ignari gravissimum auctorem

Cle-

Clementem Alexandrinum in I. Stromateon monuisse, neque probandum esse ciborum apparatum, *in quo plura sunt condimenta, quàm quæ parata sunt ad alendum, neque scitum esse sermonis usum, qui oblectandis potiùs, quàm juvandis auditoribus servit.* Sed ne videamur cultum, ornatumque in Theologis nostris damnare, nimiumque futilibus argutationibus indulgere, exponam modò, quodnam ferendum sit in hac dissertatione judicium.

Propositio I. PROPOSITIO I. Theologo usus dialecticæ summoperè est utilis, ac necessarius.

4. Probatur Theologo usum Dialecticæ summoperè esse utilem 1. ex S. Scriptura.

OSTENDITUR I. propositio depromta ex sacris litteris argumentatione. Theologi munus est incredulos & contradictores arguere, detegere impugnantium sophismata, ac interroganti de his, quæ profitemur, congruam veramque rationem reddere. At hæc omnia suppeditat ars dialecticæ, quæ nexus argumentorum, sermonum versutias, & oppositionum indicat solutionem. Est ergo viro Theologo dialecticæ usus apprimè necessarius & utilis. Priorem propositionem tradunt expressè divinarum oracula Scripturarum; nam Apostolus affirmat opus esse, ut Ecclesiarum Rectores fidelem sermonem amplectantur, ut exhortari possint, & eos, qui contradicunt, arguere, quoniam, inquit in Epistola ad Titum cap. 1. v. 11. *multi sunt docentes, quæ non oportet.* Et Petrus Epistola 1. cap. 3. v. 15. *vult nos paratos esse ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ est in nobis, spe;* nimirum Apologiam exhibere, si quis à nobis causam poposcerit Religionis. Debemus etiam, ut hortatur Sapiens cap. 8. v. 8. *scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum.* Quòd verò hæc omnia ad munus pertineant dialecticæ, satis constat.

5. Probatur 2. ex SS. Patribus.

Probantur II. ex PP. S. Clemens Alexandrinus in 6. Strom. scribit: *Sepimentum est dialectica, ut ne à sophistis veritas conculcetur.* Basilius in Caput 1. Is. *Facultas dialecticæ muri instar est dogmatibus, quòd ea non finit facilè diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Gregorius Nazianz. Orat. 20. summis laudibus Basilium ipsum extollit, quòd apprimè calleret dialecticam, in eaque adeò præstaret, ut *iis, qui cum eo disputabant, faciliùs esset ex labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere.* Ambrosius in cap. 5. Lucæ: *Quæ sunt Apostolorum, quæ laxari jubentur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam Orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittant.* Atque ne singulos commemorem, S. P. Augustinus, cujus in II. Libro de Doctrina Christiana cap. 31. hæc sunt verba: *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt, penetranda & dissolvenda plurimum valet. Tantùm ibi cavenda est libido vixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Ex quibus Patrum testimoniis istud contexitur argumentum. Ea facultas Theologo perutilis est, ac necessaria, quæ est contra impugnatores sepimentum veritatis, & muri instar universis dogmatibus, & quæ à doctissimis, sanctissimisque viris commendatur, ac valere plurimum dicitur ad omnium quæstionum genera. Talem esse artem disputandi, seu dialecticam asserunt Sancti Patres. Hi igitur artem istam perutilem viro Theologo judicant, ac maximè necessariam.

6. Probatur 3. ratione.

Tertio loco propositio demonstratur ratione. Dialectica duo præstat, disputandi peritiam, qua absque erroris periculo unum ex alio deducitur, & notitiam sophismatum, qua adversariorum tela retundimus. Atqui utrumque munus exercere debet Theologus, qui & theses suis ex fontibus profert, & Atheorum, damnatorumque hominum declinat argutias. Ei ergo erit pedissequa ars disputandi. Urget hoc argumentum contra Cresconium Grammaticum S. P. lib. 1. cap. 13. ubi ait: *Quid est enim aliud dialectica, quam peritia disputandi? Quod ideò aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christianæ non congruat veritati, & ideò me doctores vestri velut hominem dialecticum meritò fugiendum potiùs, & cavendum, quàm refellendum, revincendumque consuerint. Quod cum tibi non persuaserint, nam te adversus nos etiam scribendo disputare non piguit; tu tamen in me dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares, qui disputatione mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet non dialectica uteris, cum contra nos scribis? Ut quid te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris? Aut si nosti, cur dialecticus dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refrænes, aut doctrinam, qua juvaris, accuses?* Utuntur quippe non semel contra nos disputationibus iidem Hæretici, qui in disputando peritiam criminantur. Et Arnobius Junior in conflictu objicienti Serapioni, quòd in dialecticum sophisma prorumperet,

ita occurrit: *dialecticum sophisma duas facies recipit; & ut verum probetur quod adstruitur, & non verum ex aliqua parte arguatur.*

7. Theologi Dialectica utentes non sunt fallaces, & captiosi.

Postremò contra eos, qui Theologos dialectica utentes, tanquam fallaces & captiosos admonent esse vitandos, ita ex Augustino argumentor. Paulus Apostolus cum Stoicis, qui certissimè dialectica arte pollebant, non semel contulit; vel ipse dialecticus erat, vel, si non erat dialecticus, & Christiano homini dialectici sunt evitandi; ergo ipse à dialecticis sese subduxisset, quod non fecit. Si fecit & ipse dialecticus; ergo non est dialectica, tanquam vitium in Theologo viro redarguenda. *Stoici certè*, inquit citato lib. cap. 14. S. Pater, *maximè dialectici fuerunt: cur Apostolus Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautissimè devitavit, & vestros Episcopos laudas, quòd nobiscum velut cum dialecticis nolint habere sermonem? Aut si & Paulus dialecticus erat, & ideò conferre cum Stoicis non timebat, quia non solùm acutè disputabat sicut & illi, sed etiam veraciter, quod non illi; jam cave cuiquam dialecticam pro crimine objeceris, qua usos Apostolos confiteris.* Idem argumentum urget cap. XVIII. ejusdem libri de Christo.

8. Dialectica usus est Christus, Paulus, & SS. Patres.

In cujus argumenti confirmationem addere possumus exemplo Pauli, imò & Christi, dialectica usos fuisse Ecclesiæ Patres, præsertim Justinum in Apologia pro Christianis, Athanasium contra Arianos, Basilium & Gregorium Nyssenum contra Eunomium, Cyrillum Alexandrinum in Dialogis, Hieronymum contra Helvidium, & Vigilantium, sanctissimum denique parentem Augustinum contra Academicos, Manichæos, Donatistas, & Pelagianos, ut in hujus decursu Operis horum, aliorumque Patrum magna ex Parte construendi argumentis, facilè quisque conjiciet.

Propositio 2. PROPOSITIO II. Non superfluit, sed viro Theologo plurimum confert etiam naturalis Philosophia.

9. Philosophiam naturalem prodesse Theologo Probatur, ex S. Scriptura

Hanc propositionem probo 1. Scripturarum Divinarum auctoritate. Sapientiæ VII. v. 12. Salomon de se ait: *Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.* Et quænam hæc Sapientia fuerit, v. 17. exponens sequitur: *Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, &c.* Paulus etiam ad Colos. 1. v. 28. *Quem nos annuntiamus*, inquit, *corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia*, Divina nempe, & humana. Unde sic arguo, Verus Deus procul dubio utilia docet, nec unquam ipse vanam ac pernicioſam scientiam rationalium hominum menti indidit: utiliter quoque ad homines perficiendos ea adsumitur sapientia, quam proprio usu Apostoli commendârunt. Sed Deus bonorum omnium Largitor etiam naturalem rerum notitiam docuit Salomonem, eamque Paulus in corripiendis, formandisque neophytis adhibuit. Ergo hæc Theologo non vana erit, & noxia, sed perutilis, & accommoda.

10. Probatur ex SS. Patribus.

Secundò affero Sanctorum Patrum momenta. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. docet, *Philosophiam ante Domini adventum Græcis ad justitiam fuisse necessariam; nunc autem ad Religiosam pietatem utilem esse, eò quòd prævia quædam eruditio sit iis, qui fidei per demonstrationem fructum colligunt:* rursùs, *philosophiam ipsam ad sapientiam comparandam conducere.* Plura ex Clemente collegit Canus lib. IX. de loc. Th. cap. V. ac Petavius in Prolegomenis cap. IV. Accedit Hilarius, qui lib. 12. de Tr. ait: *Fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutam refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem retinendi securitatem, eritque ut infirmis sint post fugam castra, non etiam ut arma habentibus adsit interrita fortitudo.*

11. Probatur exemplo.

Ulteriùs sic ab exemplo argumentor. Philosophica, naturalique ratione, & Christus, & Apostoli, maximique Ecclesiæ Doctores sæpè sæpiùs, veritatem firmârunt: non est igitur Theologis Philosophiæ usus interdicendus. Ant. pr. 1. Christus Dominus Matth. XXII. v. 20. ex imagine numismatis infert Cæsari solvendum esse tributum. 2. Paulus Ep. 1. ad Corinth. cap. 12. probat, non opus esse, ut omnes in Ecclesia omnium gratiarum genere, ac scientiarum munere pelleant, quod in unoquoque corpore diversa sint membra, quorum singula suam habent energiam: nam: *si totum corpus*, inquit v. 17., *oculus; ubi auditus?*

tus? si totum auditus; ubi adoratus? &c. 3. Gregorius Thavmaturgus eruditum de anima conscripsit volumen solis Philosophicis argumentis compactum rogatus à Tatiano, quem sic alloquitur: *Jussisti, præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis, sive demonstrationibus, sermonem, atque disputationem de anima tibi conscriptam mitterem, eaque in re nullis scriptuarum uterer testimoniis.* Athanasius sacrilegos homines, qui ex divinitatis doctrina cauponariam exercebant, redarguit, ut in Orat. de ejus laudibus narrat Nazianzenus, *texto flagello, & probabilibus argumentis ad persuadendum accomodatis.* Origenes studia Philosophiæ detrectantibus, ut scribit Euseb. Historiæ Eccl. lib. VI. cap. 15. reposuit se naturalibus scientiis sedulam dedisse operam, sed facem sibi prætulisse Apostolicos doctores Panthænum, Heraclam, aliosque. Didymus de se in suis ad Ecclesiasten Commentariis fatetur Grammaticæ, Rethoricæ, ac Philosophiæ operam non exiguam navasse; ac de postrema ait: *Nec minùs adeunda Philosophia est, ut facilis suppetat demonstrationum facultas in iis, quæ contraria videntur.* Quod de Didymo narrat etiam in VIII. Hist. tripart. cap. 8. Theodoretus. Augustinus denique, ut Melitonem, Justinum, Lucianum, Damascenum, aliosque innumeros prætermittam, nonné lib. XIX. de Civit. Dei cap. 4. & in toto Opere Imperfecto contra Julianum, ex morte, hujusque vitæ miseriis demonstrat Originale peccatum ab Adæ posteris contrahi? Christus ergo, ac PP. quod demonstrandum erat, etiam philosophia, ac naturali ratione plura ad fidem moresque pertinentia confirmaverunt.

12. Probatur ratione.

Postremò nonnullas hujus assertationis rationes producam. Harum prima sit: Theologo frequenter occurrit, ut hæc vocabula Generatio, Processio, Hypostasis, Libertas, Natura, aliaque plura, quæ partim sermonis usus, partim verò hæreticorum invexit versutia, usurpare debeat ratiocinando: Atqui horum notionem ideamque suppeditat philosophia: Ergo hæc illi multum affert commodi, & ancillatur. 2. Cuique ut ad fidem veniat, exhibenda sunt, quæ illi videntur familiaria; uti Paulus in medio Areopagi ex ipsa aræ inscriptione occasionem arripuit nunciandi Evangelium, neque cum Epicureis ac Stoicis disserere detrectavit, prout Actor. narrat historia cap. XVII. v. 17. & 23. factus Hebræis Hebræus, Philosophis Philosophus, ut omnes lucrifaceret: At etiam Theologus congredi debet aliquando cum acutissimis Philosophis, qui solius ratio nis ductu reguntur: Congruum est ergo, ut eos naturalibus, physicisque argumentis alliciat, ac trahat 3. Supernaturalis scientia, etsi philosophiam supergreditur, huic tamen non adversatur; fides etenim rationem superat, non evertit: Ergo si contra doctrinam Salvatoris hostes physicis insurgant argutationibus, debent naturali Scientia retundi, ostendendo huic eandem Christi Doctrinam non esse contrariam. Audias Clementem Alexandrinum in 1. Strom. *Porrò Græca philosophia ad Doctrinam Salvatoris accedens, non potentiorem facit veritatem, sed sophisticam adversùs eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum, & vallum dicitur.*

Propositio III. Non debet Theologus naturali solummodò duci philosophia, sed illam in obsequium fidei captivare revelationibus divinis subnixus. Propositio 3

13. Probatio ex SS. Patribus.

Assertum istud, quod maximè notari vellem, eo namque præcipua corruunt objecta adversariorum, probo 1. ex Sanctis PP. Joannes Damascenus Dialogorum primo ait: *Porrò decet Reginam ancillarum quarumdam uti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas tanquam veritatis famulas, & impietatem, quæ tyrannico dominatu sibi eas usurpaverat, procul amandemus: neque bono malè utamur; nec ad circumveniendos simpliciores convertamus artem illam disputandi.* Ac S. Pater Augustinus Epist. CCXXII. iteratò monet. *ut in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus fides præcedat rationem.* Cyrillus pariter in lib. IV. Commentariorum ad Joannem, *Post fidem*, inquit, *cognitio sequitur, non illam antecedit.*

14. Probatio ex ratione.

Deinde probatur ratione. Etenim discursus Theologicus, ut scribit Quæst. 1. art. 2. Gregorius noster Ariminensis, cui ceteri omnes assentiuntur, constat ex revelatis propositionibus, vel saltem ex altera hujusmodi. Debent enim alia esse principia Theologiæ naturalis, alia supernaturalis, atque, ut docet Magister Sententiarum in Prologo, Fides nostra Davidicæ turris clypeis communiri: Atqui Theologus principiis naturalis philosophiæ hæret tantùm, quando asserta argumento à sola ratione petito corroborat: Ergo si Philosophiæ tantùm insistat, nunquam Theologico procedet discursu.

Propositio IV. Scholastica methodus, ad quam Petrus Lombardus Theologiam revocavit, non est absolutè necessaria, Propositio 4.

ceſſaria, benè tamen perutilis, & accommoda.

15. Conſtat prima pars; ſiquidem ante Magiſtrum pluribus ſæculis Fides perſeveravit, floruit maximè virtus, Patres Orthodoxi quamplurimos Hæreticos confutarunt, quamquàm non erat præſens methodus Theologicas res pertractandi. Conſtat etiam altera pars; quippè optandum eſt, ut in tradendis diſciplinis confuſio, quantum fieri poteſt vitetur, agendo primùm de natura & exiſtentia objecti, deinde de ejus proprietatibus, & conſequenter de reliquis ad idem ſpectantibus, ſingula ad certa capita revocando: Sed hoc præſtat Scholaſtica methodus: Ergo, &c.

Propoſitio 5. PROPOSITIO V. Theologia Scholaſtica, quidquid reclament nebulones, eſt utilis, neceſſaria, & ad profligandas hæreſes, fidemque ſervandam aptiſſima.

16. Probatur ex oraculis ſcripturarum. Sequitur aſſertum ex dictis, ac oſtenditur primò: Vera Scholaſtica Theologia ea eſt, quæ ad oracula Scripturarum ad Apoſtolorum traditionis, ad antiquorum teſtimonia Patrum addit pro arguendis erroribus, ac veritatibus confirmandis aliqualem uſum dialecticæ: quæ nititur quandoque naturali philoſophiæ, ut ſapientes fidei lumine deſtitutos ſibi captivet, & in obſequium veritatis devincat: quæ demum diſſerendo non vagatur inordinatè, ut facere cogebantur antiqui modò unum dogma, modo alterum, cum varii errores inſurgerent, vindicando; nam ego iſtam de Theologia ideam habeo, quidquid contendant, qui in frivolis, minimisque præcipuam operam perdunt. Sed dialectica in unaquaque ſcientia apprimè requiritur, ut apparet ex priori propoſitione: naturalis philoſophia, ut oſtendi propoſitione ſecunda, à Theologo jure adhibetur; atque recta methodus, præterquàm, quòd accidentaria eſt, nec ſcientiæ naturam immutat, ut dicebam nuper, ſcilicet propoſitione præcedenti, à cordato viro rejici non debet. Ergo Scholaſtica Theologia utilis eſt, neceſſaria, & ad fidem juvandum idonea.

Comprobatur Concluſio Summorum Pontificum auctoritate; nam Urbanus IV, Innocentius VI, & Joannes XXII. Summam D. Thomæ plurimùm commendaverunt, ut videre potes apud Contenſonium in illius doctrinæ defenſione, & Eminentiſſimum Gotti Quæſt. 1. dub. 111. §. 2. num. XIV. Innocentius IV. mandavit Alexandro Alenſi ut Summam Theologicam ederet, quam Alexander IV. ſuo probavit diplomate. Sixtus V. in Bulla, in qua D. Bonaventuram connumerat eximiis Eccleſiæ Doctoribus, ait: *Hujus tam ſalutaris Scientiæ cognitio, & exercitatio ſemper certè maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad Scripturas ipſas verè, & ſanè intelligendas, & interpretandas; ſive ad Patres ſecuriùs, & utiliùs perlegendos; ſive ad varios errores & hæreſes detegendas, & refellendas . . . . . Quantò igitur magis illi, ideſt Hæretici, hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare, & revertere conantur, tantò magis nos decet hoc invictum Fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum noſtrorum conſervare, & tueri.* Magnificè pariter hanc Theologiam extollit Conc. Lateranenſe IV. damnans ejus impugnatorem Abbatem Joachimum: Viennenſe Concilium de parvulorum Baptiſmo: & Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 5. de Reform. cap. 1. ubi præcipit ut hujus Theologiæ inſtituantur Magiſtri indicta præbenda ac ſtipendio. 17. Probatur auctoritate SS. Pontificum.

Tandem quis ſibimet perſuadeat inutilem eſſe ſcientiam tanto labore à Viris doctiſſimis, ac ſanctiſſimis comparatam; cujus toto terrarum orbe viget uſus; quam univerſæ celebriores Academiæ profitentur; & quæ in dies clariſſimorum Virorum exercet ingenia? *Erit ergo Theologia Scholaſtica*, ut quidam ait apud Franciſcum Henno quæſt. VII. concl. *Eccleſiæ lumen, Fidei columen, trutina veritatis, errorum clava, fulmen hæreſum, fax myſteriorum, & Catholicæ doctrinæ lapis lydius.* Fortaſſe vellent Theologi, ut acerbiori ſtylo facultatem ſuam vindicaſſem, ac detractoribus vicem reddidiſſem; ſed frugi ſcriptori, qualem me eſſe deſidero, eſt à loquacitatis libidine temperandum. 18. Probatur ex viris doctiſſimis.

CAPUT III.

Solvuntur ea, quæ contra Scholaſticen objiciuntur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Adverſarii ex S. Scriptura, SS. Patribus, exemplis, & hæreſum portentis probare conantur, Philoſophiam, humanámque ſapientiam nobis interdici.

5. 6. 7. 8. 9. Solvitur objectio.

10. Probare nituntur adverſarii, Theologiam Scholaſticam fidei Catholicæ adverſari.

11. Satisfit objectioni.

12. Scho-

12. Scholasticis objicitur, quòd inter se non conveniant; sed in rebus etiam ad fidem pertinentibus scandalosa contentione differant.
13. Solutio objectionis.
14. Dicitur, turpi illa vocabulorum barbarie: *entitas, quidditar, opus operatum, materialiter, formaliter &c.* Theologiam suo nitore, ac puritate expoliari.
15. Solidè ad hoc respondetur.
16. Objicitur, nullum argumentorum genus afferre utilitatem in divinis rebus explicandis.
17. 18. Expediuntur objecta.
19. Reprobant adversarii modum Scholasticum ob ejus novitatem.
20. Solvitur objectio.
21. Scholastici plures quæstiones metaphysicas apud priscos Ecclesiæ Patres inauditas afferunt.
22. Enervatur objectum.
23. Scholastici plura inutilia, futilia, ac propemodùm insana afferunt.
24. Ostenditur contrarium.

Objectiones contra Scholasticen.

EA modò, quæ contra vindicatam hactenùs Theologiam ab ejus impugnatoribus opponuntur, sunt diluenda: quorum aliqua solam philosophiam perstringunt; aliqua verò in methodum, rationemque Scholasticorum invehuntr. Sunt autem ista.

1. Objectio ex SS. scriptura.

Opp. I. Philosophiam, humanamque sapientiam nobis sacri libri interdicunt. Ergo huic nihil est operis impendendum. Prob. ant. Nam Ecclesiastes cap. 1. 13. legitur. *Et proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum.* Et Apostolus ad Colossens. II. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Et 1. ad Corinth. cap. II. v. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Cujus generis plura in Divinis occurrunt literis.

2. Confirmatio ex Patribus.

Confirmatur I. Ex Patribus; etenim S. Basilius sic libro 1. contra Eunomium invehitur: *Hæc illum ex mundi sapientia garrire, à qua in præceps abreptus hanc sermonis novitatem ingressus est, non est difficile monstrare. Aristotelis enim sunt, ut qui legerunt, testari possent, sermones illi de habitu, & privatione in libro ejus, qui inscribitur Cathegoriarum.* Et infra de iis, qui sæculari humanaque reguntur sapientia, exponit illud Psalmi CXVIII. v. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Consimilia habet Gregor. Nyssenus lib. 2. contra eundem Eunomium, & Cyrillus Alex. Thes. XI. Quid verò de cavenda Philosophia non ait Tertullianus? Is lib. de Præscript. cap. VII. dialecticam appellat coactam, duram, versipellem, molestam operariam contentionum, ac artificem destruendi; & demum esse ab Ecclesia eliminandam his verbis affirmat: *Quid ergo Athenis, & Hierosolimis? quid Academiæ, & Ecclesiæ? quid Hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.* In libro quoque de Anima non semel clamat, *auferendam esse argumentationem.* Item Leo Magnus sermone V. de Nat. *Abigatur*, inquit, *terrenarum caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.*

3. Confirmatio ab exemplo.

II. Confirmatur ab exemplo. I. quòniam Apostoli, qui tamen veri fuerunt Theologi, neque Dialecticam, neque Philosophiam habuerunt; licèt juxta Domini pollicitationem illos Spiritus Sanctus omnem docuerit veritatem. 2. Augustinus disputans contra insaniam Manichæorum, qui gloriabantur se initium, finem, & mundi causam adinvenisse, ait lib. 1. de Actis contra Felicem cap. 10. *Non legitur in Evangelio, Dominum dixisse, mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu Solis, & Lunæ. Christianos enim nos facere volebat, non Mathematicos. Sufficit autem, ut homines de iis rebus quantum in schola didicerunt, noverint propter humanos usus.* Ad usum ergo Theologiæ humanæ rationis doctrinam nihil prodesse ex Augustino didicimus. 3. Narrat Socrates Historiarum lib. 1. cap. 8. quòd cum in Nicæna Synodo Dialectici quidam argumentantes omnia turbarent, ita illos simplex quidam Laicus compellavit: *Christus & Apostoli non artem nobis Dialecticam, nec inanem versutiam tradiderunt, sed apertam, ac simplicem sententiam, quæ fide bonisque actibus custoditur.* Quibus dictis assenserunt omnes, & ipsi Dialectici æquiore animo quieverunt. Hinc ista emergit argumentatio: Si Dialectica ac Philosophia Theologo aliquid afferret utilitatis & commodi, has disciplinas docuisset Apostolos Spiritus Domini, eisque Concilia ac Patres insurgentes hereses depulissent: Atqui oppositum omninò accidit: Ergo &c.

Rursùs confirmatur tertiò. A philosophia deteriora hæresum portenta promanârunt;

4. Confirmatio è portentis hæresum.

manârunt: Ergo tantum abest, ut Ecclesiæ sit utilis, quin potiùs ei nocet quammaximè. Prob. antecedens auctoritate, & experimento: Auctoritate, nam Tertullianus lib. de Anima cap. 3. Philosophos appellat *Patriarchas Hæreticorum:* Et cap. VII. de Præscript. hoc discrimen statuit Hæreticos inter & Catholicos, quòd hi in simplicitate Dominum quærant, illi autem inferant *Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit.* Ambrosius lib. 1. de Fid. cap. 3. & in Ps. CXVIII. scribit, Arianos in perfidiam ruisse, quòd elegerint disputationum tendiculas *secundùm Dialecticæ disciplinam:* & S. P. Aug. serm. 81. de Tempore asserit, ciniphes, qui tertia plaga vexârunt Ægyptios, designare Philosophos simul, & Hæreticos, qui verborum *stimulis animas terebrant.* Accedunt experimenta; etenim Aristotelicis inventis ad exitium, ac pestem abusi sunt Arius, Eunomius, Aetius, ut scribunt Rufinus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, & Socrates. Quapropter anno 1204. Philippo Augusto Rege Francorum, Aristotelis Metaphysicam Parisiis damnatam esse, narrat in libro de Gestis Philip. Rigordus. Esecta quoque Platonicorum prodiisse omnes ferè superiorum ætatum hæreses Valentini, Marcionis, Manetis, aliorumque nebulonum, initio primi libri de Trinitate ostendit Petavius. Auctoritate ergo, atque experimento compertum est singulas hæreses philisophorum tendiculis fuisse confutas.

5. Solutis objectionis 1mæ.

Resp. ad argum. nego ant. Sacræ enim literæ volunt Ecclesiæ Doctorem idoneum esse ad hortandum, docendum, corripiendum, ad distinguendas versutias sermonum, ac respondendum stultis juxta stultitiam suam. Monent tantùm, ne ad humanarum rationum momenta Christiana Fides potissimùm exigatur: quòd & nos præcepimus superiori propositione III. Itaque ad locum Eccles. repono, Ecclesiasten de felicitate hujus vitæ verba facere, & diligenti creaturarum omnium inquisitione hoc unum evincere, quòd omnia vana sint, obnoxia mutationi, ac spiritus afflictio, ita, ut in nullo hujus sæculi bono rationalis hominis vera consistere valeat beatitudo, idque contra eos, qui hanc sive in voluptatibus, sive in affluentia deliciarum, sive in humana locaverunt sapientia. Propterea non dixit *occupationem pessimam* esse, scrutari humana intelligentia cælestem, terrenamque creaturam, sed in ista occupari; idest, tanquam finem illam habere. De quo loco tum quòd apertissimus sit cuique legenti, tum quòd dissertissimè ut cetera omnia, expendatur à Cano lib. IX. cap. 9. satis mihi videor dixisse. Alterum Pauli ex Epist. ad Coloss. immeritò in nos detorquent, cùm ibi hortetur fideles, ut caveant ab Epicureorum secta; quæ per inanes fallacias Dei providentiam evertens à vera religione, quam Atheniensis conculcaverat Epicurus, plurimos retrahebat. Explodit ergo Paulus illam dumtaxat philosophiam, quæ adhæret falsis improborum hominum traditionibus. Quòd etsi vulgari populo Apostolus vetaret philosophiam, non idem judicium ferendum esset de Pastoribus, & Doctoribus; quorum non solum est credere, sed etiam reddere rationem poscentibus. Enim verò neque nos universis Ecclesiæ membris necessariam ducimus esse Theologiam, sed tantummodò Corpori. Addo, nos Philosophiam eodem fine in Scholis recipere, videlicet, ne quis nos seducat, *& decipiat per philosophiam, & inanem sapientiam*; faciliùs enim evitantur jaculla, quæ prævidentur.

6. Solutio confirmationis 1mæ.

Ad 1. Confirmationem dico, Patres illam tantùm philosophiam abjicere, quæ sola naturali ratione arcana fidei scrutatur; necnon fallacem Dialecticam, quæ tricis & sophismatibus ingenia implicat tardiora. Et meritò, cùm nata vix religione, Christiana Fides Paganos habuerit irrisores, hostesque implacabiles Hæreticos, qui in eam Platonis & Aristotelis nefaria dogmata inducere tentaverunt ex horum philosophorum officina prodeuntes. Ceterùm Philosophiam, & Dialecticam ancillam fidei, & veritatis indagatricem non semel commendaverunt, quippe qui optimè noverant esse contra sophistas veritatis sepimentum. Basilius ergo, Nyssenus, Cyrillus eo pacto loquuntur contra Arianos, qui per ideam humanæ generationis Divinum Verbum creatum esse temerè contendebant; statuebantque, ut ait lib. 1. de Fide Divus Ambrosius, *Omnem vim venenorum suorum in Dialectica disputatione.* In eo sensu ait Leo Magnus illuminatæ fidei oculum non esse fumo mundanæ sapientiæ offuscandum. Facillimum est ergo veteres inter se conciliare, si dicamus reprobari ab illis usum Philosophiæ tanquam pestilentem, ac noxium, quando sola credendi ratio in humana ratiocinatione concluditur; & cùm ad circumveniendos rudes callida, & versuta Dialectica identidem usurpatur: non verò procul amandandas esse mundanas disciplinas, cùm præsidio sunt Religioni, eique tanquam ancillæ deserviunt.

Addam

7. Confirmatio solutionis.

Addam nonnulla de Tertulliano, cujus præsertim testimonio inimici Scholastices abutuntur. Is citato libro de Præscript. Philosophos carpit, qui *gloriæ solius, & eloquentiæ libidinosi si quid in sanctis Scripturis offenderunt digestum pro instituto curiositatis ad propria verterunt: qui affectant veritatem, & affectando corrumpunt, qui de una via obliquos multos, & inextricabiles tramites scideruntt*; tales enim *fuisse illius ætatis Philosophos*, affirmat cap. XLVII. Apologetici. Quos ego non philosophos dixerim, sed philodoxos. Et in libro de Anima loquitur contra asserentes, eam esse mortalem, pertinaciter innixos solis sensuum animadversionibus, quibus observabant homines nasci, crescere, & mortalia appetere ad vitam alimenta: cujusmodi erat quidam medicus Soranus nomine; de quo cap. VI. ejusdem libri. At Tertullianum minimè usum improbasse philosophiæ satis constat. Primò quia in lib. de Resurrect. Carnis asserit, quòd *nos quoque provocant Hæretici philosophari*: quibus verbis, ait in Notis ad cap. VII. de Præscript. Jacobus Pamelius, *necessariam esse aliquam Philosophiæ scientiam satis indicat*. Deinde in eodem libro apertè sese explanat, ubi ait: *Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus, sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi: quod sit secundùm divinam, non contra divinam dispositionem; quædam enim & natura nota sunt, ut immortalitas animæ, &c.* Præterea Tertullianus ipse disputans contra Marcionem probat, dari non posse duo summa magna, quia hoc est esse summum magnum par non habere: probat lapsum hominis Deo non esse imputandum, quoniam Deo Coæternam esse bonitatem apparet ex universi factura: probat materiam non esse Deo Coæternam, quia is debet esse causa omnium, ut illum Deum confiteri possimus. Immortalitatem verò animæ nonné demonstrat in libro de Resurrect. Carnis ex Platone, ex communibus sensibus, ex hominum conscientia? Invehitur ergo in eos tantùm, quibus nulli assentiri dogmati libet, quod humana ratione non capitur; vel qui ventosa sapientia auram captant, & circumveniunt simpliciores, homines non solùm fidei, sed etiam Reipublicæ pernicioſissimi, expulsi olim à Thebanis, à Spartiatis, ab Argivis, ut idem Tertullianus scribit in suo Apologetico, atque imperante Domitiano ab ipsa Roma, ut refert Eusebius in Chronico.

Ad 2. Confirmat. Resp. nullo ex adductis momentis improbari in Theologo physiologiam. Nam primum ab exemplo Apostolorum in Adxersarios retorquetur. Apostoli non fuerunt Grammatici, non eloquentes sed ex tempore ad Philosophos ac Tyrannos revincendos sapientissimè loquebantur. Ergo si exemplum placet Apostolorum, ignorare debemus Grammaticam, esse barbaros, & repentè colloqui, implentes in nobis promissum Christi, Matth. X. v. 19. *Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini.* At non valet in nobis exemplum Apostolorum; nam illis omnia divinus Spiritus suggerebat: nos autem sumus hoc peculiari munere destituti. In secundo, ac tertio non est cur diutius immoremur; nam Augustinus jure reprehendit Felicem Manichæum; cùm nihil pertineat ad Christianam Fidem, de qua cum hæretico disputat, esse Mathematicum, & siderum cursum metiri: & Socrates loquitur de quibusdam dialecticis, qui licèt Scripturarum auctoritatem reciperent, spretis divinis literis, solis paralogismis conabantur adstruere Filii Divinitatem.

8. Solutio confirmationis 2dæ.

Ad ultimam Confirmat. dist. ant. A philosophia promanarunt hæreses, cùm aliqui sacras literas, ac traditiones arte dialectica tentarunt convellere, & credendi regulam in sola humana sapientia constituerunt; conc. E philosophia hæreses derivarunt, quum posita in divinis revelationibus ratione credendi, humanis disciplinis usi sunt in fidei præsidium ac fulcimentum, neg. Jam habes, quid respondeas ad utramque hujus antecedentis probationem. Tantùm nota, Magdeburgenses inter Tertulliani errores collocare, quòd affirmaverit, ex philosophia ortas hæreses; ut observat Pamelius in Notis loc. cit. Sed nos Tertullianum, aliosque commodiùs interpretamur.

9. Solutio confirmationis ultimæ.

Secundò respondetur, Hæreticos abuti etiam Scriptura sacra, ut scribit Hilarius ad Constantium Augustum: *Nemo hæreticorum est, qui se non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur*; & tamen sacras literas noxias, & inutiles esse nullus dixerit.

10. Objectio 2.

Opp. 2. Scholastica Theologia Fidei Catholicæ adversatur. Ergo meritò ipsi litem plures intentant. Pr. ant. Scholastices non est certè ad credendum necessaria; neque ad fidem formandam exigitur, dicente Tertulliano de Præscript. cap. 8. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium.* Deinde ejus perfectionem minuit, cùm perfectius

sit simpliciter credere, quàm veritatem inquirere: unde Cassianus serm. de Fide ajebat: *Quid mihi quærere, quomodò verum sit, quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verum sit, quod Deus dixit?* Ad hæc tollit ipsius fidei quodcunque meritum, auctore Gregorio Hom. 26. *Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum.* Denique removet à Dei cultu, cùm viri docti videantur contemplationi veritatum æternarum minùs dediti, & ad perfectam vitam capessendam parùm idonei. Sed facultas, & ars quæ ad fidem non exigitur, quæ minuit ejus perfectionem & tollit meritum, quæ reddit hominem erga Deum tepidiorem, Fidei censenda est adversari: Ergo, &c.

11. Solutio. Resp. nego ant. Ad ejus probat. singulas propositiones distinguo: Scholastices non exigitur ad Fidem, ideſt, non conducit ad nova dogmata invenienda; Esto. ideſt, nullo modo deservit ad defensionem, & explicationem eorum dogmatum, quæ sunt tradita; nego. Perfectius est simpliciter credere, quàm veritatem scrutari libidine rixandi, & contentionis prurigine, co. ad ipsius Fidei præsidium, & proximorum institutionem, nego. Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum rationis, & ubi hoc experimentum quæritur motivo incredulitatis; ut in Thoma, qui noluit credere Christum resurrexisse, antequam vulnera ejus palpasset, & de quo laudato loco sermonem habet Gregorius, id quidem verum est: ubi additur experimentum rationis ad revincendam obcæcatorum perfidiam; id falsum est. Viri docti quandoque tepidiores sunt ob doctrinam, quoniam hæc seipsa à Dei cognitione, & amore retrahat; Est propositio Moliniana sexagesima quarta ab Innoc. XI. proscripta in Bulla, *Cœlestis Pastor*, & injuriosa innumeris Ecclesiæ Patribus, qui pietatem ac sapientiam conjunxêre; opposita quoque naturali rationi, quæ docet majorem esse Dei amorem, ubi major est Dei cognitio. Removet aliquando à Dei cultu propter cupiditatem, vel curiositatem, cui nimis addicitur; concedo hanc propositionem, & nego consequentiam.

12. Objectio 3. Opp. 3. Saltem verum est, quod contra Scholasticos objiciebat Pappus Argentoratensis, Scholasticos ipsos nunquam inter se convenire, atque de rebus etiam ad fidem pertinentibus scandalosa contentione disserere.

13. Solutio. Resp. Id nobis ab Hæreticis opponi, quod in eos adamussim quadrare compertum est, cùm ad invicem contentionibus pugnent infensissimis, & ex una illorum secta innumeræ statim prodierint; ita ut repeti debeant verba Hilarii ad Constantium. *Periculosum nobis, atque miserabile est, tot nunc Fides existere quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse quot mores.* Vide de innumeris Navatorum placitis Historiam Variationum Jacobi Bossueti. Nos autem duo quæstionum genera distinguimus, alterum earum, quæ dogmata fidei comprehendunt, cujusmodi sunt, an Deus sit unus, an sit in divinis Personis Trinitas, an Verbum carnem assumpserit; alterum illarum, quæ in utramque partem absque fidei discrimine defendi possunt, veluti quando de virtuali ac formali attributorum divinorum distinctione, de præcipua Incarnationis Dominicæ causa, de simultanea rerum productione altercamur. Neque nos latet, Sanctum parentum Augustinum lib. de Peccat. Orig. cap. 23. scripsisse: *Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur*, (Cælestius) *quàm sunt illæ, in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur, quid verum sit, & sententia definitiva suspenditur, aut aliter, quàm est, humana, & infirma suspicione conjicitur.* Itaque in iis, quæ ad fidem spectant, quoniam certa nituntur revelatione, penitùs consentimus; sed in iis, quæ ancipiti hærent fundamento, iniquus est, quisquis in nobis unanimem sensum expostulat, maximè dum is in fidei capitibus dissentit ab aliis.

14. Objectione de barbarie vocabulorum. Dices: Quid sibi vult in pertractandis illa turpis, & lutulenta vocabulorum barbaries, *Entitas, quidditas, opus operatum, materialiter, formaliter*, aliorumque plurium, quibus à Scholasticis suo nitore, ac puritate expoliata est Theologia?

15. Solutio. Resp. Et his vocabulis suam subesse ideam, eaque, licèt obscuram reddant latinitatem, tollere sermonis æquivocationem, & planiori via exorta dissidia dirimere. Recordamur scripsisse Augustinum Enarrat. in Ps. 36. *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem perveniamus:* & lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba:* tum in lib. contra Adim. cap. 71. *Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est; nostris de rebus.* Attamen propter eos, qui ad Religionem, optimosque mores trahendi sunt & alliciendi, ornatum delectumque verborum laudamus; quamquàm ego eloquentiam nunquam ostentans

conten-

contentus ero duntaxat, ut, quod intelligo, declaretur. *Quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes, atque discentes; propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt;* inquit, S. P. cit. lib. IV. de Doctrina Christiana cap. 11.

16. Objectio 4. Opp. 4. Argumentorum tria sunt genera, primum, quod dicitur *demonstratio*, alterum proprium dialecticæ, ac *probabile*, tertium ad decipiendum, ideſt *sophisma:* Atqui ex his nullum in divinis rebus explicandis afferre potest utilitatem: Ergo debet Theologus omnium argumentorum genera deponere, & argumentantibus Scholasticis nuncium mittere. Minor probatur. Demonstratio propositiones exigit confessas, & certas, quæ sint conclusione notiores, & quæ vel inductione, vel sensibus, vel experientia reddantur manifestæ; quarum nulla in Fidei dogmatibus potest occurrere, eò quòd ad contemplandum difficiles sunt rerum divinarum rationes. Syllogismus verò ex opinabilibus, & verosimilibus procedens ad veritatis inquisitionem valdè est imbecillis. Atque sophisma, & fallax argumentatio in absurda dilabitur, & veritatem minutis ambagibus dissecat: unde elegantissimè in Præfat. ad Apoth. ait Prudentius:

Idcircò mundi stulta elegit Deus,
Ut concidant sophistica.

Igitur nulla argumentorum species videtur cum Theologicis disciplinis miscenda. Ita contra Scolasticos irascitur Græculus Scriptur Nicephorus Gregoras.

17. Solutio. Resp. nego min. Ad probationem dico, veram demonstrationem exigere quidem principia, quæ conclusione sint notiora; sed minimè opus est, ut hæc notitia manifesta sit sensu, atque experimento; nam ad scientiam per demonstrationem comparandam sat est, si principia nota sint lumine superioris scientiæ, quemadmodùm *Prospectiva procedit ex principiis notis per Geometriam, & Musica ex principiis notis per Arithmethicam*, ait D. Thomas qu. 1. art. 2. Porrò Scholasticæ Theologiæ principia fide, ac revelatione nota sunt, ideòque demonstrationes poterunt inde deduci. Si verò intendat Gregoras, has demonstrationes Catholicæ Fidei non suffragari; jam congruum in solutione 2. Oppos. habuit responsum. Argumenta verò probabilia proferuntur à nobis vel ad solam veritatis ampliorem confirmationem, vel ad probandum ea, quæ licèt salva fide possimus ignorare, utiliter tamen, ut dicam infrà, discuntur. Sophismate denique non utimur ad implicandos simpliciores, sed ad ipsos compescendos Sophistas.

18. Solutio. Contra Gregoram producunt Petavius cap. v. Proleg. & Auctor Bibliothecæ Theologicæ libro 2. sect. 1. Emmanuelem Calecam, qui robustiori oratione contra tetricos, qui nolebant processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio argumentationibus concludi, quemadmodùm præfato argumento contendit Nicephorus, plura veriora, ac solidiora depromit. Ostendit hunc esse sibi contrarium, quoniam contra argumentationem loquitur argumentando: demonstrat Paulum argumentatione redarguere eos, qui ex rebus aspectabilibus noluerunt agnoscere Creatorem: usum esse syllogysmis etiam Christum Lucæ cap. XI. v. 20. & Matth. cap. 22. v. 32.: reprehendendos fore Græcos omnes, qui Processionem Spiritus à solo Patre argutissimè conantur inferre, si nefas est processionem ab utroque argumentis conficere: colloquium denique, & communionem de medio tolli, si à Theologia syllogismi penitùs excludantur. Hæc breviter delibavi; propterea quòd argutatio Gregoræ, si firma esset, efficeret istud tantùm, non esse Scholasticen veram scientiam, quod cùm ex dictis, tum ex sequenti cap. poterit quisque conjicere falsum esse.

19. Objectio 5. Opp. 5. Recens admodùm est in Ecclesia Scholastices; atque, ut ei majorem tribuamus antiquitatem, Divi Joannis Damasceni ætatem nequaquàm præcedit. Supervacua est igitur, & ad labefactanda bonorum ingenia illepidè à Philosophorum Commentatoribus est adinventa.

20. Solutio. Resp. dist. ant. Nuperrima est, ac junior, quantùm spectat ad methodum, ac partium dispositionem, quæ pro Doctorum arbitrio, si ita lubet, potest etiamnùm immutari; concedo: est recens ac nova quantùm spectat ad ejus dogmata, vel usum, nego; dogmata enim, quæ propugnamus, perantiqua sunt, & usus ea ratiocinationibus confirmandi, ut dictum est Propos. 1. & 2., vetustissimus.

21. Urgetur. Insurges: Atqui Scholastici opus ac tempus conterunt in pluribus metaphysicis quæstionibus agitandis, quæ apud priscos Ecclesiæ Patres fuerunt prorsùs inauditæ.

22. Enervatur objectum. Resp. Has quæstiones in Theologiam ab ipsis Hæreticis fuisse inductas. Illi enim, ut rudes per elementa mundi à veritate traducerent, elegerunt aucupia verborum, ad quæ declinanda necesse

fuit sacram doctrinam pluribus dissertationibus exornari. Insurgentes enim E. G. Ariani, qui, ut scribit Epiphanius Hæres. 76. in disputandi palæstra diligenter exercitati in id incubuere, ut divini Verbi rationem nova doctrinæ imagine inverterent, & ejus divinitatem trecentis sophisticis argumentis nisi sunt impugnare, Theologos impulerunt, ut de divina, æternaque generatione subtiliùs & accuratiùs inquirerent. Idem dicendum est de Sabellianis, Nestorianis, & de Græcis, qui Spiritus Sancti à Filio originem præfractè negantes, in Theologiam disputationes de relationibus, de personarum notione, de principii unitate, aliisque similibus invexerunt. Quid? nonné ipsi Calviniani, ut Christi Corporis in Eucharistia præsentiam impugnent, ex idea Corporis, quod loci extensione circumscribitur, impossibilitatem illius præsentiæ in cælo ac in terra demonstrare conantur, provocantes nos ad investigandam corporum, ac specierum naturam? Desinant ergò nos vitreis hisce jaculis lacessere: quippè *didicimus singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret*, ait lib. 2. de Dono Persev. cap. 2. Augustinus.

23. Instantia. Insistes: In pluribus occupantut Scholastici, quæ non solùm inutilia sunt, verùm etiam futilia, ac propemodùm insana. Hujusmodi sunt supervacaneæ illæ quæstiones, quarum plerasque recenset ad cap. 1. Ep. 1. ad Tim. Desiderius Erasmus. Videtur ergò in Theologis ventosa illa loquacitas, quæ, ut ait D. Bern. sermone 58. in Cant., *sterilitatem magis intulit terris, quàm fertilitatem.*

24. Solutio. Primò respondere possem has quoque quæstiones plurimùm Theologo utilitatis afferre, quatenùs ingenium accuunt, & ad polemicam exercitationem juvenes reddunt instructiores. Nam & milites, priusquàm ineant cum hoste certamen, instruunt se apparenti hostilitate ad bellum; & nautæ, antequàm se navali prælio committant,

Tranquillo priùs arma lacu, clavumque, levesque
Exglorant remos, atque ipsa pericula discunt.

Ita nimirùm Constantino Grimaldo respondet Epist. 1. Aletinus. Bern. verò in eodem libro Serm. 36. satis Theologos commendat, dicens: *Non ignoro, quantùm Ecclesiæ profuerint literati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos.* Sed, ut liberalis sim adversariis; dico Erasmi argumento non impeti Scholasticam, sed eos, qui plures quæstiones prosequuntur, quas *nec juvenes portare possunt, nec senes ferre*, inquit Canus lib. IX. de loc. Th. cap. VII., ubi hæc aliaque Theologorum vitia expolito genere orationis castigat. Quamquàm in delectu quæstionum, quas notat Erasmus, sunt multæ ad depellendas hæreticas cavillationes necessariæ, ut demonstrat Petavius cap. v. Proleg. num. VI., quales sunt, an numerus Personarum in Divinis pertineat ad substantiam, an ad relationem; an potestas creandi possit communicari creaturis, an Deus generet Deum, & aliæ id genus quamplurimæ. Multas quoque in ludibrium vertit insulsis putidisque vocabulis, veluti quum eam quæstionem, possitne Deus assumere irrationalem naturam, ita proponit, an hæc propositio Deus est scarabæus, aut cucurbita, tam possibilis sit, quàm hæc, Deus est homo. Et tamen is est, qui de Colloquiorum utilitate ait: *Indecorum est, Theologum jocari.* Erit qui dicat, mirum non esse, vituperari Theologiam ab Erasmo; qui encomium fecit Moriæ. At ego homini non succenseo: justè enim ab illo Theologorum ordo lacessitur, si *tantùm jocatur in ociosas illorum disceptatiunculas; nec has ipsas tamen simpliciter improbat, verùm eos damnat, qui in his solis Theologicæ rei puppim, ut ajunt, & proram collocant, quique logomachiis, ut Divus appellavit Paulus, ejusmodi sic occupantur, ut nec Evangelicas, nec Propheticas, nec Apostolicas literas vacet legere:* qua moderatione sese excusat in Epist. ad Dorpium. Quod si dixisset ubique, gratias monenti referrem; neque ulla mordacitate fugillassem hominem in studiis sæpè, multumque versatum, hoc saltem in campo, in quo procax detractorum Scholastices illiberalitas me fecit nimiùm expatiari.

CAP.

CAPUT IV.

De iis, quæ in sacræ Doctrinæ Proœmio disputare Theologi consueverunt.

SUMMARIUM.

1. Theologia propriè ad scientiam refertur; at non ejusdem rationis cum aliis scientiis.
2. Opponitur, Theologiam non uti principiis per se cognitis. Solvitur hæc objectio.
3. Theologiam habere objectum singulare, objicitur, & respondetur.
4. Theologiæ habitus ad praxin simul, & speculationem reducitur.
5. Theologiam non posse participare duas oppositas differentias, objicitur, & respondetur.
6. Objicitur, Theologiam esse practicam, quia ordinatur ad Dei dilectionem. Respondetur.
7. Licèt Theologiæ principia lumine supernaturali innotescant, attamen illa ad naturales scientias pertinere videtur.
8. Opponitur, Theologiam habere majorem certitudinem, quàm naturalem. Respondetur.
9. Objicitur, Theologiam esse supernaturalem, quia est *scientia Sanctorum*. Respondetur.
10. Probatur supernaturalitas Theologiæ ex objecto, & principiis. Solvitur objectio.
11. Infertur supernaturalitas Theologiæ exinde, quòd scientiæ Beatorum sit subalterna.
12. Theologia sive speculatrix, sive moralis, sive polemica unus est habitus.
13. 14. Proponuntur, & solvuntur objectiones.
15. Statuitur objectum Theologiæ
16. 17. Afferuntur, & solvuntur objectiones.

An Theologia habeat rationem scientiæ, an sit practica, vel speculativa: an naturalis: an unus simplex habitus: an objectum Deus.

QUAMQUAM probè tueri possum nullas esse supervacaneas quæstiones, in quas Rhetoricantes Critici cristas efferunt; attamen ut omnem de me tollam suspicionem, velle de quæstiunculis, ut ajebat Erasmus, tanquàm pro focis, & aris certare, procœmiales uno tantùm capite expedio. Hujusmodi istæ sunt, an Theologia veram habeat rationem scientiæ, an ad praxim, vel speculationem pertineat, an naturalis sit, an sit unus simplex habitus, an ejus objectum sit Deus; quas modò paucis resolvo.

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Theologia propriè ad scientiam refertur; at non est ejusdem rationis cum aliis scientiis.

Probatur Theologiam referri ad scientiam, non tamen esse ejusdem rationis cum aliis scientiis.

Prior pars, quæ est omnium ferè Theologorum, prob. 1. auctoritate S. P. Augustini lib. XIV. de Trinit. cap. 1., ubi de Theologia ait: *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodò, quo fides salubertima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Deinde suadetur ratione: Scientia est habitus constans, qui ratione moveri, ac labefactari non potest: Talis est Theologia: Ergò est scientia. Altera pars, quam propugnat Gregorius noster Ariminensis, Frassenius, ceteriquè Scotistæ, ostenditur 1. contrà quosdam Divi Thomæ discipulos Angelici Præceptoris apertissimo testimonio in III. dist. 33. q. 1. *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis.* Secundò firmatur hoc ratiocinio: Nulla scientia, quæ habeat communem rationem cum ceteris, præcipuè innititur auctoritati; quippè si auctoritati innitatur, vel ad fidem spectat, vel ad sapientiam comparatam ex fide, dicentè Augustino in lib. de Utilit. credendi cap. 21. *Quòd intelligimus, debemus rationi, quòd credimus auctoritati:* Theologia divinæ auctoritati principaliter innixa est: Igitur Theologia non eamdem cum ceteris participat rationem scientiæ.

Opp. 1. Scientia quælibet ex principiis per se notis procedit: Theologia non utitur principiis per se cognitis: Ergò non est ullo pacto scientia. 2. Oppositio 1.

Resp. Dist. ma. Si ea sit scientia undequaque naturalis, conc. si ea sit, vel in rerum notitia, vel in suis principiis, extra naturalium scientiarum ordinem; nego. Fateor Theologiam habere principia, quæ artem, experimentum, humanamque rationem superexcedunt, quale est Divinum Verbum, sive scriptum, sive oretenùs traditum; sed est tamen immobilis in mente ratio, rectam præseferens ac firmissimam cognitionem. Quamvis enim Aristoteles, aliique Philosophi scientiam arbitrabantur, cui communis est, ac evidens in principiis intelligentia; hi naturalem describebant, cujusmodi potuit eis esse nota. Datur superior scientia nullis ænigmatum involucris obtecta, tantò scientiæ nomine dignior, quantò non percipit veritatem lumine rationis humanæ, quæ potest errare; *sed certitudinem habet lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest;* ut utar verbis S. Thomæ I. p. q. 1. art. 5. Atque hinc est, quòd Theologia neque est Fides, neque cum Fidei habitu incompossibilis. Non est Fides, quoniam hæc immediatè versatur circa principia Theologiæ, divinamque revelationem; scientia verò Theologica ergà veritates, quæ ex principiis illis inferuntur. Non est Responsio.

est incompossibilis cum Fide, quia Fidei habitus non consistit quidem cum naturali evidentia; benè tamen cum sapientia derivata ex principiis divinitùs revelatis.

3. Oppositio 2. Opp. 2. Singnlare est Theologicæ facultatis objectum: Sed de singulari objecto non est scientia: Etgo non est scientia Theologicæ facultatis.

Responsio. R. dist. ma. Theologiæ objectum est singulare, & unius generis cum rebus creatis variabilibus, contingentibus, & mutationi obnoxiis; nego: Singulare est, sed sempiternum ac perpetuum, atque immutabili æternitate consistens, concedo. Quòd si argumentum urgeas de aliquo Theologiæ partiali objecto, dist. min. Non est scientia de objecto singulari, in se ipso tantùm inspecto, concedo: prout subest divinæ infallibili revelationi, nego.

4. Propositio 2. PROPOSITIO II. Theologiæ habitus ad praxim simul, & speculationem reducitur.

Probatur Theologiam esse practicam, & speculativam. Ita Theologi nostri, ac Thomistæ, nec non Juenin, Petavius, Boucat, Habert, aliique Recentiores, contra Frassen, Henno, ceterósque Scotistas. Ac probatur 1. auctoritate Augustini, qui cap. ult. Enchiridii, ait: *Omnia præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus, Finis præcepti charitas:* Theologia de divinis quoque præceptis instituit disputationem: Ergo refertur etiam ad charitatem, quæ præcipuum est, ac maximum rationalis creaturæ officium. Probatur prætereà argumentatione Gregorii Ariminensis q. 5. Prologi artic. 4. Aliquis Theologicæ scientiæ actus nullius praxis est directivus, ut demonstratio hujusce veritatis, Deus est unus, Deus est trinus: aliquis è contrà ad praxim ordinatur, ut disquisitio hujus asserti, Christus colendus est adoratione latriæ; in quo exhibetur species adorationis debitæ Christo: Scientia quæ modò contemplatur veritatem, modò dirigit humanos actus, ex æquo refertur ad speculationem, ac praxim: Ergo theologica scientia ad praxim, & speculationem simul reducitur. Et corroboratur propositio. Theologus scrutatur ea, quæ sunt Dei, & prout est Prima Veritas, & prout est rationalis Creaturæ ultimus finis: Deus, ut est Prima Veritas, est terminus altissimæ contemplationis; ut verò est finis ultimus, est Principium, ac regula humanarum actionum: Ergo Theologus inquirit ea, quæ sunt Dei, quatenùs objectum est tum speculationis, tum praxeos.

Opp. 1. In eodem objecto reperiri nequeunt duæ oppositæ differentiæ, ejusmodi sunt speculativum, ac practicum. Igitur uni, eidemque scientiæ convenire non valent. 5. Opponitur 1.

Resp. dist. ant. In objecto inferiorum scientiarum, quod creatum est ac finitum, & in quo eadem veritas non est simul ratio speculationis, & actionis, transeat: in eodem objecto summo ac divino, in quo permanet scrutanda veritas, & ultimus universorum finis, nego. Vel cum Gregorio nostro idem antecedens distinguo: in eodem objecto relatè ad eumdem scientiæ actum; comparatè ad varios actus, ac partes; nego. Responditur.

Opp. 2. Qualiscumque Theologica veritas ad Dei cultum, ac dilectionem ordinatur: Est ergo Theologia tantummodò practica. 6. Opponitur 2.

Resp. dist. antecedens: Quæcunque Theologiæ pars ad amorem Dei cultumque refertur, excitans pium cordis affectum; concedo: exhibens charitatis regulas, ac præcepta; nego. Fateor universam sacram Doctrinam ad dirigenda virtutum officia multum conferre; non enim ignoro, Augustinum lib. III. de Doctrina Christ. cap. 10. ista proferre: *Hæc omnia ad charitatem nutriendam atque roborandam, & cupitatem vincendam, atque extinguendam valent:* Sed scientia undequaque practica ea est, quæ tota, ac natura sua ad usum, & vitæ exercitationem refertur, ut ea pars philosophiæ, quæ dicitur Ethica; ea pars Geometriæ, quæ traditur problematibus. Si enim ad constituendam practicam scientiam sufficit animum afficere, atque ad virtutum officia inflammare; jam nulla erit scientia non practica, quum omnis notitia veritatis rationalem voluntatem alliciat. Respondetur.

7. Propositio 3. PROPOSITIO III. Quamvis principia Theologiæ lumine supernaturali innotescant, attamen illa ad naturales scientias pertinere videtur.

Probatur Theologiam ad naturales pertinere scientias. Id asserunt omnes ferè Doctores contra Contens. dissert. 1. cap. 2. spec. 3. & P. Boucat. dissert. Præambula art. 3. concl. 3. ac primò ostenditur: Theologica scientia non habetur propter solam notitiam principiorum, quæ sunt divinitùs revelata, nam *hac scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimùm,* ut inquit lib. 14. de Trinit. cap. 1. Augustinus; sed propter connexionem illorum principiorum cum assertionibus indè illatis: neque enim assentimur huic conclusioni, *Christus risivus est,* quia Deus revelaverit; sed quoniam connectitur cum isto principio

nobis

nobis revelato, *Christus est homo:* Atqui connexio inter principia revelata, & conclusionem indè illatam naturali lumine nota est, ut vel ethnicus hanc possit animadvertere: Ergo naturalis est scientia, quæ per Theologiam comparatur. Ulteriùs S. Thomas disputans q. 1. art. 2. num Sacra Doctrina sit scientia, ait: *Sacra Doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & beatorum;* Sed ex quo Theologiæ principia nota sint lumine scientiæ Dei, & beatorum, non consequitur Theologiam viatoris hominis esse Dei, ac beatorum sempiternam visionem: Ergo ex quo principia Theologiæ supernaturali revelatione comperta sint, minimè infertur, ipsam Theologiam esse supernaturalem scientiam. Ad hæc: Acquiritur Theologia naturaliter, humano scilicet ratiocinio, institutione doctoris, discipulorum studio, ac labore: Scientia, quæ naturaliter acquiritur, naturalis est: Ergo naturalis est ipsamet scientia Theologiæ. Denique: Supernaturalis habitus à Deo infunditur: Habitus Theologiæ non infunditur: Igitur habitus Theologiæ supernaturalis non est.

8. Oppositio 1. Oppones I. Notitia perfectior naturali, censenda est supernaturalis: Theologia habet notitiam, & certitudinem perfectiorem notitia & certitudine naturali, Ergo habet notitiam & certitudinem supernaturalem.

Solutio. Resp. dist. min. Et hæc potior certitudo habetur de solis sacræ doctrinæ principiis, circa quæ versatur, fides, & non scientia, conc. Et hæc notitia perfectior, est de connexione horum principiorum cum assertionibus, indè illatis, in quam fertur habitus Theologicus, & non fides; nego: talis enim connexio cognita est naturaliter.

9. Oppositio 2. Opp. 2. Cum P. Boucat. Legitur Sap. x. v. 10 *Dedit illi scientiam Sanctorum*, quod rectè potest intelligi de Theologia, qualis traditur in scholis: Scientia Sanctorum est intrinsecè supernaturalis: Ergo &c.

Solutio. Resp. Hoc loco commemorari visionem Jacob, de qua cap. XXVIII. Geneseos; quando nempè vidit mysticam scalam, descendentes, & ascendentes Angelos, illique innixum Dominum gloriæ. Itaque scientia Sanctorum significat divinorum Mysteriorum revelationem. Est & Sanctorum scientia illa, de qua Job cap. XXVIII. v. ult. *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.*

Opp. 3. Contens. Theologia habet objectum supernaturale, qui est Deus, ut à fide cognoscitur; neque aliis principiis, ac motivis per se utitur, quàm supernaturalibus Fidei articulis: Erit ergo supernaturalis & ipsa. 10. Oppositio 3.

Resp. dist. ant. Et ipsum objectum, principia, & motiva supernaturalia spectantur à Theologia immediatè ac proximè, ratione divinæ revelationis, prout referuntur ad Fidem; nego: remotè tantùm, & ratione connexionis, quæ naturali acumine percipitur, & qua comparatur scientiæ habitus; conc. Vide, si lubet, contra Contenson Clarissimum Virum Cardinal. Gotti Qu. 2. de Nat. Th. dub. 3. Solutio.

Opp. ult. Theologia est, ut scholæ loquuntur, scientiæ beatorum spirituum subalterna: Hæc est supernaturalis: Ergo etiam illa. 11. Oppositio ultima.

Resp. nego ma. Enim verò Scientia subalterna, (ut appellant,) à superiore sumit principia; ut medicina à naturali philosophia, prospectiva à geometria, ars frenofactoria ab equestri. Theologiæ verò non suppeditat principia Scientia beatorum, qui Deum revelata facie intuentur, sed Fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Vel data & ma. & min. nego cons. quippè etiam naturalis scientia, referri potest ad supernaturalem, tanquam ei subalterna, si, quemadmodùm Theologia, principiis supernaturalibus innitatur. Solutio.

PROPOSITIO IV. Theologia sive speculatrix, sive moralis, sive Polemica unus est habitus. 12. Propositio 4.

I. Probatur: Omnium Theologicarum veritatum idem est objectum, de quo mox quæram; eadem principia, nimirum divinæ revelationes: Sed ex unitate objecti, atque ex unitate principiorum infertur unitas scientiæ, vel habitus: Ergo, &c. 2. Ita corroboratur: Eadem intellectualis potentia sese extendit ad plura perceptibilia, tametsi unum est altero difficilius: eadem sensibilis facultas, puta oculus, vel auris, ad singula colorata, ac sonora; unus Fidei, aut Charitatis habitus ad omnia, quæ oportet credere, & quæ jubemur diligere, licèt unum præ alio ad videndum, credendum, & diligendum magis sit arduum. Una ergo eademque Theologia sat est ad omnes assequendas veritates, quæ ad suum pertinent objectum. Probatur Theologiam speculativam, moralem, seu Polemicam unum esse habitum.

Opp. 1. Theologia thetica ac positiva, & Theologia scholastica discriminantur ab invicem. Etenim una amplior est & loquentior, altera rixis, & argumentis asperrima; illa scripturis utitur, hæc naturali quoque ratione; 13. Objectio 1.

prior planior videtur & certa, secunda anceps ac sinuosa: Ergo diversam habent methodum, diversa principia, diversam difficultatem; quæ omnia etiam distinctionem arguunt habituum.

Solutio. Resp. hæc omnia solam accidentariam diversitatem inferre; delectus enim verborum non parit Theologiam, sed ad instar vestis exornat. Neque obest habituum unitati diversa actuum difficultas; cùm una E. G. Charitatis in amicos pariter & inimicos feratur, quorum illi lubentissime diliguntur, hi difficulter. Naturali autem ratione non utitur Theologus per se, sed secundariò duntaxat, idest, tanquam instructus philosophia. Hanc tamen, ut inquiunt, elevat, ac revelatis principiis adnectit; quorum ductu omnia refert ad idem objectum, ex quo unitas scientiæ promanat.

14. Objectio 2. Opp. 2. Tametsi eadem humana ratio ad naturales scientias comparandas conducat, & eadem infusione primus homo omni naturalium rerum notitia donatus fuerit, nihilominùs scientiæ naturaliter acquisitæ, & scientiæ infusæ in Adam constituunt diversas scientiarum species. Ergo etiamsi ex eadem divina revelatione Theologus res omnes discutiat, erit tamen Theologia diversarum scientiarum complexio.

Solutio. Resp. nego paritatem: Etenim naturalis ratio, & infusio omnium scientiarum in Adam, est causa effectrix, non specificativa & formalis; ista namque non est lumen, sive naturale, sive supernaturale illud sit, sed tendentia in objectum: ac præterea naturales scientiæ objecta plura habent, quorum unum non refertur ad aliud. E contrà in Theologia divina revelatio est etiam causa formalis; & quæcunque in ea pertractantur, singula in idem objectum collineant.

15. Propositio 5. Propositio V. Hujus scientiæ objectum attributionis est Deus: objectum adæquatum est omnis conclusio, quæ inferri potest ex propositionibus fidei: objectum formale est ipsa revelatio Divina.

Statuitur & probatur objectum Theologiæ. Ostenditur prima pars: Attributionis objectum illud appellant, ad quod omnia revocantur, quæ in aliqua scientia expenduntur: Omnia, quæ expendit Theologia revocantur ad Deum vel unum, vel Trinum, vel omni perfectione exornatum, vel Conditorem universorum, vel finem ultimum rationalis creaturæ, vel humani generis Reparatorem, &c. Ergo Deus est objectum attributionis Theologiæ. Pars altera sic probatur: Adæquatum alicujus disciplinæ objectum illud est, in quo illa tota versatur; Theologia sistit tota in propositionibus, quæ deducuntur ex notis fide principiis: Ergo sunt hæ objectum hujus disciplinæ adæquatum. Posterior pars hac ratione monstratur: Objectum formale dicitur illud, cujus ratione scientia attingit objectum adæquatum: Theologia attingit objectum adæquatum ratione Divinæ revelationis: Ergo, &c.

16. Objectio 1. Opp. 1. Basilius Epist. 141. Cyrillus Alex. lib. 1. in Joan. Nazianz. Orat. xxxviii. Ephrem Antiochenus in Epistol. adversus Eutychianos, aliique plures affirmant Incarnationis mysterium nullatenùs ad illam Theologiam pertinere, quæ est de Divinitate scientia: Ergo non omnia, quæ inquirit Theologus, ad ipsum Deum revocantur.

Solutio. Resp. Theologiæ vocabulum, si vocis etymon expendatur, significare tantùm de Divinitate rationem: si verò pro hac scientia usurpetur, denotare de Deo, & de iis, quæ ad Deum spectant, disputationem ex Fide cognitis derivatam, ut dixi priori cap. Itaque Græci Patres duas in Christo contra Eutychianos discernentes naturas, divinam scilicet, & humanam, admonent, quòd disputare de illa pertinet ad Θεολογίαν, agere de ista spectat ad οἰκονομίαν, & maxima, prudentique advertentia à Theologia Christi Incarnationem secernunt. Hinc dist. ant. Et laudati Patres *Theologiæ* vocabulum appositè usurpant secundùm vocis etymologiam; conc. juxta peculiarem notionem Theologicæ disciplinæ; nego antecedens.

17. Objectio 2. Opp. 2. Existentia objecti non probatur ab ulla scientia, sed præsupponitur: Theologia probat Dei existentiam. Ergo Deus non est Theologicæ scientiæ objectum. Et confirmatur, quandoquidem consideratur Deus ut auctor naturæ, atque ut auctor supernaturalis; Ut auctor naturæ percipitur naturali ratione, ut auctor supernaturalis attingitur Fide.

Solutio. Resp. omissa ma. dist. min. Theologus demonstrat divinam existentiam ex principiis extraneis, ac philosophicis, quæ ultrò ad sublimiorem doctrinæ ubertatem divinis literis, & sacræ disciplinæ apparatu exornat; conc. ex propriis, sibique intrinsecis principiis; nego. Ad Confirmat. dico, Deum esse objectum Theologiæ ac Fidei, sed diversimodè: Fidei, inquit Sylvius, quatenùs revelatur immediatè: Theologiæ, quatenus percipitur per discursum, qui fit ex articulis Fidei, tanquam principiis: quod ego præmonueram Prop. I. Resp. ad 1. At de his satis, ne clamitet Erasmus: *Nunc neque quæstiuncularum ullus est finis*, cit. ad Dorpium Epist.

CAP.

CAPUT V.

De variis Propositionum generibus, quæ à Theologo propugnari debent, vel impugnari.

SUMMARIUM.

1. Quænam propositiones à Theologo propugnandæ. item quomodò differant articuli fidei ab Ecclesiæ dogmatibus.
2. Propositiones fidei ad septem gradus aptè reducuntur.
3. Ex Patrum sententiis tres propositionum ordines sunt distinguendi.
4. Quas propositiones impugnare debeat Theologus?
5. Quænam propositio sit hæretica?
6. Quænam erronea?
7. Quænam temeraria?
8. Quænam seductiva simplicium?
9. Quænam injuriosa?
10. Quamlibet propositionum censuram ferre ad nullum privatum hominem pertinet?

1. Quænam Propositiones à Theologo propugnandæ: item quomodò differant articuli fidei ab Ecclesiæ dogmatibus.

NON abs re factum puto, si Theologica Asserta sub Propositionum titulo expositurus, diversas harum species, quantum spectat ad Sacræ Doctrinæ canditatos, nunc explanabo; cùm ea, quæ de hac argumentationum parte dicuntur in scholis, ùt ad nexum syllogismorum adsumuntur, nota sint ex dialectica Institutione. Itaque propositionum quædam sunt propugnandæ Theologo, quædam refutandæ. Prioris generis sunt articuli nostræ Fidei, dogmata Catholicæ Ecclesiæ, sententiæ Patrum, Communia doctorum scita, & quæ insuper, salva veritate, utiliter in alterutram partem videbuntur, absque rixandi prurigine, exagitanda. De his omnibus paullulùm verba faciam; quoniam ad eam Theologiæ partem attinent, quæ de Locis Theologicis solet inscribi, & quæ non exiguam expostulat à nobis operam, si pro rei dignitate, atque dissertationum copia volumus illam exornare. Est ergo Articulus Fidei principalis quædam veritas omnibus ad explicitè credendum proposita, & distinctam præseferens difficultatem: cujusmodi sunt quæ in Apostolorum Symbolo continentur; in quo idcircò passio, mors, ac sepultura Christi ad unum Articulum spectant, propterea quòd si Filium Dei suffixum Cruci, & verè dolorum nostrorum credas fuisse participem, nulla hæsitatione fateberis esse, posteaquàm emisit spiritum, conditum munumento. Differunt autem Articuli Fidei ab Ecclesiæ dogmatibus, quòd illi primarii sint, ac veluti rerum credendarum Capita singulis fidelibus proposita, eisque ad consequendum æternam salutem necessaria: at Fidei dogmata latiùs pateant, eaque dicantur, quæ ad illa capita reducuntur, continentia quidquid Catholici profitentur; E. G. Deum esse in Personis trinum, in Christo duas naturas, ac voluntates existere; aliaque hujusmodi. Ità nempe Conceptio, & Nativitas Christi, erunt Fidei articulus: quòd nascens fuerit reclinatus in præsepio, pannis involutus, adoratus à Magis, &c. dogma Catholicum. Quapropter supervacaneum est disputare, An singula fidei dogmata sint propriè articuli Fidei: quam tamen quæstionem pertractat Petrus Annatus in suo Apparatu Lib. 1. art. VIII. & ex eo Cardinalis Vincentius Gotti in Tractatu Isagogico dub. VI.

2. Propositiones fidei ad 7. gradus aptè reducuntur.

Porrò propositiones Fidei Joannes de Turrecremata Sum. Eccl. p. 2. cap. 9. ad septem gradus redegit, quos apposite distinctos arbitramur, etiamsi Canus lib. XII. cap. VI. more Jurisperitorum traditos putat, & minutiùs in tenuissimas concisos particulas. Est itaque primus ordo propositionum Fidei earum, quæ in sacris libris habentur expressæ, E. G. *Verbum erat in principio: Verbum caro factum est.* Secundus earum, quæ ex sacris literis certissima consecutione inferuntur, E. G. *Christus est omnium Redemptor: Ejus corpus in Eucharistia continetur.* Tertius illarum, quæ constant Divina, & Apostolica traditione, E. G. *Libri, quibus modò utitur Romana Ecclesia, sunt revera divini: Tenenda est perpetua Deiparæ Virginitas.* Quartus earum, quæ definitæ fuerunt in generalibus Ecclesiæ Conciliis E. G. *Animæ in Purgatorio detentæ juvantur Sanctorum precibus: Statim, ac purgatæ sunt, beata perfruuntur visione.* Quintus earum, quæ statutæ sunt irrefragabili Romanæ, & Apostolicæ sedis auctoritate, ut, *Hæresim continent quinque Jansenii propositiones: Hæ à recta fide in sensu Auctoris aberrant* Sextus earum, quæ probantur unanimi Sanctorum Patrum consensu, accedente Ecclesiæ judicio. Postremus denique illarum, quæ ex tertio, quarto, quinto, ac sexto genere firmissimam habent consecutionem.

Ex Patrum verò sententiis tres propo-

3. Ex PP. sententiis tres propositionum ordines sunt distinguendi.

sitionum ordines videntur distinguendi. Unus illarum, in quibus universi conveniunt; & hæ certissimæ sunt, neque absque Fidei discrimine, ut nuper diximus, possunt negari. Alter earum, in quibus multi ex Patribus consentiunt, ceteris reclamantibus; quæ erunt plus, minúsve probabiles, pro Patrum majori, aut minori numero, & auctoritate: inter quos illi erunt ceteris præferendi, qui occasione insurgentium hæresum idem argumentum accuratissimè pertractarunt. Postremus est illarum propositionum, quæ ab uno tantùm vel altero proferuntur, vel incidenter explanantur; quæ parùm firmæ sunt, & absque temeritatis nota negari poterunt. Doctorum autem Scholasticorum placita in duplici sunt differentia, communia scilicet, quibus universi subscribunt; atque uni, vel alteri particularia: quorum illa pro firmissimis habenda sunt; altera nullam penès nos habent auctoritatem, nisi ubi validissimo rationis præsidio corroborantur. Sed hæc omnia opportuniori loco à nobis explicabuntur.

4. Quas propositiones impugnare debeat Theologus.

Ad illas modò propositiones, quas impugnare debemus, orationem converto: sunt autem propositiones: *Hæreticæ, erroneæ, sapientes hæresim, temerariæ, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, seductrices simplicium, impiæ, blasphemæ, injuriosæ, Schismaticæ, Judaicæ, Atheæ, imbrobales.* Quarum notarum plures uni, eidemque propositioni possunt competere: undè de Wiclephi articulis legitur in Concilio Constant. sess. VI. *Notoriè hæretici, & à Sanctis Patribus reprobati; alii non Catholici, sed erronei; alii scandalosi, & blasphemi; quidam piarum aurium offensivi; nonnulli temerarii, seditiosi &c.* Definivit quoque Innocentius X. Jansenianas propositiones esse *Hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, blasphemas, impias, contumeliosas, Divinæ Pietati derogantes, immittentes offensionem in aures pias.*

5. Quænam propositio sit hæretica

Quænam sit *hæretica* propositio ex dictis facilè conjicitur. Cùm enim propositio de Fide ea sit, quæ in sacris literis, in receptis ab Ecclesia traditionibus, in decretis ac definitionibus Ecclesiæ expressè continetur, aut indè certa, manifesta, firmissimaque consecutione deducitur; illa propositio hæretica censenda est, quæ uni ex iis è diametro deprehenditur esse contraria, exempli gratia hæc: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio, neque in decursu suæ vitæ,* quæ adversatur apertissimo Charitatis præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Est autem quælibet hæretica, quemadmodùm & Catholicæ Fidei propositio, vel in materia Juris, vel in materia Facti cum Jure conjuncti, quod modò appellant Dogmaticum. Si quis autem hujusmodi aliquam propositionem enuntiat, non continuò dicendus erit hæreticus; cùm hæresis sit *error in Fide cum pertinacia:* quorum unum, videlicet quòd sit *error in Fide*, spectat ad ipsius propositionis naturam; alterum, idest, *pertinacia*, ad proferentis perfidiam. Est igitur propriè hæreticus, quisquis errori circa Fidem pertinax, ac protervus adhæret. Atque huc spectant propositiones sapientes hæresim, & hæresi proximæ; illæ nempè, quæ damnatis hæresibus valdè videntur affines.

6. Quænam erronea.

Propositio *erronea*, ut ratione & re ab hæretica secernatur, videtur ea, quæ opponitur veritati, quam unanimis Sanctorum Patrum, ac Doctorum sententia existimat revelatam, sed nondum Ecclesia talem esse definivit. Hujus propositionis notio non eadem est omnibus, sed quam nuperrimè tradidi, videtur communiùs recepta. Gaspar Juenin suarum Instit. p. 1. dissert. V. quæst. II. reprehendit Canum, quoniam erroneam propositionem putat esse illam solam, quæ adversatur alteri, qua non evertitur Fides Catholica: sed, me quidem judice, immeritò. Quiuppe Canus plures errorum gradus constituit: in quorum altero eamdem erroneæ propositionis tradit notionem, quam approbat Juenin. Is enim, *Propositio*, inquit, *erronea est ea, quæ negat veritatem, quam communis Ecclesiæ sensus judicat esse mediatè revelatam, quamvis Ecclesia id nondum definierit.* Et Canus pariter libro XII. cap. X. *Quum veritas aliqua, sapientum quidem opinione vehementi, Fidei veritas est, sed non est planè ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata; tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed erroneum.* Conveniunt ergo adinvicem; neque Juenin animadvertit varios illos errorum gradus, quos Canus distinguit: in quorum primo locat errores, quibus Fides quatitur, sed non evertitur, idest, qui Catholicæ veritati adversantur, sed tamen non sunt hæreticæ; veluti si quis dixerit: *Non licere Fratribus ex mendicitate vivere, ac teneri victum quærere labore manuum.* Quænam tamen sint propositiones adversæ veritati Catholicæ, quatientes Fidem, & immunes ab hæresi, non tam apertè rationi nostræ succurrit;

currit; quamquàm habet fortassè Canus, quo propriam tueatur opinionem.

7. Quæ temeraria. *Temerariam* propositionem illam dicunt, quæ nulla ratione, nulla auctoritate affirmatur, & quæ communi opponitur Doctorum sensui, ut velle futurum judicii diem absolutè definire? item quæ contra Ecclesiæ decreta in disputationem vocatur, ut asserere *Mariam semper Virginem fuisse originæli labe contaminatam.* De quo Apostolica Sedes, etsi nondum contrarium statuit, vetat ne disceptetur. Rursùs quæcunque insolenter, & nimium audacter profertur, ùt contendere *beatam Virginem non esse in cœlos cum corpore assumptam.* Observat Cardinalis Gotti in has quandoque prorumpere cùm intemperatæ critices studiosos, tum Morales quosdam Theologos, qui leviſſimis permoti conjecturis novas doctrinas inducunt. Vocatur *scandalosa*, quæcunque occasionem præbet proximo spiritualis ruinæ, aut illum removet ab exercitamento virtutum: talis esset adoranti Eucharistiam dicere: *Quisnam scit hanc hostiam esse reverà consecratam?* vel jejunanti juxta Ecclesiæ consuetudinem suadere, multa sequi incommoda valetudinis ex præcepta corporis afflictatione. *Piarum aurium offensiva* est, quæ obscœnum aliquod & indecorum in verbis continet; à qua iis præsertim cavendum est, qui agunt de sexto præcepto Decalogi. Maxima etiam cura ab isto propositionum genere abstinere se debent, qui de Partu Virginis disserunt, ne sacratissimum mysterium aliqua corporearum partium commemoratione polluatur.

8. Quæ seductiva simplicium. *Seductiva simplicium* est, quum error fraudolenta verborum æquivocatione ad circumveniendum rudes contegitur; ut cum Nestorianis asserere *Mariam esse Dei susceptricem*, aut cum Semiarianis, *Verbum esse Patri Homœusion*, ideſt, simile; quasi non genuisset Virgo personam Verbi, & istud Patri consubstantiale non esset. *Impia* est, quæ removet à Dei cultu, & à charitatis ergà homines officiis: E. G. *Animæ unitæ abstinere se se debent à bonorum operum exercitio: Non est eleemosyna ex omnibus superfluis in pauperes eroganda. Blasphemam* appello & propositionem, quæ in Deum, vel Sanctos convitium ejaculat; cujusmodi est illa, *Deus est auctor peccati, & prædestinat pro suo beneplacito, quem libuerit ad sempiterna supplicia*, aut, *Gregorius Magnus fuit primus inter Pontifices Antichristus.* Auctor Biblioth. Theolog. inter blasphemas enuntiationes illas connumerat, quibus sacra irridentur; ut quod Sanderus lib. III. de Schismat. Anglicano refert de Elisabetha, quæ cùm adepto Regno sacro oleo inungeretur, dixit circumstantibus nobilioribus ancillis, *Abite, ne fætor hujus olei vos offendat.*

Injuriosa est ea propositio, quæ detrahit honori illorum, qui in Ecclesia insigniti sunt charactere, vel dignitate, videlicet Summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & universo Ordini Clericorum, vel Monachorum. *Schismatica* porrò est, quæ scissioni Corporis mystici Ecclesiæ viam sternit, ac ejus membra disrumpit, veluti si quis dicat legitimum *Romanum Pontificem esse Antipapam: Regem Angliæ esse in sua ditione verum caput Ecclesiæ. Judaicam* propositionem dicimus, qua etiamnùm asseruntur antiquæ promissiones, aut cæremoniæ, ùt, *Nondum advenit Messias: Circuncidendus est infans. Athea*, est, quæ Dei existentiam, aut providentiam tollit, ùt, *Non est Deus. Fortuitò eveniunt singula. Post mortem corporis nihil. Improbabilem* liquet esse propositionem absque ulla veritatis imagine pronuntiatam. At qui harum omnium uberiorem peroptat expositionem, legat Canum lib. XII., Annatum lib. 1. art. V. Turrecrematam Sum. Eccles. lib. IV. p. 2. Dominicum à SS. Trinit. lib. 2. Bibl. sect. VII. Juenin in Proleg. dissert. v. Gotti quæst. 1. dub. v. aliosque.

9. Quæ injuriosa.

Pro hujus capitis coronide sedulò animadvertendum est, ferre quarumlibet propositionum censuram ad nullum privatum hominem pertinere; sed ad evitanda contentionum scandala servandum ubique esse Innoc. Papæ XI. monitum in Decreto, quo LXV. morales propositiones damnavit: *Vt ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicunque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, necnon à quibusvis convitiis contrà eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Quæ cùm ita sint, videant qua mutua charitate sese invicem prosequantur proni quidam, & contentiosi Theologi, qui aliorum dogmata judicio Ecclesiæ adhuc immunia, vocant Calviniana, Pelagiana, Jansseniana, & si quid est aliud auditu horribilius.

10. Ad nullum privatum hominem pertinet ferre censuram quarumlibet propositionum.

A quorum consuetudine est mihi longo itinere recedendum; & si aliquando æstu disputationis abreptus in idem, quod damno, crimen diliabar, hanc à lectoribus meorum opusculorum gratiam deprecor, ut inconsulto loquenti humanissimè indulgeant. Ita enim spero fore, ut mihi hanc ipsam vicem rependant, & errantem me ad semitam veritatis hac solertia, & cautione reducant. *Quis enim non sentiat*, ait lib. de Peccato Origin. cap. 23. Augustinus, *in his, atque hujusmodi variis, & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, & multa ignorari salva Christiana Fide, & alicubi errari, sine aliquo hæretici dogmatis crimine.*

CAPUT VI.

De requisitis ad assequendum Theologicas veritates dispositionibus, atque de hujus nostri Operis instituto.

SUMMARIUM.

1. De dispositione mentis in Theologo requisita.
2. Linguæ, præsertim Hebraica, & Græca, Theologo utilissimæ
3. Utilis etiam est Mathesis.
4. 5. 6. In Theologo requiritur cordis mundities, inanis gloriæ contemptus, & discendi ardor.
7. 8. 9. De Theologiæ partibus, ac de instituto, & ordine hujus operis.

1. De dispositione mentis in Theologo requisita.

UT in propugnandis veris, atque in refutandis errorum dogmatibus cum doctrinæ laude, & moralium virtutum incremento versetur quisquis ad Theologicas disciplinas convertitur; operæ pretium est, ut mentem, ac voluntatem certis quibusdam regulis, ac præceptis ad has capessendas disponat. Principio quantum ad mentem attinet, deserviunt Theologo omnes naturales scientiæ, de quibus non incongruè beatus Thomas quæst. 1. artic. v. interpretatur verba Proverbiorum cap. IX. vers. 3. *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad moenia civitatis.* Aliquæ tamen sunt Theologo necessariæ; aliquæ utilissimæ; aliquæ ornatum addunt solummodò. Necessaria est dialectica, & naturalis Philosophia; quæ duo Scholasticæ methodum, & humanas rationes suppeditant, ut cap. II. demonstravi. Assiduum præterea studium in sacris literis, in Apostolicis traditionibus, in Romanorum Pontificum statutis, in Sanctorum Patrum sententiis, in Historicis monumentis collocandum est; indè enim veluti ex perennibus fontibus argumenta exhaurit Theologia. Nam si humanis rationibus primò insistimus, potiùs erimus contentiosi philosophi, quàm sacrarum doctrinarum cultores. Cavendum est igitur, ne Theologiæ ingressus limina in sinistram deflectat partem, ubi degunt ii, *Qui*, inquit Cyrillus Alex. lib. II. Thesauri; *Nihil aliud, quàm Aristotelem ructant, & istis potiùs disciplinis, quàm Scripturarum scientia sese venditant.*

2. Lingua Hebraica & Græca Theologo utilissima.

Utilissimæ videntur Theologo linguæ, præsertim Hebræa, & Græca: illa ad majorem divinarum Scripturarum intelligentiam, hæc etiam ad Sanctorum Patrum lectionem. Quamquàm enim Vulgata nostra authentica est, ceterisque Sacrorum Bibliorum versionibus longè præstantior, necnon præclara Græcorum Opera Latina fecit Scriptorum industria; utilis tamen est linguarum notitia ad cognoscendas idiomatum proprietates, ad evitandum errorem ex amphibologia latini sermonis, atque ad intelligenda quædam vocabula propria, quæ in sola lingua, à qua derivantur, etymologiam servant, & tamen ipsa nunquam immutantur, ut *Adam, Abel, Cain &c.* & quædam alia, quæ commodè in alienam linguam transferri fortè non poterant, vel saltem in gratiam antiquioris linguæ etiamnum perseverant, ut *Raca, Anathema, Marana, Mammona.* Hinc S. P. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11. trium linguarum Hebræicæ, Græcæ, & Latinæ magnoperè studium commendat, easque in causa mortis suæ Christus ipse videtur probasse. Viennense Concilium, ut habetur in Clement. 1. Tit. de Magistris, statuit, ut in præclarissimis Universitatibus Bononiensi, Parisiensi, & Salmanticensi trium harum linguarum pararentur præceptores; quod ut servetur in generalibus Religiosorum studiis non semel decreverunt Pontifices, quorum statuta recitat in sua Medulla linguæ Sanctæ Paulus Mediceus. Gregorius item XIV. Seminarii nostri Bononiensis

Insti-

Institutor, præcipit, ùt Hebrææ linguæ Novitiis rudimenta tradantur. Id verò hoc præsenti tempore specialiter est executioni mandandum; quum Hæretici continuò nos ad Hæbraicos, Græcosque Codices provocent, freti hac linguarum peritia, & Patres Latinæ Ecclesiæ contemnentes, qui ea præditi non fuerunt, ùt constat in editis contrà S. P. Augustini Opera à Joanne Pherepono Animadversionibus, tali audacia conscriptis, ut non solùm Catholicis viris, verùm etiam nonnullis Hæreticis stomachum moverint. De advocando autem Latinæ orationis præsidio hoc loco non loquor; nam auditoribus nostris ea lingua disciplinæ traduntur. Vellem tantùm, ut de se ipso scripsit Petavius in Proleg. cap. VII. num. x. scribendi, ac dicendi stylus *neque barbarus, ac non latinus esset; & oratorio tamen ille fuco, ac non latinus esset; & oratorio tamen ille fuco, ac pigmentis careret.*

3. Utilis est etiam Matheseos.

Pari ratione de cæteris quibusdam facultatibus arbitror esse judicandum; de utilitate Matheseos ostendit erudita dissertatione Rabbius vir doctrina, ac morum suavitate conspicuus. Demonstrat enim quantum utilitatis afferant Theologo Geometria, Cosmographia, Arithmetica, & cæteræ mathematicæ disciplinæ. Hæ tamen valdè humilem ac prudentem hominem requirunt. Ut enim exemplum proferam de Arithmeticis; habent quidem omnes Sacrarum literarum numeri aliquam significationem, quam ingeniosè exponit aliquando Augustinus in numero E. G. septenario, quadragesimo, trigesimo octavo &c. at si quis arbitratur numeros ubique eamdem significationem præferre, is meo judicio decipitur. Etenim quis probet, binarium V. G. exitiosissimum esse, ut conatur demonstrare Petrus Bongus in libro de Numerorum Mysteriis, ex eo quòd duo sunt duces dæmoniorum Behemot, & Leviathan, duo genera delictorum proprium & alienum, duæ damnatorum pœnæ sensus & damni: & quia duo cæci clamabant in Hierico secùs viam, duæ mulieres fornicatæ sunt in Ægypto Oolla, & Oliba, duos menses puella Jephte flevit virginitatem suam, duobus testibus damnatur reus? Profectò si hoc modo nugari fas est, dicam ego è contrà optimam esse dualitatem, quoniam Deus duplicem condidit creaturam, spiritualem, & corpoream; duplicem in se naturam copulavit divinam, & humanam; necnon in duobus mandatis universa lex pendet; duo ad efficiendum Sacramentum concurrunt, verbum, & elementum; duo indè effectus promanant gratia, & character; duo viri fertilissimam Palestinæ terram primitùs invenerunt; duo fuêre Hebræorum salvatores, Moyses, & Aaron; duo Apostoli, qui prima vice secuti sunt Christum, Petrus & Andreas; duo sunt rerum omnium principia, materies ac forma. Et quòd dictum est de binario, de omnibus aliis numeris in quodam meo Ms. contrà Bongum opusculo demonstravi, probans nullam certam significationem inesse numeris, nisi quam Sacræ literæ, ac Patres deprehenderunt; eamque non ratione numerorum haberi, sed rerum. Itaque hac lege tantùm Arithmetica utilis esse potest Theologo: quòd affirmo de ceteris scientiis mathematicis; quæ nisi ad hanc normam expendantur, erunt Theologo parum utiles. Hactenùs de iis, quæ ad Theologiæ studium ex naturalibus scientiis prærequiruntur.

4. In Theologo requiritur cordis mundities.

Ex parte autem voluntatis requiritur cordis mundities, inanis gloriæ contemptus, discendi ardor; & qui erat initio commemorandus, timor Domini. De cordis munditie hæc habentur Sap. I. v. 3. & seq. *Perversæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.* Et reverà animus terrenis cupiditatibus irretitus nunquam poterit in summi boni contemplationem assurgere: undè Orat. XXXIII. ita loquitur Nazianzenus: *Non cujusvis est de Deo differere, sed eorum duntaxat, qui corpus, & animam à vitiorum sordibus purgarunt, aut jam hoc agunt, ùt se à vitiorum labe purgent; impuro enim rem puram attingere periculo non caret, quemadmodùm nec ægris oculis solis radios intueri.* Hac de re, ùt arbitror, antiquiores Theologi incipiebant in libros sententiarum Commentaria ab ea quæstione, *Quid sit frui, & uti*, in qua docebant non esse rebus creatis fruendum noxia delectatione, sed esse illas in usum assumendas ad finem ultimum consequendum; initio commonefacientes oportere cuique, sed præsertim differenti de Deo, ne sit temporalium bonorum aut vana cupiditate illectus, aut damnabili fruitione illaqueatus. Huc etiam spectat ille timor, de quo regius Vates Ps. 110. v. 9. *Initium sapientiæ timor Domini.*

Præ-

5. Inanis gloriæ contemptus.

Prætereà ad Theologiam accedenti necessaria est humilitas, & inanis gloriæ contemptus. Ait enim Spiritus Sapientiæ apud Is. cap. LXVI. v. 2. *At quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Et Augustinus lib. III. Confess. cap. V. *Institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem, quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis: & non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclimare cervicem ad ejus gressus, &c.* Atque Augustini verbis addere possum exemplum ejusdem; qui cum humilitate, & charitate plurimos antecelleret, talem habuit divinarum scientiarum intelligentiam, ut indutus virtute ex alto abundantiùs omnibus laboraverit: atque illius ministerio Dominus uberiorem fidelibus suis præbuerit instructionem. Comparatur autem hæc humilitas non solùm consideratione sui ipsius, verùm etiam hujus scientiæ scopo, atque argumento. Nam sive ingenii acumine polleas, sive memoriæ tenacitate, sive utroque, ceterisque donis ad naturam, & gratiam pertinentibus; neminem fugit, omne donum desursum esse descendens à Patre luminum: quòd si horum donorum minorem partem acceperis, te non latet nullum hominum esse odibiliorem superbo ac paupere. Argumentum verò Theologiæ eò majorem postulat humilitatem, quò sublimius est, & in illo plures temporis, ac operis fecere jacturam: quippè de summo Deo disserendum est, qui habitat lucem inaccessibilem. Scopus denique, ac finis in omni quidem scientia, sed præsertim Theologiæ, debet esse Dei honor, sui ipsius ac proximorum ædificatione promovendus: quem finem nunquam assequuntur, qui superbia elati studiis, ùt promoveantur ad Religionis gradus, totis nervis incumbunt. Memoria tenendum est, quod serm. XXXVI. in Cant. scripsit Bernardus: *Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant ipsi, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Et sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est: & item qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippè qui ad hoc volunt intelligere, ut benè faciant.* Et infrà: *Volo proindè animam primò omnium scire seipsam, quòd id postulet ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem; quoniam quod nos sumus, primum est nobis: utilitatis verò, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædificandum; nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest.*

6. Discendi ardor.

Exigitur denique in Theologiæ candidato ardentissimus discendi ardor; neque oblivioni debet mandari saluberrimum Ecclesiastici monitum cap. VI. v. 23. & seq. *Sapientia enim Doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. Audi fili, & accipe consilium intellectûs, & ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus. Investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam.* Hujus moniti rationem profert S. P. Augustinus Epist. 137. ad Volusianum, amplitudinem scilicet, ac profunditatem doctrinæ: *Latet*, inquit, *altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate addiscendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, cùm consummaverit homo, tunc incipit.* Neminem tamen deterrere debet hæc divinarum scientiarum præstantia; quin, cùm ipsa ad amorem Dei inflammet, & mentem nostram igne naturam mutante collustret, eamque Cœlestium Spirituum faciat consortem; hanc ardentiùs concupiscamus, quæ animam rationis participem ad inseparabilem Dei conjunctionem disponit. His ferè verbis ad Theologiæ studium nos hortatur Diadochus Episcopus in libro de Spiritali perfectione cap. 67.

7. De Theologiæ partibus.

Supereſt, ut nonnulla dicam de Theologiæ partibus, atque de ordine, & instituto hujus Operis. Sanctus Joannes Damascenus, qui floruit Imperante Leone Isaurico Iconomacho, libris quatuor de fide Orthodoxa universam Theologiam primus omnium eo ordine complexus est, quem deindè secuti sunt Petrus Lombardus Magister Sententiarum, ceterique Scholastici. Qui in priori libro de Deo uno, ac de Trinitatis Mysterio pertractant: in II. differunt de Angelis, de creatione hominis, ejúsque lapsu: in III. de humani generis reparatione: in postremo de Sacramentis, quibus Christi Redemptoris nostri meritum

tum vulneratis per peccatum hominibus applicatur. Paullulùm ab ea methodo recedit S. Thomas Aquinas, qui Theologicam Summam in tres tantùm partes divisit: in quarum una de Deo uno, Trino, & Creatore: In altera de Deo ultimo Fine: In tertia de Christo, & ab eo institutis Sacramentis, pluribus quæstionibus & articulis plenissimas disputationes comprehendit. Ex nostris verò Scriptoribus ferè omnes Magistri Sententiarum methodum tenuère, ùt Ægidius Romanus, Gregorius, Gerardus, Argentinas, & quotquot in Ægidium superioris, hujúsque ætatis Scriptores Commentaria ediderunt.

8. De instituto.

Verùm cùm hi omnes, ùt erat Patrum nostrorum consuetudo, & ingenium, operam ac laborem insumpserint enucleandis controversiis innumeris, quas ætate nostra mutabilis hominum sensus fastidit; compellor in his opusculis veterum plura penitùs prætermittere, quædam minùs necessaria extremis, ùt inquiunt, labiis gustare, multa Historicis, dogmaticis, criticisque ornare dissertationibus. Quæ omnia si pro rerum amplitudine ac dignitate me facturum esse polliceor, ridebunt me jure homines universi. Neminem quippè fugit, quanta scripserit de solis Patrum dogmatibus Dionysius Petavius, qui tamen illorum Sententias vix recitavit, neque de his definivit: quanta insuper Thomassinus, qui neque totam Theologiam in ea parte prægrandibus voluminibus explicavit. Historicas item dissertationes quàm fusè pertractet Natalis Alexander, nemo non novit; de Ecclesiæ Conciliis quanta conscripserit Christianus Lupus, habemus præ oculis; sola Polemica Theologia quantum temporis, ac laboris postulat, ex solo Bellarmino possumus conjicere. De solis Ecclesiæ Sacramentis quàm latè differant etiam brevitatis amatores, scripta ostendunt Estii, Juenin, Tournely, aliorúmque. Ipsa moralis Theologia à P. Vanroy brevissimè simul ac nervosè tradita plures Tomulos implevit; plurésque pariter Complexio recentiorum quæstionum, quam superioribus annis elaboravit noster Aurelius Piette. Si quis igitur numeris omnibus absolutam à me expectat Theologiam, is procul-dubiò me ad scribendum Superiorum meorum mandato compulsum tentat penitùs exanimare. Proferam itaque quidquid imbecillitas mea, & angustia temporum patitur: neque libello titulum facio ampullosum, *Theologia Scholastica, Positiva, Moralis, Polemica,* qui discendi cupido uberrima spondeat: neque *Apparatus Theologicus,* qui solam methodum, & elementa suppeditet; neque *Theologicæ Institutiones;* quo vocabulo non disputationes significantur, sed regulæ ac præcepta. Opportunius videtur, si hunc præseferat titulum *de Theologicis disciplinis;* ideſt, qui uni, aut alteri Theologiæ, itémque ampliori, ac breviori conveniat; neque ostentet scribentis audaciam, neque deprimat dignitatem scientiæ.

9. De ordine hujus Operis.

Iste autem erit dissertationum nostrarum ordo. Agendum principio de vero ac supremo Numine, & contrà Atheos, ac Polytheos pugnandum: tum Divinæ Perfectiones sese offerent examinandæ: Trinitas deinde Personarum contrà pertinaces Impugnatores acerrimè est vindicanda. Quod implere conabimur novem prioribus libris. Accedent posthàc Tractatus de Cælestibus Spiritibus, de rerum corporearum productione, præsertim verò de homine primo, ipsius lapsu, pœnitentia, exilio, propagatione posterorum, atque peccati, pœnarúmque in singulos transfusione. Id verò complecti curabimus dissertationibus quatuor, ideſt à libro decimo ad XIV. Prætereà tradenda est rationalis Creaturæ institutio, non quidem quantum spectat ad commodum, & utilitatem Reipublicæ; id enim proprium est Ethices; sed quatenùs dirigentibus legibus, & auxiliante divina Gratia conari debet, ut finem ultimum assequatur, & ab illo vitiis & peccatis avertitur. Quapropter hæc tertia pars sex libros de Divina Gratia, & exortis adversùs illam hæresibus, in quibus libris situm est universum Augustinianæ Doctrinæ Systema: deinceps pertractationem de legibus, & insuper quatuor lib os de humanis Officiis comprehendit; ideoque extenditur à quartodecimo li ro ad quartum, ac vicesimum. Differendum deinceps quinque libris de Salvatoris nostri ad reparandum humanum genus adventu, de ejus Vita mysteriis, & miraculis plena: de Apostolis quos elegit, & de Ecclesia ab ipso instituta. Itaque hæc quarta Pars libro vigesimo quinto inchoata complebitur in vicesimo nono. Disputabimus denique de septem Ecclesiæ Sacramentis, quibus Christiana Religio nutritur ac roboratur, à libro trigesimo ad postremum. Ita fiet, ut quinque partibus, libris autem triginta septem nostrum de Theologicis disciplinis Opus comprehendatur commodè quiquennio absolvendum.

In feriis autem, festisque diebus, quibus consuetæ lectiones prætermittuntur, præ manibus habendi erunt libri, quorum usus in singulis hisce partibus debet esse frequentior, & qui titulum referent: *Librorum de Theologicis disciplinis Supplementum.* Pertractabitur in his de locis Theologicis accuratiùs, & de controversiis reliquis in hoc priore Opere prætermissis: quarum amplitudo ac dignitas uberiorem, ac singularem postulat tractationem. Sparsa tamen in libris istis xxxvii., & suo quæque loco distributa occurrent quæcunque magis necessaria videbuntur, & convenientia cujusque libri argumento. Qui verò in pervolutandis Theologicis dissertationibus offenderit difficilia, atque ad ea percipienda indiget spiritu intelligentiæ, quemadmodùm hortatur Beatus Jacobus in Epistola Catholica cap. 1. v. 5., *postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.*

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER PRIMUS

In quo contrà Atheos, ac Polytheos unius Supremi Numinis defenditur existentia.

Vindicatur existentia supremi Numinis.

IN Dei Optimi Maximi vindicanda existentia præstat Theologicarum Exercitationum ponere rudimentum, ac illud in principio statuere: Deum esse, & quidem unicum. Nam Theodorus Cyrenaicus, ùt scribit Laertius in Aristippo, & in priori libro de Natura Deorum, Marcus Cicero, omnes de Diis sustulit opiniones. Protagaras dubitavit, an reverà aliquod Numen extaret, ùt ait lib. 2. de Principiis, Theodoretus. Epicurus teste Plutarcho de Placitis Philosophorum, existimavit, omnes Deos humana specie præditos esse, nec res humanas curare. Diagoras quoque Milesius, auctore Suida, appellatus est Ἄθεος, quòd nullos Deos arbitraretur existere: in quorum delira menta consensêre Lucilius quidam Tolosæ anno 1619. igni Senatûs Decreto damnatus, aliique obscurioris nominis Romæ ætate nostra, anno scilicet 1719. perpetuis addicti carceribus. Utinam non occultè serperet hæc, nescio, num ignorantiam dicere debeam, num insaniam:

Causa, cur mortales in eam miserrima cæcitate devenerint, est, quòd in voluptate ac tranquillitate animi, quam frustrà in temporalium bonorum participatione existimarunt consistere, amore sæculi, cæterisque cupiditatibus in pœnalem cæcitatem dejecti, finem suum irrationabiliter locaverunt. Rectè proindè in Atheos declamat S. P. Augustinus Enarrat. in Psalmum XIII. *Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut posset etiam dicere imprudens in corde suo: Non est Deus*; & lib. de vera Relig. cap. 38. *Nego*, inquit, *esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foveat, ut aliquo spectaculo delectatus insaniat.*

Reverà Epicurus perditissimæ hujusce sectæ signifer, atque, ùt ait Creechius Comment. in librum 1. Lucretii, insanientis sapientiæ consultus erro, putabat sublata opinione de Providentia, & de pœnis post mortem futuris, tolli molestiam omnem, & formidinem, atque levari nos metu mortis, ac superstitione Deorum: è contrà hæc remorari animi quietem, & quamplurimas secum trahere perturbationes. Quo nihil absurdius poterat cogitari; quippè Supremi Numinis cura bonos tristitia liberat, neque ullus horret parentes optimos, principésque benevolos: quorum amorem studiúmque longè superat beneficentissima Dei charitas. Ex quibus consequitur Atheorum insaniam à turpitudine

morum, tanquam ab impuro fonte manasse: *Boni siquidem*, ut elegantissimè scribit ad Joan. Gratianum Joannes Antonius Vulpius, *suppliciorum terrore, quæ apud inferos esse constat, quòd videlicet ad se non pertineant, minimè percelli solent.*

Licèt hoc explorato principio absurda Atheistarum opinio radicitùs convellatur, appareátque nullum penitùs eis consentire, qui probè vivat; est tamen ista impietatis moles, & hydra vitiorum pluribus argumentationum generibus exterminanda. Harum quædam methaphysicæ sunt, aliquæ physicæ, morales aliæ, Theologicæ multæ. Primi generis argumenta petuntur à Recentioribus Philosophis ac Theologis ex indita omnibus idea entis perfectissimi; ab antiquioribus verò ex ente necessario, & contingenti. Physica deducuntur ex prima causa, metu, ac serie causarum secundarum: Moralia ex compagine & ordine universi, atque ex communi omnium hominum sensu: Theologica ex Scripturis, ex Patribus, ex miraculis, aliisque Capitibus; quæ ad refutandos Atheos minimè valent, nisi postquàm Sacrarum literarum veritas, & Christianæ Religionis monimenta fuerint invictissimè confirmata. Hæc ergo postrema argumenta erunt modò prætermittenda, sed in decursu Theologiæ sese ultrò offerent. Quare ad alia, etiamsi potest ea sibi jure tribuere Philosophus, stylum verto.

CAPUT I.

De illo Argumentorum genere, quod petitur ex omnibus ingenita idea Dei.

SUMMARIUM.

1. Ideæ aliæ sunt innatæ, aliæ adventitiæ, aliæ confictæ.
2. De differentia idearum.
3. Quam certitudinem pariat clara alicujus rei idea?
4. An Athei his argumentis possint apertè convinci?
5. Valdè probabile est, inditam esse singulis hominibus à Deo ingenitam, atque anticiparam sui ideam.
6. 7. 8. Afferuntur responsa adversariorum, & impugnantur.
9. 10. Probatur conclusio ex SS. Patribus, & ratione S. Augustini.
11. 12. 13. 14. Id ipsum probatur ulteriùs, & ab ipsis Scriptoribus Ethnicis comprobatur.
15. Expeditur prima objectio desumpta ex illo axiomate: *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu,*
16. 17. 18. 19. Argumentum variè firmatur, & solvitur.
20. Satisfit secundæ objectioni.
21. Solvitur objectio tertia.
22. Respondetur objectioni quartæ.
23. Supposita idea congenita Dei singulis hominibus, facilè demonstratur existentia Dei.
24. 25. Duæ objectiones solvuntur.
26. & seqq. Dari ideam entis perfectissimi reapse cuivis congenitam, non est adeò certum, ut Athei ex ea evidenter convinci possint.
33. Certum tamen est, dari hanc ideam aut congenitam, aut à sensibus haustam, ex eáque divinam probari existentiam.
34 35. Afferuntur duæ objectiones, & solvuntur.

1. Ideæ aliæ sunt innatæ, aliæ adventitiæ, aliæ confictæ.

COMPERTUM est omnibus, ùt arbitror, qua via ad probandam Dei existentiam progrediatur Carteſius meditat. 3. & 5. & quàm magnificè glorietur, se id efficere certioribus argumentis, quàm ullum sit Geometricum Theorema. Illius philosophiæ elementa, & canones sunt, cogitationes nostras esse aut ideas, sive rerum imagines, aut affectus, aut judicia; idearum alias esse innatas, veluti cùm intelligimus, quid res sit, quid sit veritas, quid cogitatio: alias adventitias ab externis rebus formatas, cujusmodi sunt rerum corporearum imagines: alias denique nobis confictas, ùt chimæra, sirenes. Idea itaque innata est impressa nobis ab Auctore naturæ cognitio, non comparata discursu, neque sensibus hausta.

2. Differentia Idearum.

Prætereà certum est, hujus sectæ Philosophos asserere, ideas omnes, quamquàm sunt inter se pares, & certæ, in quantum sunt modi cogitandi, differre tamen adinvicem, prout referuntur ad res, quas repræsentant; ita, ut idea substantiæ plus in se contineat *realitatis objectivæ*, quàm idea cujuscunque modi adventitii, & consequenter idea Dei realitatem omnem, ac perfectionem exhibeat. Porrò omnem ideam affirmant, habere sui causam; nam si quis habeat ideam machinæ, in qua omne excogitabile artificium contineatur, indè optimè infertur, ideam istam ab aliqua causa profluxisse. Cùm verò omnis causa debeat vel formaliter, vel eminenter effectum suum continere; inferunt, ingenitam ideam Dei, quæ omnem cogitabilem

bilem perfectionem repræsentat, pendere ab aliqua causa, in qua sit omnis illa perfectio, nempè à Deo reverà existente.

3. Quam certitudinem pariat Idea.

Rursùs docent, certissimum judicii canonem esse, ut, quidquid in aperta, & clara idea alicujus rei relucet, id certissimè de eadem re possit enuntiari; Et quemadmodùm est impossibile, nos non existere, dum cogitamus, mentem non esse distinctam à corpore, & dari montem absque valle, quia in idea cogitantis, in idea mentis, in idea montis, existentia, spiritualitas, & vallis elucet; pari ratione evidentissimè demonstratur summi Numinis existentia, quoniam hæc in idea clara Dei lucet, atque splendescit.

4. An Athei his argumentis possint convinci.

Brevissimè his expositis, quæritur, an Athei his argumentis possint apertè convinci. Affirmant non solùm Cartesiani omnes Philosophi, sed etiam ex viventibus Theologis nostris plures doctrina atque eruditione Præstantissimi; à quorum nomine jubeor ab ipsorum modestia abstinere; ex aliis Honoratus Tournely quæst. 1. art. 1. & 3. Juenin. Tom. 2. quæst. 2. demonstrat. 8. & quotquot placitis adhærent Cartesianorum. Negant contrà antiquiores omnes Theologi; & Cartesium impugnant, non tantùm Socinus in Prælect. Theolog. cap. 2., Wolzogenius in Meditationes Metaphysicas Renati Descartis medit. 3., quos tamen neque Crellius sequitur, neque Smarcius & ipsi Sociniani, verùm etiam plures Catholici ac sapientissimi viri, ut Illustrissimus Daniel Huetius in Censura cap. IV. & Nicolaus l'Herminier de Exist. Dei q. 1. Imò Recentiorum argumenta præviderat, eáque longo temporum intervallo solverat vir in Augustiniana lectione versatissimus, magnique nominis Theologus Gregorius de Arimino, dist. 3. qu. IV. artic. 1. Quid nobis videatur, sequentibus Propositionibus explicabimus.

5. Propositio. Et Probatio.

Propositio I. Valdè probabile est, inditam esse singulis hominibus ab universorum Auctore ingenitam, atque anticipatam ideam sui.

Pr. 1. Sacrarum literarum testimoniis. Ps. IV. v. 7. habetur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Joan. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Paulus etiam ad Romanos 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi leges non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* Atqui illud lumen signatum super nos, ea lux, quæ illuminat singulos omninò homines, ea lex rationalis creaturæ inscripta conscientiæ, est impressa unicuique idea, ac notitia supremi Numinis: Ergo ejusmodi idea ac notio naturaliter indita est omnibus rationalibus creaturis.

6. Oppositio.

Respondet Nicolaus l'Herminier hæc, aliáque divinarum Scripturarum loca exponenda esse sive de sola naturali intellectionis facultate; sive de operibus Dei ita nostræ obviis contemplationi, ut ad Auctoris sui cognitionem nos trahant; sive de gratiarum beneficiis, quæ nobis uberrimè conferuntur. Addit Franciscus Henno, neminem ex Patribus ejusmodi verba interpretari de ingenita nobis idea, sed de Providentia Dei, de Ipsius imagine, de sola lege naturæ.

7. Solutio.

Verùm etiamsi ultrò fatemur, rectè, & commodè prædicta sacrorum librorum loca de intellectiva facultate, de rerum creatarum notitia, de supernaturalibus donis, de impressa nobis divina imagine, de Providentia, & de naturali lege à Patribus explicari; impius enim esset, ac stultus, qui putaret hæc omnia nequaquàm nos ad cognitionem manuducere Creatoris: non excludunt hæ interpretationes ideam ingenitam, sed stabiliunt. Mens enim creata, & externa opera Dei, cùm sint coarctatæ virtutis, non possunt esse causa, ut mox dicam, percipiendi incommutabile bonum, nisi firmissima, ac perpetua veritatis regula accedat. Fides, aliáque gratiarum dona non conferuntur singulis; & proculdubiò vivida, ac supernaturali notitia Dei carent quamplurimi. Extat quidem in nobis Providentia Dei, Conditoris imago, naturæ lex: sed Providentia illa, cùm nobis rationem indidit, hanc necessariis adminiculis, ac stabili veritatis regula communivit: Legem naturæ, quæ ab æterna non deviat, idea, ac notitia ingenita non immutat, sed constituit; neque ea lex æquipararetur æternæ, nisi principio cohæreret invariabili.

8. Responsio ulterior.

Neque verum est, Patres recitata sacrarum Scripturarum loca nullibi de ingenita notitia Dei interpretari. Producta Psalmistæ verba ita exponit S. P. Augustinus Enarratione in eundem Psalm. num. VIII. *Hoc lumen est totum hominis & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam peccando corrupit.* Nos autem ideæ ingenitæ nomine nihil aliud intelligimus, quàm lumen nobis affulgens, firmámque veritatem, quæ non

conspicitur oculis, non hauritur sensibus; & quæ ob originalem labem sopita à creaturis veluti excutitur, & excitatur, nempè illud idem, quod percipit Sanctus Pater. Deprompta ex Evangelio Joannis sic explanat D. Hieronym. ad cap. 1. Epistolæ ad Galatas: *Ex quo perspicuum fit, naturâ omnibus Dei inesse notitiam; nec quemquam sine Christo nasci, & non habere in se semina sapientiæ, & justitiæ, reliquarúmque virtutum.* At quid sunt ideæ à nobis assertæ, præterquàm certa rerum notitia naturæ indita, atque veritatis ac bonarum virtutum unacum Dei gratia fontes & semina? Postremum locum Apostoli ita exponit Origenes in priori contrà Celsum libro: *Non est mirandum, Deum eorum, quæ per Prophetas, & Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio omnis homo sit inexcusabilis, habens legem mentis scriptam in corde suo.* At hanc legem mentis, rationisque mortalium omnium animo insitam, hanc eandem ideam ingenitam appellamus.

9. Probatur Conclusio ex SS. Patribus.

Hinc probatur 2. propositio Patrum auctoritate. Justinus Martyr Apologia 1., quæ tamen vulgò nuncupatur secunda, *Dei*, inquit, *appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis naturæ hominum insita opinio.* Eusebius lib. 2. Præparat. Evang. cap. 9. *Eximium illud, ac salutare in primis, quod Dei nomen, essentiámque significat, ipsius naturæ ductu, impressisque animo per sese notionibus, vel divinitùs potiùs inspiratis nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu percepêre, cùm id omni animo ratione, & intelligentia prædito, idem hujus universitatis Artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inseverit.* Tertullianus lib. de Testimonio Animæ cap. v. *Magistrâ naturâ, anima discipula, circumventa ab adversario meminit sui Auctoris: sed quis ejusmodi eruptiones animæ non putaverit doctrinam esse naturæ congenitæ, & ingenitæ conscientiæ? Certè prior natura, quàm litera; & prior sermo, quàm liber; & prior sensus, quàm stylus, & prior homo ipse, quàm Philosophus, & Poeta*, Arnobius lib. 1. contrà Gentes: *Quisquámne est hominum, qui non cum istius Principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non affixum, imò ipsi penè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum cunctorum, quæcunque sunt, Moderatorem?* Consultò ex penè innumeris Antiquorum testimoniis hæc protuli, quæ non videntur rectè explicari per cognitionem comparatam per sensuum officia, ut occurrit l'Herminier; quod sic ostendo. Non est è sensibus hausta illa idea ac notitia, quæ ipsi naturæ hominum insita est, quæ per sese hominum imprimitur animo, quæ est doctrina quædam ingenita, & congenita conscientiæ nostræ, quæ denique ante primum nativitatis diem rationali animæ affigitur: Talem esse ideam ac notitiam Dei, affirmant apertissimè Patres: Ergo asserunt hanc summi Dei notitiam ac ideam ministerio sensuum non esse acquisitam.

10. Probatur ex rationeS. Augustini.

Tertio loco probatur ratione Augustinianis testimoniis corroborata. In idea ac notione, qua Deum percipit communis hominum ratio, relucet infinitas, independentia, immutabilitas, & quæcunque alia perfectio: Idea hæc repræsentans debet esse ingenita, naturæ indita, anticipata, non comparata per sensus: Ergo esse debet congenita & naturæ inspirata idea ac perceptio, quæ nos reddit de existentia summi Dei certiores. Major propositio constat; eámque tradit Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 7. ubi ait: *Omnes pro Excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.* Minorem verò hisce momentis demonstro. I. Hæc idea Dei in hominum mente firmissimum ac immutabile judicium parit: Non esset idonea hujusmodi judicii causa, nisi esset congenita & naturaliter indita: Ergo indita est, congenita est. Prob. minor. Lex & regula firmissimi ac immutabilis judicii extra omnium corporearum, & finitarum rerum ordinem, quæcumque eæ sint, statui debet; nam omnis causa debet effectum suum vel formaliter, vel eminenter in se continere; nulla autem res finita, mutabilis & creata tantam habet præstantiam, ut exhibere possit illam summæ perfectionis ideam; ideóque hæc neque à nobis ipsis proficiscitur, neque à parentibus, neque à præceptoribus, neque à contemplatione rerum aspectabilium. *Hæc autem lex*, inquit S. Pater Augustinus lib. de vera Religione cap. xxx. num. 56. *cùm sit omninò incommutabilis, mens verò humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet, suprà mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.* Et paulò suprà dixerat, absque ista incommutabili lege non solùm de omnium artium præstantia, verùm & de æqualitate & inæqualitate corporum, de locorum, ac temporum intervallis, de majo-

majoribus ac minoribus figurarum ſpatiis rectum fieri non poſſe judicium. *Quis eſt*, ait, *qui ſummam æqualitatem vel ſimilitudinem in corporibus inveniat, audeátque dicere, cùm diligenter conſideraverit, quodlibet corpus verè ac ſimpliciter unum eſſe: cùm omnia vel de ſpecie in ſpeciem, vel de loco in locum tranſeundo mutentur, & partibus conſtent ſua loca obtinentibus, per quæ in ſpatia diverſa dividuntur? Porrò ipſa vera æqualitas ac ſimilitudo, atque ipſa vera & prima Unitas non oculis carneis, neque ullo tali ſenſu, ſed mente intellecta conſpicitur. Unde enim qualiscunque in corporibus appeteretur æqualitas, aut undè convinceretur longè plurimùm differre à perfecta, niſi ea, quæ perfecta eſt, mente videretur: ſi tamen, quæ facta non eſt, perfecta dicenda eſt?* Vide & lib. 11. de lib. arb. cap. XII. num. 24. Quòd ſi requiritur lex incommutabilis ac ſempiterna, ut certum proferatur judicium de rebus aſpectabilibus, quantò magis erit neceſſaria ad percipiendam ſempiterni Numinis exiſtentiam.

11. Probatio. Prætereà: Senſuum miniſteria hebetiorem ac tardiorem mentem reddunt, & veritatis aſſecutionem non juvant, ſed retardant; Ergo indè certa, & invariabilis veritas elucet: *Noli quærere, quid ſit Veritas*, ait idem Auguſtinus lib. 8. de Trinitate num. 3. ſtatim *enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbabunt ſerenitatem, quæ primò ictu diluxit tibi, cùm dicerem, Veritas.*

12. Probatio. Ad hæc: Quælibet idea mediis ſenſibus comparata non eſt ſemper eadem in omnibus; quippè corporei ſenſus educatione, ætate, rerum præſentia, locorum ac temporum intervallis commutantur: Sed idea Dei penès omnes homines cujuscunque ætatis, regionis ac temporis una eſt, eadem eſt, perpetua & incommutabilis eſt: Ergo hæc idea ſenſuum miniſterio non comparatur. Auguſtini eſt argumentum iſtud lib. 2. de lib. arbitrio cap. 20. ubi ait: *Quapropter nullo modo negaveris, eſſe incommutabilem Veritatem hæc omnia, quæ incommutabiliter vera ſunt, continentem; quam non poſſis dicere tuam, vel meam, vel cujuscunque hominis; ſed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquàm miris modis ſecretum, & publicum lumen præſtò eſſe, ac ſe præbere communiter.* Plura afferrem, niſi hactenùs dicta ad explorandam Auguſtini mentem ſufficerent.

13. Probatur. Fortaſſè dicet aliquis Sanctum Parentem Auguſtinum fuiſſe Platonicum, ac tandem Platonis dogmata retractaſſe. Sed hæc objicienti repono: utique Platonis philoſophia magna ex parte purgatiſſimo Auguſtini arriſit ingenio; ſed maximæ illi referendæ ſunt gratiæ, quòd cùm videret ſtatuendum eſſe immutabile judicii criterium, & commentitias jure cenſeri innumeras propemodùm ideas à Platonicis excogitatas, & quæ Ariſtotelem, aliósque Philoſophos à Magiſtro ſuo ſeparârunt, necnon in orbem tantam Aeonum, Deorúmque turbam invexerunt; Auguſtinus Platonis non diſcipulus, ſed caſtigator videns multitudinem idearum, unam ſtatuit æternam à Deo indiſtinctam, invictúmque unius Numinis teſtimonium. In qua Sententia adeò perſtitit, ut illam in primo Retractationum cap. 4. his verbis firmaverit: *Sed hoc quoque improbo: credibilius eſt enim, propterea vera reſpondere de quibusdam diſciplinis, etiam imperitos earum, quando benè interrogantur, quia præſens eſt eis, quantum id capere poſſunt, lumen rationis æternæ, ubi lex, immutabilia vera conſpiciunt: non quia ea noverant aliquando, & oblìti ſunt, quod Platoni, vel talibus viſum eſt.* Quo in loco retractat quidem, quæ dixerat lib. 2. Solliloq. cap. 20. eruditos liberalibus diſciplinis illas in ſe oblivione obrutas quodammodò refodere, & ſcientiam omnem eſſe reminiſcentiam; ſed antiquam de congenito ſempiternæ Veritatis lumine confirmat opinionem, imò per iſtam Platonicum errorem impugnat.

14. Probatur ab Ethnicis. Denique probatur Propoſitio: Quòd omnibus hominibus inſita ſit, & congenita aliqua Dei notitia, conſentiunt ipſi Scriptores Ethnici, ab impiorum pectoribus erumpente manifeſtiſſima veritate: Jamblicus enim in libro de Myſteriis, quem ex Græco Latinum fecit noſter Nic. Scutellius, cap. 3. lib. 1. *Cohæret.* inquit, *noſtræ ipſi ſubſtantiæ de Diis innata cognitio.* Cicero in 1. de natura Deorum: *Quæ gens unquam vel fuit, vel eſt, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Deorum, quam Epicurus appellat προλήψιν, ideſt, anteceptam rationem, & animæ præviam rei quamdam informationem, ſine quæ nec intelligi quidquam, nec quæri, nec diſputari poſſit.* Et Seneca Epiſtola 117. *Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quòd omnibus de Diis opinio inſita eſt: nec ulla gens usquam eſt à Deo extrà leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.*

OBJE-

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

15. Oppositio 1. Opp. 1. Hæc de ingenita Dei notitia opinio adversatur recepto in Scholis Axiomati: *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu;* imò & Apostolo in Epistola ad Romanos cap. 1. v. 20. scribenti: *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, & Divinitas:* quibus verbis docet Paulus Creatoris existentiam non ex anteceptis ideis, sed probari tantùm ex aspectabilibus creaturis: Quod repugnat communi Axiomati, & præsertim divinis literis, absonum, & commentitium figmentum habendum est: Ergo commentitia consenda erit & absona opinio de ingenita Dei notitia.

Solutio. Resp. nego majorem; quippè vulgare illud axioma, *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu,* exponi debet de perceptione rerum corporearum, & de acquisita, non verò de congenita, & antecepta. Aut si de ista quoque volumus axioma illud accipere, in eo tantùm sensu à nobis admittitur, quòd anima corpori colligata & immersa à rebus sensibilibus excitatur, ut ad inditam, atque anticipatam ideam advertat. Itaque juxtà Peripateticorum, Epicureorúmque mentem proloquium illud vulgare rejicimus, sicut & aliud, quo humana mens comparatur tabulæ dolatæ, in quo imago nulla sit picta. Cohærenter dicimus Apostolum asserere hoc unum, quòd per creaturas elevamur ad notitiam Dei, quoniam videntes creaturas quaslibet esse finitas ac dependentes, & proindè non esse summum Bonum ac summum verum, convertimus animum ad seipsum, ubi in idea summi Boni ac summi Veri Divinam existentiam attingimus. Audiamus Augustinum hæc omnia explicantem Enarrat. in Psalm. XLI. num. 7. *Video enim, quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum, qui fecit hæc. Sed quoniam sicut cervus desidero ad fontes aquarum, & est apud eum fons vitæ, & in intellectu scriptus est Psalmus filiis Core, & invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: quid agam, ut inveniam Deum meum? Considerabo terram: facta est terra. Est magna pulcheritudo terrarum, sed habet Artificem. Magna miracula sunt seminum, atque gignentium; sed habent ista omnia Creatorem. Ostendo magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror, Artificem quæro: Cælum suspicio, & pulchritudinem siderum: admiror splendorem solis exserendo diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem: mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc, neque enim terrena, sed jam coelestia sunt hæc: nondum ibi stat sitis mea: hæc miror, hæc laudo; sed Eum, qui fecit hæc, sitio. Redeo ad me ipsum, & quis sim, etiam ipse, qui talia quæro, perscrutor: invenio me habere corpus & animam; unum quod regam, aliud quo regar; corpus servire; animam imperare. Discerno animam melius esse aliquid, quàm corpus, ipsúmque inquisitorem talium rerum non corpus, sed animam video: & tamen hæc omnia, quæ collustravi, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoveram; Cælum, sidera, solem, lunámque laudabam, oculis cognoveram. Oculi membra sunt carnis, fenestræ sunt mentis: interior est, qui per has videt; quando cogitatione aliqua absens est, frustrà patent. Deus meus, qui fecit hæc, non istis oculis est inquirendus. Aliquis etiam per seipsum conspiciat, utrùm sit aliquid, quod non per oculos sentiam, quasi colores & lucem; non per aures, quasi cantum, & sonum; non per palatum & linguam, quasi saporem; non per totum corpus, quasi mollitiem, & duritiem, rigorem, atque fervorem, asperitatem, lenitatémque pertractem; sed utrùm sit aliquod intùs, quod videam. Quid est, quod intùs videam? quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi, quem colorem habeat Sapientia. Cùm cogitamus justitiam, ejúsque intùs in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid tanquàm vaporeum surgit ad nares? quid ori infertur? quid manu tractatur, & delectat? Et intùs est, & pulchra est, & laudatur & videtur: & si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud, quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat? Est ergo aliquid, quod animus ipse corporis dominator, Rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum: & utique melius, quòd per seipsum, quàm quòd per servum suum. Est prorsùs: seipsum enim per se ipsum videt, & animus ipse, ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium; immò verò ab omnibus corporis sensibus, tanquam impedientibus, & perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se.*

Hacte-

Hactenùs Augustinus demonstrans, quomodò res corporeæ nos ad percipienda invisibilia manuducant, revocando animum ad seipsum, in quo summa Veritas non per sensus, sed per inditam ipsi animo perceptionem conspicitur.

16. Instantia. Insurges: Quùm à rerum aspectabilium contemplatione in Dei notitiam assurgimus, idea & conceptus Summi Boni efficitur per negationem finitatis, dependentiæ, aliarumque imperfectionum, quas in creaturis deprehendimus: Idea ergò Dei non ingenita & indita est, sed acquisita.

Solutio. Resp. nego ant. Si enim recitata verba Augustini attentissimè legeris, non idcircò percipitur Summum Bonum, independens, infinitum, æternum, quoniam res creatæ sunt dependentes, finitæ, temporales, sed contrà creatæ res deprehenduntur finitæ & imperfectæ, propterea quòd à Summo ac Perfectissimo Bono deficiunt; idest, quia habent Artificem, & longè absunt à perfectione Auctoris, qui interiori percipitur animo. Ergò non infinitum per ideam finiti, sed finitum per ideam infiniti dignoscitur; nam quod intrinsecè est limitatum, & variabile, non potest esse certa regula firmissimæ atque incommutabilis Veritatis. Vide alia Augustini verba in 3. prob., cui assentitur Boetius lib. 3. de Consolat. Philosoph. Prosa 10. ubi ait: *Omne, quod imperfectum esse dicitur, in diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur.*

17. Institur. Insistes: Si idea ex rebus aspectabilibus comparata non potest esse certissimum judicii criterium, quia creaturæ omnes finitæ sunt ac mutabiles; ergò neque Deum potest repræsentare idea ingenita atque antecepta, cùm & ipsa creata sit, ideóque coarctata ac finita.

Solvitur. Respondent aliqui ideam creatam ac finitam non posse repræsentare Deum adæquatè, benè tamen inadæquatè. Verùm videtur mihi hæc responsio totum ideæ ingenitæ systema pervertere, neque argumento satisfacere. Evertit ideas ingenitas, quia inadæquatè Deum repræsentant etiam ideæ ex creaturarum contemplatione formatæ: Non satisfacit argumento, quia idea creata semper in se finita est, & consequenter nequit esse ullius judicii, etiam inadæquati, constans, & immutabilis regula. Carteſiani verò aliqui respondent, esse quidem creatam ejusmodi ideam; sed tamen spectari posse dupliciter; primo modo, quatenùs esse *formale, & proprium in mente nostra habet*: deindè *secundùm esse vicarium*: & priori modo à nobis pendere, & esse pro lubitu variabilem, idest, posse nos liberè cogitare, vel non cogitare: secundo autem modo habere causam necessariam, exhibere infallibiliter veritatem, neque penès nos esse, aliter, atque aliter de eadem re, quæ vera sit, judicare. Ita Carteſii mentem explicat Antonius Le Grand Instit. Philosoph. P. 2. cap. 2. num. x.

At juxtà Augustini principia respon- Responsio ex
detur, quòd lex illa, per quam mens Augustino.
rationalis de rebus certa judicia pronuntiat, non est perceptio, aut aliquid se tenens ex parte potentiæ tantummodò; sed ipsum Lumen Indefectibile veritatis perenniter menti assistens, perceptionem illam in intellectu producens. Constat id ex hactenùs dictis, quoniam omne creatum intrinsecè mutabile debet esse: & expressè infertur ex verbis S. P. Augustini libro de vera Religione cap. XXXI. *Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ suprà rationalem animam sit, Deum esse; & ibi esse primam vitam, & primam essentiam, ubi est prima Sapientia Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars Omnipotentis Artificis.* Itaque ad argumentum dist. consequens: ipsa idea ingenita creata est, quatenùs dicit perceptionem rationalis animæ, concedo: quatenùs dicit Indefectibile Lumen, quo hæc perceptio producitur, nego.

Urgebis adhuc: Si Ipsum Indefectibile Lumen humanæ menti perpetuò adesset, rationalis creatura intuitivè Deum videret, & quidem naturaliter: Hoc damnatum est à Viennensi Concilio, & improbatum à Patribus, qui ad hujusmodi visionem requirunt Lumen gloriæ: Ergo rationali animæ illud Lumen Indefectibile minimè illabitur. 18. Urgetur.

Resp. dist. ma. Videretur à creatura Respondetur
rationali intuitivè Deus, si ei adesset Indefectile Lumen per modum naturalis legis exhibens solam existentiam Dei, & ceteras Divinas perfectiones confusè, atque inferens perceptionem ænigmaticam; nego. Videretur intuitivè, si Lumen istud Æternum mentem illustraret, & adesset per modum specialis objecti, præsentans distinctè omnem Divinam perfectionem, inferénsque cogitationem vividam, claram, plenissimam; conc. Atque me explico ex ipso Peripateticorum systemate. Docent hi, oculum intueri propria sensatione colores, non tamen videre perspicuè illam speciem, quæ oculo colores præsentat. Quare? Propterea, quòd species ista ad

visionem tanquàm medium, non tanquàm speciale objectum concurrit. Pariformiter non intuebimur Deum vividè & clarè, dum in corpore vivimus, eò quòd Indefectibile Lumen est præsens menti, quatenùs medium est, & naturalis lex discernendi, non proùt est objectum speciale, quod perspicua cognitione percipiatur. Adde, animam corpori colligatam, & mutabilibus phantasmatibus addictam non posse Lumen Illud propria sensatione percipere, esto ratione hujus Luminis cætera omnia cognoscat: quemadmodùm existens in Theatro, & scenicis objectis immersus, hæc vividè conspicit medio lumine; quod tamen in homine comicis distracto vividam sui perceptionem non excitat. Porrò Viennense Concilium, ac Patres damnant eos, qui arbitrabantur, Deum absque superno lumine gloriæ posse vivida, speciali, & plenissima perceptione videri; quales fuere Beguardi, aliique; de quibus alibi. Illam verò imperfectam, & ænigmaticam Dei visionem adstruit beatus Paulus I. ad Corinthios cap. XIII. v. 12. *Neque enim, quod ait Apostolus, videmus nunc per speculum in ænigmate, &, Nunc scio ex parte, non cernitur mente: cernitur planè, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit, quod ait, Tunc autem facie ad faciem, &, Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*: ait S. P. Aug. lib. I. Retract. cap. XIV. num. 2. Lege & libri X. cap. IX.

19. Perstitur. At rursùs persistes: Si ea Veritas Incommutabilis, quæ Deus est, naturaliter illucet rationali creaturæ, igitur hæc naturaliter in Deum tendet, naturaliter habebit in se fidei semina, naturaliter erit Christiana: quæ profectò Semi-Pelagianismum redolent.

Solvitur. Resp. non sapere Semi-Pelagianismum, si quis asserat esse in nobis naturalem perceptionem Dei ut Auctoris naturæ, & in hunc rationalem creaturam naturaliter tendere; sed Semi-Pelagianorum hæresis est, in viribus naturæ initialem gratiam, & fidei locare primordia. Fides equidem ea, quæ sunt ordinis naturalis non spectat, sed superiora, & recondita, quæ nequeunt naturali lumine hominibus innotescere, ùt sunt Trinitas, Incarnatio, aliáque revelata. Neque Dei existentia objectum est fidei, nisi proùt creditur propter testimonium Dei revelantis, atque parati sumus illam fateri, quamquàm naturali obvia non foret rationi. Quòd si fides ampliori quadam significatione accipiatur, nempè pro quacúnque notitia Dei; nullus negat indita cuique semina Christianæ fidei. Sed ista minùs propriè dicitur fides, eóque tantùm sensu, quo Tertullianus loquens de iis, qui licèt falsis diis mancipati, sæpè sæpiùs Deum nominant, cap. XVII. Apologetici clamat: *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!*

20. Opponitur 2. Opp. 2. Congenita idea Dei vel est habitus, vel est actus: non est actus, quoniam omnis actus elicitur, & non infunditur; non est habitus, quia homini indita est sola naturalis facultas intelligendi: Ergò hæc idea Dei congenita fictitia est. In hoc argumento satis deprehendi insitæ ideæ figmentum existimat eruditus Theologus Nicolaus L'Herminier.

Responsio. Resp. Ideam si accipiatur pro sola mentis perceptione, esse actum; nec tamen elicitur à sola humana mente, ùt suprà diximus: si verò sumatur pro lumine, & incommutabili lege veritatis, datur per modum habitus, neque est sola facultas naturalis intellectionis, ùt videtur fateri Honoratus Tournely; sed ipse Deus nobis intimè præsens, tanquam perpetua regula ac norma, ad quam judicia nostra exigantur.

21. Opponitur 3. Opp. 3. Idea innata Dei vel est notitia alicujus Dei, qualiscúnque ille sit; vel idea ac notitia Dei, ùt est Summum Bonum universè; vel idea Entis Perfectissimi præcisè: non est idea qualiscúnque Dei aut veri, aut falsi, quia hæc idea non datur; non est idea Dei, proùt Deus est Summum Bonum universè; si enim idea Dei, & idea Summi Boni promiscuè accipiantur, sequitur Gentes, quæ Deum ignorant, nunquam peccare, nam quivis homo etiam Ethnicus semper agit propter bonum, ideóque semper propter Deum: non est denique idea Entis Perfectissimi præcisè; quicúnque enim fatentur, se habere ideam Entis Perfectissimi, non admittunt propterea existentiam Dei; cùm Epicurei, Spinosa, & alii Athei, qui ens aliud non agnoscunt præter mundum universum, fateantur se habere ideam Entis Perfectissimi, & tamen negent Dei existentiam. Agitur ergò de idea veri Dei, proùt est mundi Auctor, & Rector; sed hujusmodi idea non est innata, sed adventitia: Ergò, &c. Ita ratiocinatur idem L'Herminier.

Solvitur. Resp. Ideam Dei nobis ingenitam esse ideam Summi Boni, ac Perfectissimi Entis. Neque hinc infertur Ethnicos semper agere propter Deum, & nunquam peccare; quùm rationem Summi Boni constituant sæpenumerò in eo, in quo con-

constitui non debet. Insuper ad agendum propter Deum, non sufficit agere universè propter bonum, sed opus est, ut agatur propter Summum Bonum; nam Deus non est bonum qualecúnque, sive verum, sive apparens, sive finitum, sive infinitum; sed Summum Bonum, infinitum Bonum, Verum Bonum. Ideam verò Summi Boni, ac Perfectissimi Entis, quam affirmant se habere Athei, quis non videat esse ideam perversè confictam, non iditam nobis, atque anteceptam? Summum Bonum quamlibet perfectionem complectitur. Itaque cùm aut Epicurus, aut Spinosa, aut quisvis Atheus in Mundo omnem perfectionem deprehenderit, tunc poterit jure merito ideam Perfectissimi Entis cum idea mundi confundere. Verùm perdet operam; nam si circumeat universas creaturas quærens Summum Bonum, undique illæ clamabunt: *Quære super nos, non sumus.* Creatio denique, & qualecúnque opus ad extra, liberè fit à Deo, ideóque in ingenita notitia Dei non relucet: sed Deus concipitur ut mundi Auctor, & Rector per ideam ex ejus operibus acquisitam.

22. Opponitur ultimò. Opp. ultimò Henno: Habitus primorum principiorum sufficit, ut firmissimum proferatur judicium: Sed habitus primorum principiorum est acquisitus: Ergò habitus acquisitus sufficit, ut judicium certissimum proferatur.

Solvitur. Resp. eadem brevitate, qua Henno argumentationes omnes conglutinat, nego minorem: habitum enim primorum principiorum, qui sit irrefragabilis Veritas, nullum agnosco præter ideam ipsam ingenitam, & intimè nobis assistens indefectibile lumen.

23. Propositio. PROPOSITIO II. Supposita idea congenita Dei singulis hominibus insita, facilè demonstratur Deum Ipsum existere.

Probatio. Prob. Quælibet idea habet causam, in qua aut formaliter, aut eminenter præcontinetur: Idea Entis summè Perfecti, ut ostendimus Propos. præcedenti, neque formaliter, neque eminenter in creaturis præcontinetur: Ergò creaturæ nequeunt esse causa ideæ Entis summè Perfecti; & consequenter hæc idea ab ipso Deo proficiscitur. Et confirmatur: nam, ut ex dictis constat, quidquid in idea congenita, & clara alicujus rei elucet, id firmissimè absque erroris periculo debet de eadem re enunciari: In idea Dei, quæ exhibet notionem Summi Boni, ideóque cujúsque perfectionis, elucet quoque existentia, cùm & ipsa sit aliqua perfectio rei: Ergò existentia invicto, certóque judicio debet enunciari de Deo. Quibus argumentationibus utuntur non solùm Platonici, & Cartesiani Philosophi, sed etiam S. P. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 6. in quo, ubi ostendit inesse animis hominum speciem intelligibilem rerum, infert hanc speciem, si est prima & incommutabilis, esse incomparabilem, in eáque omnem contineri perfectionem, ideóque rectissimè ex ea consequi, quòd existat rerum omnium principium.

24. Objectio 1. Opp. 1. Tametsi in idea substantiæ cogitantis actualis existentia reluceat, & in idea creaturarum existentia possibilis; nihilominùs certus non ero, substantiam cogitantem actu existere, aut creaturam existere posse, nisi suppositа Divina Providentia ac Veracitate, quæ non patitur quemlibet hominem decipi: Ergò etiamsi in idea, ac notione Entis summè Perfecti resplendeat existentia actualis, non proindè certus ero de summi Numinis existentia, nisi Divina Veracitate suppositа: & consequenter prædicta argumenta petunt principium, idque supponunt, quod probant. Antecedens admittitur à Cartesio, qui medit. III. ait: *Sum certus, me esse rem cogitantem. Undè verò certus sum? quia claram & distinctam ejus habeo perceptionem. Quid si etiam hìc me Deus fallat, ut id clarè, & distinctè percipere mihi videar, quod nihilominùs falsum est? Fieri sanè potest. Examinare igitur debeo, quamprimùm occurret occasio, an sit Deus, & si sit, an possit esse deceptor.*

Solutio. Resp. nego antecedens, non enim Cartesium nos undequaque sequimur, sed Augustinum. Ab illo dialelysmon & circulum committi contendit Huetius Censuræ cap. IV. n. X. quippè reverà probat Deum existere, quia ego cogito, & verà est idea, quæ est in me, quia Deus est, & non potest esse deceptor. Scribit etiam Wolzogenius in Critica Meditationis III. Cartesium binis præcedentibus Medit. inanem lusisse operam, quippè antequàm demonstret, esse Deum, qui non possit decipere, nequit certus esse, id esse verum, quod de sua naturâ clarè, & distinctè sibi visus est percepisse, se nimirum esse substantiam cogitantem. Itaque nos cum Augustino idearum ingenitarum nomine non intelligimus solam perceptionem mentis, sed legem incommutabilem, & indefectibile lumen, ùt satis in superiori Propos. explicavimus. Idea sic accepta non est clara & certa suppositа Divina Veracitate, sed è contrà certi sumus, Deum esse Veracem, quoniam Veracitas relucet

in idea Entis undequaque Perfecti. Ex quo autem hæc idea sit Ipsum Divinum Lumen Increatam, ideóque Ipsemet Deus, non consequitur nos quoque peccare διὰ κύκλου, per circulum, ac petitionem principii: siquidem idea non est Divinum Lumen, prout existit in se, sed Divinum Lumen, prout est nobis intimè præsens; & consequenter non proficiscitur nostra argumentatio à præsupposita Divina existentia ad hanc eamdem probandam; sed à manifesta existentia Divini Luminis in mente nostra ad demonstrandam Dei existentiam in se.

25. Objectio 2. Opp. 2. Ex quo in idea E. G. trianguli dilucidè percipiatur, non posse dari triangulum, cujus tres anguli non sint duobus rectis æquales, non consequitur, existere actu triangulum: & ex quo in conceptu, ideáque creaturæ existentis reluceat perspicuè ipsamet existentia, non proindè certi sumus, creaturam existere: Ergò neque certò percipimus, extare Deum, ex eo, quòd in idea clara Dei obvia sit existentia.

Solutio. Resp. nego consequentiam, & paritatem. Etenim in nulla idea ingenita cujusque creaturæ venit existentia actualis: ad essentiam quippè rei creatæ pertinet duntaxat, quòd possit esse, non quòd sit actu. Quapropter idea creaturæ actualiter existentis est idea fictitia, non antecepta. Hæc videntur statuta idea cuique insita facilè à Cartesianis explanari, ùt ab Edmundo Purchotio cap. II. Pneumatologiæ 1. & 2. argum. metaphysico, & Antonio Le-Grand. loc. loc. cit.

26. Propositio 3. Propositio III. Quòd idea Entis Perfectissimi, ex qua modò demonstrabatur Deum esse, reapse sit cuique congenita, & indita, non est ita certum, ut ex ea possint Athei evidenter convinci: at certum est, dari hanc ideam aut insitam, aut à sensibus haustam, ex eáque Divinam probari existentiam.

Habet hæc propositio duas partes, quarum prima est contrà omnes Cartesianos, qui arbitrantur se demonstrare ideas congenitas probationibus geometricis, non probabilibus tantùm ac plausibilibus: altera pars revocari nequit in dubium.

Probatur 1. contra omnes Cartesianos. Itaque primam Propositionis partem sic ostendo. In primis, si dixeris pluribus Theologis hujus, atque antiquioris ætatis, datur notitia Dei anticipata & ingenita, quæ non comparatur per sensus, hi salva Fide ideam istam dari negabunt: Ergò à fortiori poterunt eamdem ideam negare Athei.

Deindè: Probaturus adversùs Atheos, existere hanc ideam, aut conaberis id efficere sacris literis, aut Patrum testimoniis, aut naturali ratione. Si urgeas divinarum Scripturarum auctoritatem, Atheus eas spernit; quin & Theologi plurimi illas interpretantur non recurrendo ad ullam hujusmodi ideam; cujus existentia si expressè comprobaretur ex sacris literis, pertineret ad fidem: quod nemo potest asserere. Si provocas Atheum Sanctorum Patrum sententiis; in eumdem incidis scopulum: nam pervicax ille Atheus Patrum doctrinæ non credit, & surdo canis. Fidelis verò Sanctorum dicta libenter excipit; sed ea non prorsùs absurdè exponit de notitia acquisita, non de antecepta. Ergò cum Atheis ratione, non auctoritate certandum est. Jam verò cogeris ostendere congenitam ideam Dei argumentis à ratione petitis: quæ ad duo capita revocabuntur, sive ad perceptionem Cartesii, sive ad legem incommutabilem, quam ego cum Augustino propugno. Atqui neutra nedum Atheo, verùm nec unicuique fideli firmissimum extorquet assensum.

27. Quid de Atheistarum sententia.

Loquamur de sententia Cartesii. Hujus doctrinæ prolixiùs expositæ hæc est summa: Cùm ego sim substantia cogitans, ideam Entis Perfectissimi in mente habeo: Hæc idea à me non proficiscitur, quia ejus objectivam realitatem non æquo: Ergò alia præter me illius ideæ existit causa. Principiò indubitanter asserit, se esse substantiam cogitantem, quod ait posse in dubium revocari, nisi priùs examinetur, num sit Deus, & possit esse deceptor: quod ait Huetius evertere, quod Cartesius molitur, & esse jocularem petitionem Principii. Deindè affirmat se habere, dum cogitat, ideas in mente, & utique innatas. Quamdiu non noverit, Deum deceptorem non esse, dubitare debet, an ideæ, quas habet, sint mera phantasmata, aut maligni spiritûs illusiones: cúmque omni sensu non careat, erunt fortassis hæ ideæ imagines rerum per sensus perceptarum, quæ adhuc ejus menti obversentur. Ait inter alias ideas, se habere ideam Entis Perfectissimi, & hanc à se distinctissimè percipi. Sed videtur aliquibus rebus implicatam narrare; quandoquidem si talis idea distinctè percipitur, habet realitatem subjectivam finitam ac terminatam, ideóque finita ac terminata erit quoque realitas objectiva: & si dixerit, ideam illam non repræsentare infinitum in tota sua latipatentia, non erit hæc idea infiniti, quemadmodùm non erit imago hominis, quæ extremum refert capil-

28. Quid de sententia Cartesii.

capillum. Docet se non esse causam illius ideæ; sed cùm ipse Cartesius fateatur, ideam nullam ex se realitatem formalem exigere, præter illam, quam mutuatur à cogitatione, cujus est modus, sequitur, quòd idea habeat ab ipsa cogitatione etiam realitatem objectivam, & quòd causa hujus ideæ sit ipsamet cogitatio, non Deus. Præterea cùm non sit, ùt modò dicebam, nisi idea ac perceptio finita, poterit aliundè proficisci, quàm à re infinita, ac summè perfecta. Ita eludit præfatum argumentum Cartesii Wolzogenius, qui breviter à me dicta latè explicat, & amplioribus notis confirmat. Addit Huetius, Cartesium sese proprio gladio jugulare; apertè enim fatetur, quòd non possit percipi infinitio rei infinitæ, nisi negativè: ideóque percipitur res infinita per ideam finiti, non è contrà, ùt alibi affirmat; atque hanc manifestissimam repugnantiam non satis candidè ab ipso excusari in Epistola XV. & XVI. Tom. 2. Vide Censuram Huetii loco cit. num. III. & IV.

29. Ulterius argumentum Cartesii.

Alterum Cartesii argumentum eadem facilitate convellitur; tum quia perceptio quæque, licèt clara, est finita & variabilis, & per consequens non potest esse incommutabile Veritatis criterium; tum etiam, quia Cartesiani asseveranter docent, posse Deum efficere, ut vera sint, quæ clarissima perceptione nobis videntur esse falsa. Ergo, inquit Huetius cap. II. num. XII., fieri quoque potest, ut clara, & distincta perceptio non sit norma Veritatis. Itaque hujusmodi argumentatio: Datur idea ingenita, qualis adstruitur à Cartesio, Ergo datur Deus, non est contrà Atheos invictissima, quia potest impunè negari antecedens.

30. De Idea, cuique indita ex S. Augustino.

Videamus modò de idea cuique indita, qualem statuimus ex Augustino. Noster Ariminensis Dist. III. q. IV. art. I. duplici via omnia S. Patris loca explicat absque Dei notitia congenita. Primò animadvertit, quòd aliquid cognosci in Veritate superna, potest diversa ratione explanari; vel enim cognoscitur objectivè, sive ut in objecto cognito, quemadmodùm res absentes percipiuntur in propria specie: vel cognoscitur causaliter, sicuti color dicitur videri in lumine, non quòd videatur in eo tanquam in medio cognito, cùm color videatur immediatè in seipso, sed quia lumen est partialis causa visionis, qua color in se videtur. Augustinus itaque affirmat, omnia cognosci in prima Veritate secundo modo, idest causaliter, non objectivè; tanquam in lumine, quod est causa nostræ perceptionis, non tanquàm in idea, sive specie. Et reverà Augustinus lib. 2. de lib. arbitrio cap. 17. ait: *Sicut multa, & diversa sunt, quæ in luce solis vident homines, lux tamen ipsa una est; ita lux sapientiæ, in qua ipsa videri possunt, omnibus sapientibus est una communis.* Quo in loco S. Pater Supernam Veritatem comparat luci, quæ causat visionem rerum corporearum, quæ tamen in seipsis videntur, & non in luce. Hæc non diffitentur Peripatetici, qui existimant, omnem notitiam esse haustam à sensibus. Quis enim sanæ mentis neget unquam, primum ac Summum Verum ad nostras perceptiones tanquam causam concurrere?

31. Confirmatio ex S. Gregorio.

Præterea observat Gregorius, quòd S. Pater in eodem libro de libero arbitrio cap. 4. volens ostendere, Deum esse, incipit à rebus immediatè notis, puta, quòd nos sumus, vivimus, & intelligimus; & deindè progreditur per gradus perfectionum, quia scilicet viventia præstantiora sunt iis, quæ tantùm sunt, & intelligentia iis, quæ tantùm sunt, & vivunt; & tandem probat, quòd sit Veritas, quæ mentibus nostris est præstantior, & indè concludit Deum esse, idque præstat quoque in VIII. de Civit. Dei cap. 6. & Enarrat. in Ps. 41. *Ex quibus apparet*, ait Ariminensis, *quòd notitia Dei non est prior, nec ex illa proceditur ad notitiam aliorum, sed è contrà ex aliis nobis notis probatur, esse aliquam Veritatem Primam incommutabilem; ex qua causaliter nota sunt nobis, quæcúnque incommutabiliter vera sunt.* Eadem ratione Augustinianam sententiam expediet Thomista cum suo Angelico Præceptore; qui I. Parte quæst. XII. art. XI. ad 3. hæc habet: *Omnia dicimur in Deo videre, & secundùm Ipsum de omnibus judicare, in quantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus, & dijudicamus. Nam & Ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est Divini luminis, sicut etiam omnia sensibilia dicimur videre, & judicare in sole, ideſt per lumen solis. Undè dicit Augustinus primo Soliloquiorum, Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo sole illustrentur, videlicet Deo.* Ita nimirùm absque ulla idea congenita & antecepta depromptis ex Augustino argumentis occurrunt.

32. Solutiones.

Hæc nullatenùs nos à statuta superiùs congenita idea Dei debent removere: nam Philosophiæ Cartesianæ Censoribus respondendum est, à nobis non in sola perceptione, sed in æterno & indefectibili lumine, quod proculdubiò realitatem

habet objectivam, hanc ideam constituí. His verò, Gregorio videlicet, ac D. Thomæ in eo assentior, quòd Sempiternum Lumen est causa nostræ perceptionis: sed nego, istud Æternum Lumen immediatè in se non videri, nec in se videri lumen solis, quando per illud corporea conspicimus. Utique lumen non videmus intuitivè, propterea quòd concurrit ad visionem tanquam medium, non tanquam objectum, quod propria sensatione percipiatur. Videtur tamen, & videtur in se, & per illud res corporeæ videntur, non contrà illud videtur per res corporeas. Idem affirmamus de Sempiterno Veritatis Lumine relatè ad quælibet intelligibilia. Suprà rem totam in Resp. ad 1. Oppos. explicavimus. At quorsum hæc? Ingenuè fatendum erat, sententiam de anteceptis ideis non omnibus probari, neque ex hoc fonte hauriri invictissimum contra Atheos argumentum.

33. Probatus 2. pars Propositionis. Ceterùm, quod erat altera pars Propositionis, datur notitia Entis Perfectissimi, aut sit naturaliter indita, aut acquisita: Ergo datur Deus. Probatur consequentia: Si hæc idea & notitia est ingenita, nullam aliam habet causam nisi Lumen Incommutabile Veritatis, imò hoc Ipsum Incommutabile Lumen nobis intimè assistens est ipsa idea: Lumen Istud indefectibile veritatis est Deus: Ergo si datur notitia ingenita Dei, datur Deus. Atque hoc argumentum ex 1. & 2. Propositi. satis corroboratur. Si verò hæc idea Entis summè Perfecti sit è sensibus hausta, ita argumentor: Efficitur idea Summi Boni, Summi Veri, summè Perfecti, quia inter creaturas conspicimus unam magis bonam, magis veram, magis perfectam alterâ, ideóque creaturæ magis, minúsve approximantur bonitati, veritati, & perfectioni, quæ sic ceteris supereminet, ut superiorem non habeat: Sed bonitas, veritas, & qualiscunque perfectio, quæ ita ceteras antecellit, ut superiorem non habeat, est Deus: Ergo si datur idea Entis summè Perfecti etiam à sensibus hausta, existit Deus. Utitur hoc argumento Augustinus Enarrat. 2. in Ps. 26. & lib. VIII. de Civit. Dei cap. 6. Anselmus in Monologio cap. 4. Richardus Victorinus lib. 1. de Trinitate. cap. 11. D. Thomas quæst. 2. art. 3. Prob. 4. Ægidius noster dist. 3. p. 1. princ. 1. art. 3. Philosophi ac Theologi omnes: explanátque illud disserta eruditione Petavius lib. 1. cap. 2. num. VI. VII. & VIII.

34. Objectio 1. Opp. 1. Ex pluribus creaturis, quarum una magis participat rationem mali quàm altera, non potest hauriri idea summi mali existentis. Ergo ex pluribus creaturis, quarum una est altera melior, effici nequit notio existentis Summi Boni.

Solutio. Resp. ideam summi mali existentis commentitiam esse, ac repugnantem. Quid est enim malum, nisi alicujus boni defectus? Igitur summum malum oportet omni careat bonitate: At existentia est bonum aliquod: Nequit ergo summum malum percipi cum existentia. Bonum contrà est perfectio carens aliquo malo: erit itaque omne bonum expers quacunque malitia: Atqui non existere aliquod malum est: Ergo omne bonum concipi numquam potest absque existentia. Quamobrem nego præfati argumenti consecutionem.

35. Objectio 2. Opp. 2. Ex quo detur unus E. G. color lucidior altero, unum animal alio perfectius, minimè sequitur, dari colorem lucidissimum, aut perfectissimum animal: Igitur ex quo aliqua creatura sit melior altera, frustrà arguitur, quòd existat res optima, & singulis creaturis præstantior.

Solutio. Resp. retorquendo argumentum: nempè ex quo unus color præcellat alteri rectè consequitur, dari albedinem, quæ est color aliis lucentior; & ex quo unum animal superet aliud, infertur existere hominem, animal rationale brutis perfectius. Ergo ex quo una res sit mélior altera, probatur, dari rem optimam singulis rebus præstantiorem. Verum tamen est, quòd in idea hujus coloris vividioris, scilicet albedinis, atque in idea istius animalis rationalis, videlicet hominis, non relucet infinitas, neque necessaria existentia; quoniam idea infinitatis repugnat cum idea rei finitæ, cujusmodi est quilibet color; & idea necessariæ existentiæ adversatur ideæ rei contingentis, cujusmodi est quodcunque animal. At idea infinitatis comprehenditur è contrà in idea Summi Boni; quandoquidem idea Summi Boni qualemcunque exhibet perfectionem: infinitas autem aliqua perfectio est. Sed de ideis, quantum Augustiniani Theologi intererat, hactenus.

CA-

CAPUT II.

Adversùs Atheos argumenta reliqua producuntur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Producitur argumentum primum ex rerum creatarum contingentia, variæque ad illud responsiones repudiantur.

8. 9. 10. 11. 12. Affertur secundum argumentum ex motu, ac serie causarum secundarum.

13. 14. Fiunt, & solvuntur duæ objectiones.

15. 16. 17. Tertium argumentum petitum ex rerum aspectabilium compagine.

18. Quartum argumentum depromptum ex naturali hominum instinctu.

19. 20. 21. Argumentum quintum ex communi sapientum confessione.

22. 23. 24. 25. Argumentum ultimum, quod exhibet numerus, vita, & ignorantia Atheorum.

Argumenta adversùs Atheos.

SOLIS à natura insitis perceptionibus pergebat Renatus Carteſius ostendere, Deum esse; at denique in vulgatissimam ratiocinationem prorupit: *Si sit alia præter Deum causa, quæri potest, an sit ex se, vel ab alia? si ex se, erit Deus, si ab alia, toties quæretur, donec ad illam perveniatur, quæ à se, & sit Deus, cùm in infinitum progredi non liceat.* Quod animadvertens Socinianus Carteſii Censor, *Cur, quæso,* inquit, *per tot ambages & mæandros eò contendit auctor, quò trita via jam pridem alii pervenerunt?* De ideis & nos quidem, ut juxtà Augustinum statuerentur, plura diximus: nolumus tamen ab ea semita deflectere, qua ceteri omnes incedunt; atque hoc loco alias probationes afferre instituimus.

Primum momentum metaphysicum ex rerum creatarum contingentia.

1. Argumentum 1.

Quæcunque oculis nostris conspiciuntur, contingenter existunt; nam videmus arbores germinare, & arescere, fontes fluere & exsiccari, animantia generari, ac perire, ipsúmque præstantissimum animal hominem, Ps. LXXXIX. v. 6. comparari herbæ, quæ *manè floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat*: Hæc rerum aspectabilium contingentia supponit existantiam Entis Necessarii, ac summè Perfecti, quod existat immutabiliter, & à se: Ergo Ens summè Perfectum ac Necessarium, nempè Deus, reverà existit. Prob. min. Si omnia essent contingentia, neque esset Ens Summum ac Necessarium, cùm res contingens ita sit, ut possit non esse, rationabiliter fieret suppositio, quòd nulla res existeret: Ea suppositione facta, manifestum est, existere Ens Summum ac Necessarium: Ergo si omnia aspectabilia contingenter sunt, consequitur Entis Summi ac Necessarii existentia. Minor facilè ostenditur, quippè si supponatur nihil existere, nihil erit producibile, omniáque impossibilia; quod enim nihil est, non potest esse causa rei existentis.

2. Confirmatio.

Confirmatur ex Damasceno libro 1. de Fide Orth. Quidquid est mutabile & contingens, creatum est, vel increatum: Si creatum; ergo oportet esse Conditorem omnium rerum mutabilium & contingentium. Si increatum, ergo non erit contingens, sed immutabile, quoniam non potest esse mutationi subjectum, nisi quod esse cœpit à mutatione.

3. Roboratio.

Rursùs corroboratur: Quæ contingenter existunt, nullam habent vim sese conservandi, possunt enim contingentia singulis momentis desinere: Igitur quòd perseverent, beneficium est alicujus causæ, quæ ea servet, & in dies quodammodò reproducat: Atqui non minor potentia requiritur ad rem producendam, quàm conservandam: Ergo si, ut perseverent, indigent causa, ac principio non contingenti, tali causa ac principio indigent quoque, ut existant.

4. Objectio Epicuri.

Respondet Epicurus, dari quidem Ens Necessarium, ac Perpetuum, at istud nullum esse præter insectiles atomos, cùm experientia compertum sit, ex nihilo nihil fieri, & nihil in nihilum reverti, ùt decem argumentis demonstrat Lucretius Lib. 1. De rerum natura ab eo versu,

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset &c.

Solutio.

Sed nihil absurdius Epicuri deliramentis. Primò quoniam atomorum quædam sunt solidiores, quædam humectiores, quædam rotundæ, quædam aliis instructæ figuris, & omnes perpetua collisione franguntur, adeóque nequeunt esse insectiles, ac persistentes.

Dein-

Deindè dato Epicureis, quòd omnes atomi, & rerum aspectabilium semina sint perfectè solida, soliditas non potest percipi nisi partium contactu; partium verò contactus non datur, nisi in corporibus concretis: aut saltem si atomi deprehenduntur solidæ, deprehenduntur eo contactu, quo percipiuntur solida corpora quæque concreta. Itaque si ex soliditate posset argui æterna existentia, quælibet corpora concreta, quæ tactu percipiuntur solida, forent æquè indissolubilia, ac atomi & semina. Ulteriùs, ùt demonstrat Thomas Creechius Censura in librum 1. Lucretii, argumenta, quibus Epicurei adstruunt suis atomis æternitatem, vitiosa innituntur suppositione. Detur enim, quodlibet è quolibet oriri non posse, res nasci statutis temporibus, agros fertiliores reddi acricolarum industria, detur quidquid affirmat Lucretius: quomodò indè efficitur, ipsas atomos non fuisse productas, & nihil fieri supremi Numinis providentia? *Neutrum*, ait Creechius, *concludet; ideóque decem argumenta perierunt.* Rectissimè igitur creditur Deus omnia de nihilo fecisse, *quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omninò nihilo facta est*, inquit S. P. Augustinus lib. 1. de Genes. contrà Manichæos.

5. Objectio Spinosæ.

Respondet Spinosa, nullum dari ens contingens ac producibile, sed res omnes solùm produci ratione extensionis, quippè omnis substantia definitur, *Ens ger se subsistens:* Atqui omnes res corporeæ sunt substantiæ: Ergo existunt per se, nec sunt ab Ente aliquo Necessario productæ.

Solutio.

Verùm Spinosa inaniter fucum facit: definitio enim substantiæ, quòd sit *ens per se existens*, est definitio substantiæ Dialecticorum, idest ideæ, qua percipitur res in se existens, non subjecto adhærens, ut figura, extensio, motus, & alia, quæ dicimus accidentia: quæ definitio convenit etiam substantiæ productæ, & à Necessario Ente distinctæ, ut animæ, corpori, plantæ, rebúsque universis spiritualibus, & corporeis. Quid est ergo propriè substantia? id quod est, (aut à se, aut à Deo sit,) & non advenit rei, quæ est. *Dicitur homo, dicitur cælum, dicitur sol, luna, lapis, mare, aer: omnia ista substantiæ sunt, eo ipso, quo sunt*: ait Augustinus in Psalm. LXVIII. serm. 1. num. 5. Si contenderet Spinosa, à nulla secunda causa produci novam substantiam, & formas quasque esse materiæ congeriem, modum ac dispositionem, quia nulla substantia potest ex nihilo à creatura produci, tametsi obvia esset responsio, quòd formæ educuntur è subjecto, quo non eget causa creatrix, concederem argumentum; non enim quisquis negat formas Peripateticas, æstimandus est Atheus, dummodò asserat permixtionem, & particularum congeriem, in qua statuit formas, fieri circà materiam à Deo productam, quæcunque ea demùm sit.

6. Urgent Athei.

Respondent alii Athei, ineptam esse illam consecutionem, quæcunque res aspectabiles sunt contingentes, ergo contingens erit tota rerum aspectabilium complexio; non enim à distributivo ad collectivum, à partibus ad totum tenet argumentatio.

Refutantur.

Sed futilis sanè responsio; nam etiamsi non valeat illatio à partibus ad totum in quibusdam enunciationibus, quæ pertinent ad extensionem continuam, vel discretam, E. G. tenuissimæ sunt singulæ guttæ aquarum, pauci sunt incolæ unius oppidi, ergo parum extenditur mare, neque multitudinem efficiunt homines universi: valet nihilominus id genus argumentationis in ceteris, præsertim, quæ ad essentiam pertinent, V. G. Quilibet lapis est corpus, singuli homines sunt rationales, unaquæque particula aquæ est fluida, igitur omnis acervus lapidum habet extensionem, universa hominum collectio pollet ratione, fluidus est Oceanus, aut fluvius. Certè quòd res contingentes possint non esse, ad earum spectat essentiam; si enim ita essent, ut non possent non esse, incommutabiles forent, non contingentes.

7. Oppositio cum Solutione.

Oppones: Ex quo singula possibilia possint esse, non consequitur, ergò omnia possibilia collectivè possunt actu existere: Ergo ex quo contingentia singula possint non esse, non infertur, quòd omnia contingentia collectivè valeant actu non existere. Resp. nego paritatem. In idea ac perceptione possibilium venit existentia possibilis, non actualis, ideóque repugnat, quòd omnia collectivè possibilia actu existant; quandoquidem si omnia possibilia sint actu, jam nullum remanet, quod sit potentia, & consequenter tollitur omnis possibilitas. Contrà in idea contingentium percipitur ex æquo potestas existendi, & potestas non existendi; ac proindè semper sunt contingentia, ac mutabilia, sive supponantur in actuali existentia cum potestate ad non existendum, sive non

non exstantia actu cum possibilitate existendi.

Momentum secundum Physicum ex motu, ac serie causarum secundarum.

Sensu vividissimo omnia moveri conspicimus,

Nam certè non inter se stipata cohæret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetûstatem subducere nostris:

8. Argumentum 2. Ait idem Lucretius lib. 2. Sed quæcunque moventur primitùs à Superna Causa, quæ sit immobilis, moveri debent: Ergo exiſtit hæc Causa Suprema atque Immobilis, quæ Deus est. Minor probatur; etenim, quæ moventur, vel moventur à se, vel ab alio; non à se, aliàs erunt primum principium movens immotum, quod nos dicimus Deum: Ergo moventur ab alio: Atqui in causarum serie repugnat processus in infinitum: Sistendum est igitur in aliqua Prima Causa movente quascunque alias, quæ causa est Deus. Quod in causarum serie repugnet processus in infinitum, demonstrant omnes Theologi, & Philosophi, quia aliàs nullus effectus produceretur in tempore; cùm enim res præsertim corporeæ moveantur, & agant temporum intervallo, si numero infinitæ essent causæ, à motione illius causæ, quæ nunc agit, nullis sæculorum spatiis ad Primam Causam moventem posset perveniri. Singulare autem exemplum protulit ante Mersennium sapientissimus noster Ægidius 2. Meth. q. 18. ex numerorum ratione. Enimverò si non detur unitas, quæ est principium numerorum, nullus numerus poterit supputari; nam nisi sit unitas, non potest dari binarium, quia istud resultat ex duplici unitate; & nisi detur binarium, excogitari nequit numerus quaternarius, resultans ex duplici binario, &c. At causæ subordinatæ, quarum una movet alteram, se habent ad instar numerorum, quorum unus alium supponit: Ergo nisi detur causa movens unica ac prima, nulla alia causa movens poterit excogitari.

9. Probatur ex S. Augustino. Quòd verò prima causa cæteras omnes præmovens sit Deus, ita evincitur ex Augustino lib. x. Confess. cap. vi. Quocunque corpore perfectior est anima, quæ corpus movet; Ergo qualicunque remota præstantior est causa, quæ movet omnia. Rem autem omnium præstantissimam esse Deum fatetur singulorum hominum sensus. *Veritas enim dicit mihi: Non est Deus tuus cælum, & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti: Moles est, moles minor est in parte, quàm in toto. Jam tu melior es, tibi dico anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori, Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est.* Sed lege totum Caput præcitatum magni Augustini.

Hoc argumentum videtur invictissimum etiam Hugoni Grotio, qui libro 1. de Veritate Religionis Christ. ita breviter ac differtè illud proponit. *Res aliquas esse, quæ esse cæperint, sensu ipso & confessione omnium constat. Eæ autem res sibi non fuerunt causa, ut essent: nam quod non est, agere non potest; nec ipsa res esse potuit, antequàm esset. Sequitur igitur, ut aliundè habeant sui originem: quod non tantùm de illis rebus, quas ipsi aut conspicimus, aut conspeximus, fatendum est; sed & de iis, undè illæ ortum habent, donec tandem ad aliquam causam perveniamus, quæ esse nunquam cæperit, &c.*

10. Confirmatio.

Respondet Epicurus, dari quidem motus, sed horum primam effectricem causam esse atomos, quæ per inane infinitum deorsùm tendentes interjecto inani cohærescunt, rerúmque omnium formas efficiunt.

11. Objectio Epicuri.

Bellè Lactantius Firmianus libro divinarum Instit. III c. 17. ait: *Nemo ista præter unum Leucippum somniavit, à quo Democritus eruditus hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro.* Et quidem Epicurei opinantur, corpuscula deorsùm descendere, quoniam eo genere motûs corpora quoque concreta feruntur. At inepta est consecutio: lapis, lignum, & omne grave tendit deorsùm, ergo eadem ratione moveri debent horum concretorum particulæ; rotæ enim, elateres, & reliquæ partes machinæ non moventur seorsim, quomodò faciunt conjunctæ. Præterea vel atomi rectà moventur lineis parallelis, vel paululùm incurvantur, ut ex ipsis fluant concreta: si hoc secundum asserat Epicurus, motus atomorum non erit essentialiter rectus; si primum affirmet, ergo nunquam cohærescent ad perficienda corpora, nisi ab exteriori aliqua causa inclinentur; parallelæ enim lineæ nunquam sese intercidunt, quocunque protrahantur. Dato igitur unicuique corpori motu recto, ut non diffitentur recentiores Philosophi plurimi, *quæ nova causa in natura est, quæ declinet atomum?*

Solutio.

mum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinet intervallo, majore non? aut cur declinet uno minimo, non declinet duabus, aut tribus? Ita hortos Epicuri, ait Creechius, vastat Cicero in lib. de Fato. Appositè de insanissimo Philosopho Augustinus lib. III. contrà Academicos cap. X. num. 23. *Iste luxuriosus, cùm atomos quasi ancillulas suas, ideſt corpuscula, quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per jurgia dissipavit.*

12. Objectio Sinensium. Respondent quidam Pagani Sinenses, omnium rerum causam esse bonitatem quamdam essentialem undique diffusam, sed à materia indistinctam, quæ est aut materies quædam subtilior, aut quinta Pythagoricorum essentia.

Solutio. Hoc Indorum systema apertè dictis confoditur. Etenim hæc bonitas si est à se, erit Deus; si ab alio, erit à Deo, & erit bonitas per participationem, non per essentiam. In subtiliori autem materia, quam Pythagoras quintam vocat essentiam, locare summam bonitatem, putidum figmentum est: quippè si hæc summa bonitas est ipsa materia in quolibet corpore divisa, quomodò est una, quomodò universalis, quomodò undique circumfusa? Sed neque differt iste, nisi nominetenùs ab errore Epicuri & Spinosæ, quem nuperrimè refutavi. Non opus est igitur, ut in eo refellendo immoremur. *Videte, quàm expedita sit sententia Catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum, quod summè, ac per se bonum est, & non participatione alicujus boni, sed propria natura & essentia; aliud, quod participando bonum, & habendo, habet de illo Summo Bono, ut bonum est, & ea, quæ fecit, bona sunt omnia, quamvis non sint tam bona, quàm est Ille Ipse, qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, ut æqualia sint artifici opera, & condita conditori? Quid ampliùs desideratis? An etiam vultis aliquid planius?* Augustinus lib. II. de moribus Manichæorum cap. IV.

13. Oppositio I. Opp. I. Ut servetur causarum series, non opus est, ut deveniamus ad primam, res enim creatæ ad instar catenularum in circulo connectuntur, & sese movent ad invicem: Ergo Athei effugiunt processum in infinitum, etiamsi negent existere Primam Causam.

Solutio. Resp. nego ant. Etenim partes circuli non à se invicem producuntur, sed tantùm inter se habent connexionem & ordinem, & nihil implicat, quominùs plures partes distinctæ sibi mutuò cohæreant. At res productæ à suis causis efficiuntur, & necesse est, causam vel tempore, vel natura suis effectibus anteire. Sic in describenda circuli peripheria unum punctum effluit ab alio; & nunquam consurgeret circulus, si non esset primum punctum, undè alia ad efformandam lineam exirent.

14. Oppositio 2. Opp. 2. Creata voluntas movet seipsam, ad bonum quidem in sententia illorum, qui negant victricis ac prædeterminantis gratiæ necessitatem; ad malum verò in omnium Theologorum sententia: Ergo falsum est, moveri ab alio, quidquid movetur.

Solutio. Resp. voluntatem creatam ad bonum moveri per virtutem sibi à Deo inditam, sive sit gratia prædeterminans, sive indifferens, ideóque virtualiter moveri ab alio; imò ad primam intentionem finis, nullatenùs seipsam movet, sed movetur; cùm illa prior intentio sit prorsùs indeliberata, Moveri autem ad malum non est aliquid efficere, sed deficere. *Tu fortasse*, ait S. P. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. *Tu fortasse quæsiturus es, quoniam movetur voluntas, cùm se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, undè ei iste motus existat; qui profectò malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec rectè vivi potest, in bonis numeranda sit.... Omnem rem, ubi mensuram & numerum, & ordinem videris, Deo Artifici tribuere ne cuncteris. Undè autem ista penitùs detraxeris, nihil omninò remanebit: quia etsi remanserit aliqua formæ alicujus inchoatio, ubi neque mensuram, neque numerum, neque ordinem invenias, quia ubicunque ista sunt, forma perfecta est, oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies subjacere videtur Artifici. Si enim formæ perfectio bonum est, nonnullum jam bonum est & formæ inchoatio: ita detracto penitùs omni bono, non quidem nonnihil, sed omninò nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo: nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo.*

Momentum III. petitum ex rerum aspectabilium compagine.

15. Argumentum 3. Si infimæ sortis Philosophus, ac prorsùs non stupidæ mentis homo universum intueatur, fieri non potest, quin statim percipiat ex recta partium concatenatione, fuisse productum à causa, quæ sit maxima sapientia ac ratione prædita, neque somniare poterit fortuita corporum incursione fuisse compactum:

Hæc

Hæc Causa Auctrix, quæ universorum molem tanto artificio construxit, Deus est: Ergo nullus, nisi fortè mente & oculis captus, hujus Dei existentiam inficiabitur. Minor propositio probatur primò contrà omnes Atheos pluribus exemplis. Unum affert Tullius lib. 2. de natura Deorum. Illius, qui, cùm in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cùm videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, statim intelligit esse aliquem, qui præsit, & cui pareatur. Alterum proferunt Philo lib. 1. de Monarchia, Athanasius in libro contrà Gentiles, Auctor Quæstionum, quæ tribuuntur Justino, quæst. 3. & S. P. Augustinus lib. II. de Civit. Dei cap. 4. ab eo, qui in civitate, vel exercitu leges optimas, cives, milites, plebem in suo ordine videns, non dubitat, quin civitas à Principe, & exercitus ab Imperatore regatur. Aliud exemplum producit Creechius Censura in 2. librum Lucretii, & Antonius Le-Grand p. 2. Philosoph. cap. 4. ex Sphæra Archimedis, & machina Protagoræ, quas nemo sanæ mentis dixerit fortuitò natas, non arte ingenióque Perfectas; quid plura? Atheum ita perstringit Chrysostomus in Ps. 13. *Non est fundamentum: & quomodò stat ædificium? non est carina; & quomodò consistit navigium? non est fabricator navis; & quomodò navis compacta est. Non est ædificatur; & quomodò domus facta est? non est architectus; & quis urbem condidit? non est agricola; & quomodò agri tulêre manipulum? non est musicus; & quomodò in mundi lyra apparet concentus? non est qui provideat; & quomodò per omnia pervadit providentia? non est auriga; & quomodò elementorum quatuor currus agitur? non est statuarius; & quomodò homines veluti quædam statuæ in mundo facti sunt? &c.* Si tanti luminis beneficio Athei rerum omnium Artificem minimè videant, repetam cum Augustino enarrat. in Psalm. LXXIII. n. 25. *Et quid facium talibus? ostendam, quod non vident? non possum: non enim propter illos Deus visibilis* (ideſt corporeis oculis) *debet fieri.*

16. Probatio contrà Epicuros.

Deindè terrarum orbem non esse casu productum, ostendo particulariter contrà Gregem Epicuri, qui fatetur factum, sed sola repentina incursione atomorum putat compaginatum. Si contigit aliquandò, ut casuali seminum dispositione omnia aspectabilia consurgerent, cur nunquam accidit, ut denuò talem ordinem mobiles atomi nanciscantur, neque novæ arbores, nováque elementa sua sponte gignuntur? Si homines fortuitò sunt progeniti, quænam causa naturam compulit, ut duos tantùm produceret, eósque masculum, & feminam ad futuram prolis generationem? Quòd si plures homines ex materiei incursione procreati sunt, cur ubique terrarum corpus habent eisdem partibus instructum, neque diversam habent figuram, structurámque membrorum? Ad hæc: nunquam nostra, majorúmque ætate compertum est, quòd atomi casu motæ lapides levigarent, atque his aptatis invicem muros, oppida, urbésque construerent. *Si mundum*, inquit Cicero lib. II. de natura Deorum, *efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minùs operosa, & multò quidem faciliora? Certè ita temerè de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum suspexisse videantur.* Præterea nullus nisi fortè insanus omnigenas apicum formulas, literásque græcas, latinas, hebraicas flante vento permixtas speraret ita ad invicem necti, ut characteribus, lineisque dispositis nulla scribente manu Homeri Iliades, Virgilii Æneidas, aut Davidis Psalmos componerent. Atqui longè mirabilior ordo & harmonia in partibus universi spectatur. Ergo insipiens est, qui existimat, omnia incursu particularum esse tam concinnè disposita. Postremò: ipsemet Lucretius invitus, vel incautus libro 1. scribit, Epicurum nec fama Deorum, nec fulminum timore compressum religionem pedibus subjectam calcasse, providentiam, curámque Deorum dejecisse; & tamen firmissimam naturæ legem, & præscriptos ordines materiæ testatur, quibus verè florescunt rosæ, æstate segetes matureſcunt, autumno vites vinum fundunt, & qui nisi essent, omnia incertis spatiis, atque alienis anni partibus exorirentur, arbusta extemplò prosilirent, subitò infantes adolescerent, neque augendis, procreandisque rebus ullus esset seminum usus.

Atque hæc rè nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus inest secreta facultas:

Atqui hæc naturæ constantia, facultas ista secreta, invariabilis ille rerum nascentium reditus, nequeunt esse munera materiei expertis ingenio, & casu permixtæ: Ergo erunt opera Providentiæ, & Imperii Sempiterni rerum omnium Artificis. *Undè ego*, ut Lactantii utar verbis

verbis cap. 2. de Opificio Dei, *philosophorum, qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut ostendant nulla providentia instructum esse, ac regi mundum: sed originem rerum insecabilibus, ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus universa nascantur, & nata sint.*

17. Confirmatio. Quoniam verò inter naturæ fœtus, quos damnat Epicurus, haud infimum tenet locum fabrica humani corporis, ex ea Divinitatem Effectricem ita hoc momento liceat comprobare. Aut spectetur exteriùs, aut intrà artus moles corporea hominum, clamat esse Deum Artificem suum. De exterioribus illorum membris vide Tullium in 2. de Natura Deorum, & loco nuper citato Firmianum. In omnibus sensuum organis providum Auctorem miramur: patet auditus, quo excitemur à somno: aures extrà eminent, ne voces adjectæ labantur: palpebræ mollissimæ sunt, ne lædant faciem: oculi, ut suo munere fungantur, altissimum tenent locum: stat homo erectus, ut contempletur gyrum, harmoniam, lucem, motúmque cœlorum constantissimum; quorum, ùt legimus Ps. XVIII. *in omnem terram exivit sonus*, ideſt, delineatio eorum, eò quòd ubique celebretur perfectissimi operis summa, & ad normam exacta pulchritudo, inquit Jacobus Benignus Bossuet Meldensium Episcopus. Convertatur ad internas corporis partes animus. In oculo namque nectuntur musculi, quibus undique globulus fertur, tunicæ, quæ radios frangunt, & congregant: humor aqueus, crystallinus, vitreus, qui à prioribus justo intervallo retinam separat. In aure malleus sunt, incus, & stapes, quæ efficiunt, ne tympanum laxetur, aut æquò tentius evadat: teres ligamentum, quod moderatur auditorii musculi actionem: cochlea item, quæ in testudinis formam efficta soni confusionem amolitur. Infinitus essem, si vellem singula sermone comprehendere. Et tamen hæc omnium minima de Auctore suo perhibent testimonium. Quid verò de Anima? Stulti illi philosophi compositam putant ex minutis particulis auræ, aeris, caloris; sed cùm in his perceptionem nequaquàm valeant apprehendere, coguntur addere quartum, nescio quid innominatum, situm in pectore, & sensus, ac cognitionis principium, tanquam araneum tractans ad captandas muscas filamenta: de quo Lucretius in III.

Jam triplex animi est igitur natura reperta.
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens, posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur; ea est omninò nominis expers.

Prætermitto stirpes, miniarias fodinas, aquarum rivos, volucrum indolem, animantia omnia, memor verborum Augustini Serm. XXVII. in Ps. 118. *Quis enumerat saltem generatim testimonia Dei? Cœlum, & terra, visibilia, & invisibilia opera ejus dicunt quodammodò testimonium Bonitatis, & Magnitudinis ejus; & ipse cursus frequens, usitatúsque naturæ, quo temporum rapacitas volvitur, in rerum quarumque generibus quamvis temporalibus atque mortalibus, quæ certè consuetudine viluerunt, si pius considerator advertat, perhibet testimonium Creatori.*

Momentum IV. depromptum ex naturali hominum instinctu.

18. Argumentum 4. Accedit ad probandam Summi Numinis existentiam naturalis cujúsque creaturæ rationalis affectio: ex qua mihi argumenta quatuor, eáque planissima suppeditantur. Sit primum: Omnes homines innatum habent æternum vivendi desiderium; quod desiderium, cùm sit commune, & proindè à naturâ insitum, vanum non est: At perennem vitam, sive sit animæ unitæ corpori, sive indè divulsæ, præstare non potest nisi potentissima causa, nempè Deus: Ergo existit iste Deus. Quidam urgent hoc argumentum de innato desiderio videndi Deum, & fruendi corporis immortalitate: sed arbitrantur alii istiusmodi desiderium ad gratiam spectare, non ad naturam. Secundum argumentum depromitur à Lactantio, Tertulliano, Arnobio, & etiam Seneca in libro IV. de Beneficiis ex communi loquendi consuetudine; nam *cùm jurant, cùm optant, cùm gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed Deum nominant; adeò ipsa Veritas cogente naturâ etiam ab invitis pectoribus erumpit: & si belli tremor infremuerit, si morborum pestifera vis, si sæva tempestas, si grando increbuerint, si alimenta frugibus siccitas denegaverit, ad Deum confugiunt, Dei petitur auxilium, Deus,*

ut ſubveniat, oratur; ait in 2. lib. cap. 1. Lactantius. Lege Tertullianum cap. XVII. Apolog. & Arnobium in 1. adverſùs Gentes. Addo Arrianum diſſertat. Epicteti lib. II. cap. 7. aſſerere, gentes olim Deo ſupplicâſſe ea precum forma, qua à primis ſæculis utitur Catholica Eccleſia, nimirum Κύριε ἐλέησον, quæ eſt manifeſta naturæ Opificis, ac Rectoris invocatio. Addo timorem, quo impii ſcelere patrato agitantur, *teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus*, ùt inquit Apoſt. ad Rom. 2. v. 15. Quem timorem ut tollerent Athei, dixerunt, ſuperos nulla angi mortalium ſolicitudine, & animam evaporantibus atomorum effluviis ad inſtar fumi diſſolvi. Videtur tamen, ùt ait Cicero in 3. de nat. Deorum, *Epicurus ludere, dum negare, Deos eſſe, non audet, ſed nihil agere, nihil curare confirmat, membriſque humanis eſſe præditos, ſed eorum membrorum uſum nullum habere.* Lucretius ipſe Deo ſapientiam attribuit lib. IV. de natura rerum, dicens:

Nam ſi, ùt ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum eſt: Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur ſapientia, &c.

Atque, ut liberalior ſim, licèt mortalis foret anima, pœnarum metus minimè tolleretur: quippè ipſa mors maxima foret calamitas: eámque ſtatuere, juxtà Epicurum, finem miſeriarum, perindè eſt, ac ſi jactato procellis in motivum ſolatii proponatur naufragium. Rationabiliùs ergo alliciuntur boni ſpe perennis felicitatis; & improbi timore æternorum ſuppliciorum concutiuntur. Argumentum ultimum petitur ex aris *Ignoto Deo* olim erectis. Legimus enim in Laertio de Eupimenide Cretenſi, qui ſine nomine aras ſacravit, quòd neſciret, cui deorum eſſet pro avertenda peſtilentia ſacrificandum. Veteres quoque Romani, ùt ſcribit Agellius lib. II. cap. XXVIII. ubi terram moviſſe ſenſerant, nuntiatúmque erat, ferias edicto imperabant; ſed Dei nomen, cui ſervare ferias oportebat, edicere quieſcebant, ne alium pro alio nominando falſæ religioni populum alligarent: neſciebant quippè Pontifices, ùt ſcribit Varro, per quem Deorum terra tremeret. Invenit etiam Paulus Athenis aram dicatam, *Ignoto Deo*, ùt legimus in cap. XVII. Apoſtolorum Act. v. 23. hujúsque aræ cauſa fuit duplex; una victoria à Perſis reportata, cùm Athenienſes exercitum ducerent in Græciam, altera peſtis graſſata pridem Athenis: ex qua cives ſuſpicati ſunt, eſſe Deum aliquem, quem ipſi absque honore reliquiſſent; quique iratus immiſerit peſtilentiam. Quam cauſam probat Oecumenius; confirmátque exemplum aliarum gentium, quæ, ut tradunt Macrobius, Pauſanias, aliique, multas excitabant aras cum tali inſcriptione Θεῷ ἀγνώστῳ, *Ignoto Deo.* Idcircò, quòd affirmant Baronius, Lorinus, Cornelius à Lapide, ceteríque interpretes, fuiſſe ab Athenienſibus erectam aram *Ignoto Deo, quòd accepiſſent ab Hebræis eſſe* יהוה *Deum ſcilicet ineffabilem*, nullo innititur fundamento, præſertim cùm Judæi nomen Tetragrammaton nunquam vulgò efferrent, ne fieret ludibrio gentilibus: hi verò nullatenùs Judæis crederent. Hucúsque dicta ſic breviſſimè proponuntur. Conſtat ex communi ad ſemper vivendum inſtinctu, ex loquendi ac deprecandi conſuetudine, ex improbæ conſcientiæ ſtimulis, ex aris erectis *Ignoto Deo*, exiſtere Supremam Cauſam omnium Auxiliatricem, & aliquem Bonorum operum Remuneratorem, Vindicémque malorum: Igitur manifeſtum eſt, eſſe Deum.

Momentum V. Ex communi Sapientum confeſſione.

Ad exiſtentiam Dei comprobandam v. loco produco omnium Philoſophorum conſenſum. In Jonica ſecta aſſeruit Mentem procreatricem rerum omnium Anaxagoras; imò antè illum idem tradiderant Thales & Xenophanes: Pythagoras cum univerſa Italica Schola Deum agnovit in ſeſe totum, mundique Opificem: Plato pro rei dignitate de Divina naturâ in Timæo, aliiſque commentariis diſſeruit; eúmque ſecuti ſunt Speuſippus, Maximus Tyrius, Plotinus, Jmblicus, Proclus, Apulejus, ceteríque Platonici. Primam Cauſam aſſecutus eſt Ariſtoteles, & ipſius Heraclides, Theophraſtus, Simpliciùs: Socrati hujus Veritatis confeſſio mortem attulit: Antiſthenes Cynicorum, & Zeno Stoicorum principes hanc doctrinam ſequacibus ſuis tradiderunt. Nec ipſi Epicurei, ùt diximus, Deos penitùs ſubſtulerunt: Luculenta de Deo teſtimonia reliquerunt Seneca, Tullius, Epictetus, Marcus Aurelius. Horum verba collegêre Clemens Alexandrinus in libris Stromateon, Juſtinus in Apo- 19. Argumentum 5.

logetico, Lactantius in libro de ira Dei, Minucius Felix in Octavio, Athenagoras, Cyrillus, Eusebius, Augustinus, aliique: atque ex his omnibus operosè Augustinus Steuchus in libris de perenni Philosophia, eruditè in libro 1. de Progressu Idololatriæ Gerardus Vossius, brevissimè lib. 2. Quæstionum Alnetan. Petrus Daniel Huetius. Quos, dum vacat, lege.

20. Probatur ex Poetis.

Etiam Poetæ Deum commemorarunt. Homeri carmina, ubi phœnix Ulissem affatur, recitat in sua Apologia Justinus Martyr. Ex Paræneticis Phocylidi plura laudat Eugubinus lib. 3. de perenni Philosophia cap. II. Orphei, Arati, Hesiodi, & Sophoclis multa proferunt Athenagoras, & Lactantius; quamquàm Orphei carmina videantur supposita, cùm Origenes lib. 1. contrà Celsum testetur, ad ætatem suam minimè perveniisse. Nonnulla exscripsit vir clarissimus Dionysius Petavius lib. 1. cap. 3. De Virgilio, sat est, si legeris Pinucium. Lucanum adeas libro nono Pharsaliæ ab eo versa, *Hæremus cuncti superis, temploque tacente:* Horatium libro III. Carm. 4. ab eo: *Qui terram inertem, qui mare temperat:* Manilium ab illo prioris libri: *Ac mihi tam præsens ratio, &c.* Ovidium initio Metamorphoseos ad istum, *Hanc Deus, & melior litem natura diremit.* Præclara etiam sunt Sybillarum testimonia; sed de harum auctoritate inter doctos non convenit.

21. Probatur ex variis Nationibus.

Denique, inquit loco citato cap. 1. doctissimus Abrincensis Episcopus: *Consentientes habemus potissimùm eas gentes, quæ aliquam ab ingenio & elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos, Græcos, Ægyptios, Assyrios, Chaldæos, Persas; qui ignem & solem, non ut Deos, sed ut Supremi Dei, rerum omnium Principii, & Auctoris imaginem coluerunt; Brachmanes, quæ Indicæ gentis, Sinenses, quæ Orientis totiùs cultissima pars est: inter quos secta quædam summum Mundi Opificem Tao appellat, nomine, uti conjicio, ab Ægyptiorum Theuth deducto.* Hujus argumentationis summa est: Incredibile est sapere, qui Deum negant, si Deum esse fateantur, non solùm Fideles, sed etiam Philosophi Ethnici, Gentiles Poetæ, Nationes quæque totius Orbis terrarum: Philosophi, Poetæ, Gentes universæ, esse aliquem Deum, profitentur: Ergò incredibile est, non nihil sapere, qui Deum negant.

Momentum ultimum, quod exhibet numerus, vita, & ignorantia Atheorum.

22. Argumentum ultimum de numero Atheorum.

Tam exiguus est numerus Atheorum, ut probabilis sit illorum opinio, qui censent nullos unquam speculativè, & directè fuisse Atheos; quamvis fuerint plures practicè, scilicèt vita, ac moribus. Nam Scriptura, ac Patres, ubi tales perstringunt, designant Atheos corde, non mente, ùt in Psalm. IX. v. 32. *Dixit in corde suo, oblitus est Deus:* & Apostolus ad Titum 1. v. 16. *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.* Quòd enim L'Herminier opponat verba Sap. XIII. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntu bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt, quis esset Artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, Rectores orbis terrarum Deos putaverunt:* Id quidem nihil me commovet. Nam si de mente, non de cordis affectu essent accipienda, & falsum esset, quod sequitur, *Quorum si specie delectati, Deos putaverunt: sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est: Speciei enim Generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* Atque si priora illa verba rigorosè acciperentur, frustrà Theologus ille Deum ex creaturis conatus esset ostendere, quem Athei ex his *non potuerunt intelligere*, & frustrà contenderet illos omnes vincibili laborasse ignorantia. Ergò multi non potuerunt Deum intelligere cupiditatibus præpediti, non mente obcæcati: quod nos dicimus esse Atheum practicè. Tales fortassè fuêre, quos cap. præcedenti memoravimus; non tamen Andreas Cæsalpinus. Cujus error fuit, Angelos, & animas nil esse præter particulas Dei tenuissimis corporibus sociatas; quod utique impietate non caret: sed auctore Vossio in II. de Idolol. cap. XL. statuit unam causam motricem cœlestium orbium, quæ est per se una substantia; undè frustrà Cæsalpinus ab L'Herminier inter Atheos connumeratur. Verùm quidquid sit de existentia Atheorum, pugnaciter assero, nunquam tales fuisse, qui rationis ductum persequerentur.

23. Confirmatio.

Arbitror quoque, non omnes fuisse, Atheos, qui hoc nomine sunt appellati. Primò, quoniam Gentiles vocabant Atheos

Atheos, quicùnque Deos Gentium pro Diis non haberent; quemadmodùm Euripides discipulus Anaxagoræ, quòd in fabula Phætontis solem dixerit auream glebam, quinque talentis & exilio mulctatus est. Deindè quia etiam Christiani à Gentilibus Athei dicebantur, ùt in II. Apologia affirmat Justinus; qui & ipse Lucianum appellat Atheum, secutus in hac parte adversariorum sententiam. Plures itaque fuerunt impietatis accusati, non quòd reverà Deum esse negarent, sed quòd vulgares Græcorum Deos irriderent.

24. De vita Atheorum. Prætereà qui de Deo asseruerunt absurda, fuerunt inquinati perditissimis moribus; & è contrà Dei notitiam custodierunt, qui fuere vitæ consuetudine probatissimi. De Theodoro namque Cyrenaico legimus in Laertio, postquàm impiè Deum omnem negavit, docuisse citrà pudorem committenda esse adulteria, sacrilegia, atque nefanda cum scortillis facinora. Et de Epicuro, quem sui probum, honestúmque prædicarunt, libro 1. de Nat. Deorum refert Cicero, quòd contumeliosè Aristotelem vexaverit, Phœdoni Socratico turpissimè maledixerit, Metrodori Sodalis sui fratrem Timocratem plenis voluminibus conciderit, in Democritum Magistrum suum fuerit ingratissimus, & Chrysippum nunquam, nisi Chesippum vocarit. Fuisse tamen gravem ac temperantem, atque solo pane cibario, & aqua vitam transegisse ad auram pseudogloriæ captandam propter veterum omnium testimonia concedimus. Titus Lucretius amatorio poculo in furorem versus propria se manu interfecit, librorúmque, quos per intervalla insaniæ (etsi id non probet Creechius, nec Fabricius,) conscripsit, pœnam luit anno U. C. DCCIII. antè Aeram Christianam LI.

Tandem, si qui sunt Divinitatis planè insscii, ùt Tartari, Cariabæ, & Canadensium plerique; tanta earum Gentium est feritas & immanitas, ùt belluis potiùs, quàm hominibus sint comparandi. Inter sapientes, ùt probatum est, aut nulli fuerunt, aut perquàm pauci. Horum opinio flocci habenda est, propterea quòd statim, ac universim rejecta sit, tanquam proveniens non ex recta ratione, quæ hominibus est communis, sed à studio novitatis, à mente corrupta, à pravo eorum ingenio, quorum interest, ne sit Deus scelerum suorum Ultor, ac Vindex. Hujus ergo probationis hæc erit synopsis: Athei aut nulli reapsè fuerunt, aut admodùm pauci, & hi rursùs aut insipientes, aut improbissimi: Iniquum est velle consentire rudibus, stultis, sceleristissimis; non sapientibus, honestis, ac fermè universis: Ergo iniquum est velle Atheis assentiri. 25. De ignorantia Atheorum.

CAPUT III.

Reliquæ Epicuri, Lucretii, Spinosæ, aliorúmque Atheorum cavillationes dispelluntur.

SUMMARIUM.

1. 2. Objectio prima Athei solvitur.
3. 4. 5. 6. 7. 8. Affertur secundum Athei argumentum, eique satisfit.
9. Tertium Athei argumentum dispellitur.
10. 11. 12. Respondetur ad reliquas Athei objectiones.

Objectiones Atheorum. PLura contrà Atheismum conscripsi. Reliquum est, ut Atheorum argutiunculæ convellantur; maximè quòd dissertationem susceperim amplam, eáque sit majori ex parte absoluta.

1. Oppositio 1. Opponunt ergo 1. Deum nemo vidit unquam; Ergo creditur, Deum esse propter educationem Parentum, hominúmque insinuationem, cum præjudicio rationis.

Solutio. Lepidè respondet Grotius lib. 1. de Verit. Rel. Christ. cap. II. Ne bestias quidem capere, quid sit homo; multò minùs scire, qua ratione homines respublicas instituant, ac regant, astrorum cursus metiantur, mare navigent. Sed olim hæc S. Pater in Psalm. LXXIII. n. 25. *Non video, inquit, quid creditturus sum? Anima enim tua videtur, ùt opinor? Stulte, corpus tuum videtur; animam tuam quis videt? Cùm ergo corpus tuum solùm videatur, quare non sepeliris? Miratur, quia dixi, Quare non sepeliris? Et respondet, (sapit enim ad hoc,) Quia vivo. Undè scio, quia vivis, cujus animam non video? undè scio? Respondebis, Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnoscis viventem: ex operibus creaturæ non potes agnoscere Creatorem?*

Repo-

2. Instantia. Reponit Atheus, & hanc animam nihil esse præter volubiles auræ, ignisque particulas: unacùm corpore nasci, adolescere, interire: experimento compertum esse, quòd in puero non viget animus, deficit in sene. Abs re ergo est exemplum allatum ab Augustino.

Solutio. Resp. Sit anima, proùt vis, ac pereat. At tu illam præcipuè locas in quarto quodam innominato maximè mobili, ac persubtili, quod neque vides, neque scis definire. Ergo, te judice, est aliquid, quod non videtur. Verùm Atheum habeo: Non sufficiunt, inquit, ad animæ perceptionem atomi aereæ & igneæ, quoniam hæ nequeunt efficere motus sensiferos, ideóque hi tribuendi sunt cuidam naturæ, quæ est expers nominis, &

Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius extat,

ait Lucretius. Atqui hæc natura tenuissima & persubtilis non est corpus, sed spiritus; quippè si non potest inesse vis sentiendi & cognoscendi in particulis auræ & caloris, neque sita est in aliqua corporea naturâ, qualiscúnque ea sit, cùm vis intelligentiæ omne corpus quantumvis diminutum superexcedat: Ergò Anima erit Spiritus, ideóque immortalis. Utique si anima corpus esset, ejus particulæ deberent esse volubiles ac tenuissimæ: sed illam corpoream esse nondum Athei probaverunt. Nam quòd affirmant animam nasci, adolescere, ac deficere, quia puer est ad percipiendum ineptus, & senex desipit, id hoc exemplo Thomas Creechius diluit Censura III. Lucretii, *Similiter Artificem peritissimum in machina colloces, aliæ verò partes istius machinæ nimis rigescant, aliæ sint æquo flaccidiores, deterantur aliæ, aliæ autem nimis turgescant; & deindè stultè expectabis ordinatos motus, licèt maximè elaboret peritissimus ille Artifex.* Sed de immortalitate animæ non est hujus loci disserere. Illud tantùm animadverte, Epicureos illam idcircò negavisse, quòd hominis beatitudinem in corporis constituerunt voluptate, ùt dixi initio istius libri: undè sequitur loco nuper laudato Augustinus: *Et fortè qui dicit, Cùm mortuus fuero, postea nihil ero, & literas didicit, & ab Epicuro didicit hoc, nescio quo deliro philosopho, vel potiùs amatore vanitatis, non sapientiæ; quem ipsi etiam philosophi porcum nominaverunt: qui voluptatem corporis summum bonum dixit; hunc philosophum porcum nominaverunt, volutantem se in coeno carnali. Ab illo fortè didicit iste literatus dicere, Non ero, posteaquàm mortuus fuero.*

Opp. 2. Mundus, & quidquid in eo continetur, à nullo Artifice sempiterno, & ratione ac sapientia prædito productus fuit: Ergò illius Artificis existentia ex rebus procreatis minimè evincitur. Antecedens pluribus momentis ostenditur. I. Imperceptibile est, Deum sempiternum mortalem fecisse Mundum, & postquàm innumerabilibus ante sæculis cessavit, repentè extitisse fabricatorem universorum: Cur delectari voluerit, quasi signis, arboribus, animantibus, sideribus: quomodò potuerit indè gloriam voluptatémque nanciscí, si nunquam potuit honore, & felicitate carere: quærendum esse, quibus usus sit ferramentis, vectibus, machinis, ministris ad tale opus construendum: si, ut meliùs habitaret, corpoream lucem, cælósque creavit, consequens esse: ut priùs infinito tempore in tenebris, tanquam in gurgustio latuerit. II. Si hominum causâ hæc constituta fuerunt; Sapientúmne, an stultorum? non sapientúm, nam propter paucos tanta facta non est rerum creatarum molitio, perpauci enim sunt, qui sapiant: non stultorum, quoniam ii potiùs debuerant tali beneficio privari. Urget hæc duo argumenta Vellejus apud Ciceronem lib. I. de Naturâ Deorum. III. Temerè & fortuitò Mundum esse conditum infert Lucretius lib. v. ex confusione, atque inordinatione partium, quarum plurimæ sunt penitùs hominibus destitutæ vel propter assiduum frigus, vel propter nimium calorem; aliæ volucribus, belluis, ac reptilibus destinatæ, ùt aer, montes, silvæ, mare, paludes. IV. Agri naturâ sua sentibus obducuntur, & terra maxima hominum industria ac labore fata frugésque producit; interdum verò subita grandinum tempestate, vel aquarum inundatione perduntur camporum germina: in qua sanè vicissitudine nihil Divinum appareret. V. Si pro hominibus prudens Artifex procreasset terrena, non productæ essent immanissimæ feræ, quæ nobis mortem intentant, neque easdem maria, saltúsque enutrirent; aut saltem non inesset viventibus vitæ amor, & mortis horror. Cùm igitur fortuitò eventu accidant morbi, pestilentiæ, & intempestivus viventium interitus, apparet, nullam esse Supremi Numinis Providentiam. VI. Si aliquis Deus pro hominibus Mundum creâsset, foret homo omnium animalium præstantissimum; At non ita est: Hominis infelicitatem

Oppositio 2.

testatur

testatur vagitus infantium, humani corporis nuditas atque imbecillitas, vestium, alimentorum, domorúmque indigentia. Quare videtur quodlibet, vel minimum animal hominem sua conditione antecellere: ùt enim pecudes, ac bruta nascuntur, non egent præceptoribus, nutricibus, indumentis, neque turribus, mœnibúsque, ut se, ac sua ab hostium incursione defendant. Hæ sunt præcipuæ Atheorum argutiæ.

4. Solutio 1. Resp. ad argumentum nego ant. ad 1. probat. dico primùm, quòd illud etiam docere debent Epicurei, cur materia æterna sit, habeátque ingenitum motum, & tamen post innumera sæculorum spatia apparuerit Mundus iste sensilis, cui & ipsi contrà quosdam Philosophos attribuunt principale tempus, ac futurum interitum. Illa autem quies per immensa tempora in Summè Perfecta Causa nulla ratione fingitur; siquidem tempus mensura est existentiæ creaturæ mutabilis, & antequàm creatura esset, tempus non erat; quod proindè, ùt fusè tradit Plato in Timæo, cum cœlo, ac terra creatum est. Hinc Augustinus lib. XII. de Civit. Dei cap. XV. ait: *Ubi nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omninò esse non possunt.* Et lib. XI. Conf. cap. 13. *Si enim ante coelum, & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebat? non enim erat tunc, ubi non erat tempus, nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes, &c.* Neque ministris, instrumentis, vectibúsque eget Omnipotens Artifex; quin è contrà horum necessitas arguit Artificis impotentiam. Sed de hoc priori argumento vide citato loco Augustinum, nec non Petrum Abaelardum lib. 3. Introduct. cap. 6. & Franciscum Piccolomineum lib. de Placitis Philosophorum cap. 20.

5. Solutio 2. Alterum sic diluitur: non est Deus, ùt fingitur, adeò parcus, & malevolus, ut nihil agat causa nostri, sed omnia Suipsius emolumento. Produxit ergò mundum propter homines, (quamquàm causa princeps fuit infinita ejus bonitas) & principaliter propter sapientes; quorum nomine non Stoicos, non Platonicos, non Epicureos significamus, sed rectos ac integros, quorum magna semper fuit in omni ætate multitudo. Quòd verò multi sint mali, id non à Summo Bono procedit, sed ab humanæ voluntatis arbitrio: cujus vitium etiamsi sapientissimus Auctor præviderat, nihilo tamen minùs maluit hominem condere, ut sapientes Creatorem diligerent, quàm malos non permittere, ut libertatis beneficium in rationali creatura periret. Cúmque in improbis Dei justitia, exercitatio Bonorum, & Superni Numinis Providentia deprehendatur, *Melius judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere:* ait in Enchiridio ad Laurentium S. Pater.

6. Solutio 3. Tertio autem argumento occurro, affirmans, partes mundi, quas Lucretius inordinatas appellat, maximum commodum afferre, & esse singulas Opificis sui testimonium. Nam montes fluctus maris coercent, defæcatissimum habent aerem, sylvas ac secessus, quibus degunt armenta, necnon homines à mundanis curis semoti: rupes metallorum ac marmorum continent fodinas; quæ omnia si in planitie essent, non daretur diversa terræ facies, nec ferarum antra essent ab hominibus segregata; sed forent omnia confusione permixta. Flumina vel imperia dividunt, vel pisces alunt, vel hortos irrigant, vel urbes exornant. Nulla dicitur esse in mundo fertilior terrarum pars India, quæ *tota*, inquit Strabo lib. XV., *amnibus irrigatur:* nulláque apud Europæos venustior Italia, quàm abluit Tibris, Padus, Arnus, Athesis. Ex mare consurgunt nubes, imbres, multíque vapores, quibus fœcundantur campi, & aer reparatur: cùm enim solis ardores irrequietis ignibus totam regionem inter cœlum ac terram exagitent, ac resolvant; necessarius erat latissimus aquarum cumulus, ex quo aer posset restaurari, terráque esset hominibus habitabilis. Mitto navigiorum, quibus à remotissimis Oris ad nos ampliſſimæ deferuntur divitiæ, per quàmmaximam commoditatem. Caloris, ac frigoris, nisi alia vis esset, profectò hæc non est parva, quòd in rectissima cæli revolutione, dum frigus nobis tellurem gravidat, remotissimis terræ partibus æstivus ardor maturas fruges apportat. Detestabile est ergò Lucretii vitium, quòd ea, quæ primo aspectu deformia videntur, magno verborum apparatu commemorat, altóque silentio illorum præterit utilitatem.

7. Solutio 4. Ad quartum verò est responsio, quòd terræ sterilitas pœna est peccati Adæ, cui post transgressionem dictum fuit à Domino Gen. III. v. 17. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &c.* Sed quoniam Divinam legem, ac justitiam Athei contemnunt, dico ex tanta rerum vicissitudine induci homines, ut terrena

cuncta despiciant, & labore manuum suarum victitantes nequaquàm otio torpescant; nam ùt appositè Manilius lib. 1. Astronom.

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Ejusdem rationis est, quod quinto loco consequitur. Mors enim, & ferarum inimicitiæ sunt originalis culpæ stipendium: quam si Atheus ignorat; experiri saltem potest, vino, livore, ac venere sibimet homines exitium accelerare. Nullas item esse inter feras, quæ aut ad victum, aut ad voluptatem, aut ad morborum medicamenta non conferant: quod, cùm plura legi possint apud Tullium in 2. de Nat. Deorum, & Steuchum in VII. de perenni Philosophia, satis est innuisse.

8. Solutio ultima. Ad postremum, quo Lucretius naturam in homine fabricando iniquitatis insimulat, eámque Plinius lib. VII. tanquàm novercam convitiis proscindit, non alia est adhibenda responsio, quàm Lactantii in libro de Opificio Dei. Nam unumquodque animal vel à conditione naturæ, vel à ratione instrui necesse est; si autem naturalibus munimentis instruatur, supervacanea est ratio: quid enim excogitabit? quid faciet? quid molietur? in quo Lumen illud rationis ostendet? Si autem ratione sit præditum, quid opus erit sepimentis corporis, cùm semel concessa ratio naturæ munus possit implere? Respondemus itaque Atheis, longè potiorem esse hominum conditionem, quàm pecudum; quippè illi quidquid necessarium est, prudentia sibi comparant, & industria conservant. Neque enim ullum futurum fuisse arbitramur, qui, si illi data fuisset optio, non elegisset sapientiam cum imbecillitate corporis, potiùs quàm brutorum feritatem absque ratione.

9. Oppositio 3. Opp. 3. Contingere omnia casuali atomorum incursione, demonstrant ostenta, quæ in omnium rerum generibus conspiciuntur: nam Augustinus in XVI. de Civit. Dei cap. VII. & VIII. plura enarrat monstra hominum, sive androgynorum, sive lunatas plantas, sive binos tantùm digitos habentium, sive brutorum capita, aliáve membra referentium. Quandóque etiam equos, vitulos, avésque mulieres fuisse enixas, produnt historiæ: neque in solis hominibus, in piscibus, in quadrupedibus, in quacúnque animantium ac plantarum specie monstrosa haud rarò spectantur: Atqui si rebus singulis præesset Sapiens, ac Providus Auctor, ille portenta ejusmodi everteret: Non ergò exstat Auctor iste Sapiens, Providúsque.

Solutio. Resp. nego min. nam quælibet ostenta ac monstra Supremi Numinis existentiam commonstrant, non evertunt. Etenim cùm sint, fatentibus Atheis, certæ naturæ leges, ac imperturbabilis ordo, ùt suprà cap. 2. mom. 3. probatum est; quidquid præter naturæ cursum contingit, ostendit, esse Primam Causam, quæ proùt lubet, rerum naturalium ordinem immutat, ut nova ac mira cernentes in sui convertat admirationem. *Deus enim Creator est omnium, atque ubi, & quandò creari quid oporteat, vel oportuerit, Ipse novit: sciens, Universitatis pulchritudinem, quarum partium, vel similitudine, vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tanquàm deformitate partis offenditur: quoniam, cui congruat, & quò referat, ignorat*, ait S. Pater loco nuperrimè laudato. Insuper hæc ostenta vel sunt suprà naturam; eáque à nobis vera miracula appellantur, ac evincunt, esse Deum Omnipotentem, qui facit mirabilia magna solus, in nostræ quidem Fidei ac veritatis invictissimum argumentum, nunquàm verò in gratiam Atheorum. Vel sunt præter naturam, qualia à nobis dicuntur *monstra;* istáque ex defectu causarum secundarum proveniunt, non Superioris ac Primæ, quæ omnes effectus suos ita constituit, ut possint sæpenumerò commutari, ac deficere.

10. Oppositio 4. Opp. 4. Creaturæ contingentes sunt, & nullum habent cum Infinita Causa proportionem: Ergò nequeunt nos in Dei notitiam certissimè manuducere.

Solutio. Resp. dist ant. Contingentes sunt, scilicèt, mutationi obnoxiæ ac defectibiles; conc. ideſt à Causa Productrice, ut existant, nequaquàm pendent; nego. Potest Artifex domum E. G. ædificare, & non ædificare. At constructa domo firmissimè ratiocinamur: Est domus; ergò ab Artifice constructa est. Possunt pariter produci, & non produci creaturæ: existentibus tamen, rectè infertur, sunt, igitur à Supremo Conditore fuerunt productæ. Proportio item inter effectum & causam necessaria non est ad probandam solam ejusdem causæ existentiam: non enim necesse est, domum vivere ac intelligere, ut certò scias, vixisse cæmentarios, atque intellexisse architectum: imò nulla causa æquivoca eandem habere potest cum effectu suo Perfectionem.

Opp.

11. Oppositio 5. Opp. 5. Quòd est omninò simplex aut totaliter cognoscitur, aut totaliter ignoratur: Deus est omninò simplex: Ergò Deus aut totaliter cognoscitur, aut ignoratur totaliter: Atqui à Viatoribus nequit Perfectè cognosci: Ergò debet penitùs à Viatoribus ignorari.

Solutio. Resp. ex doctrina nostri Ariminensis plures esse voces & conceptus simplices in se, quæ tamen plura connotant, idest, consignificant, ùt terminus iste *creatio*, cui respondet res quælibet producta ex nihilo. Talem conceptum, ac terminum appellat præclarissimus Doctor conceptum ac terminum connotativum atque complexum. Itaque dist. ma. Quod est prorsùs simplex vel totaliter cognoscitur, vel totaliter ignoratur, si non valeat exprimi voce, & conceptu connotativo & complexo, esto: si vocem, & conceptum connotativum, complexúmque habeat, nego majorem.

12. Oppositio ultima. Opp. ultimò. Ipsi corporeæ materiei nequaquàm repugnat Summa Providentia ac sapientia; aviculæ namque dum nidos struunt, ovisque incubant, ingenium magnum præseferunt: apis plusquàm humana sapientia mella colligit, & ædificat laquearia: formica minimum animal, adeò est provida ac solers, ut Proverb. VI. vers. 6. legatur: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.*

Solùtio. Res. aves, formicam, apem, omnia viventia ac mortua dirigi ab Auctore naturæ, & prædita esse sapientia, quam scholæ appellant *passivam*. Intollerabilem verò esse Atheistarum dementiam, qui, cùm videant animantia hæc minima omnium hominum artem, & opificium excedere, velint tamen singula sine sapientissimo Opifice procreata. Quis enim peritissimus Artifex unam aviculam, apémque humana efficiet industria? Itaque mittamus insipientes, quos vel una bestiola confutat.

CAPUT IV.

Quædam præcedentium consectaria proponuntur, atque explanantur.

SUMMARIUM.

1. 2. Hæc propositio: *Deus existit*, est nobis sese nota, ac manifesta.
3. 4. Solvitur objectio Friderici Gavardi.
5. Satisfit objectioni Thomistarum.
6. Ad objectionem tertiam respondetur.
7. 8. 9. Nullus, quantumvis agrestis ac barbarus potest Creatorem suum invincibiliter ignorare
10. 11. 12. 13. 14. 15 Proponuntur, & solvuntur objectiones.

An hæc propositio Deus existit, sit per se nota. INQUIRUNT Scholastici, an hæc Propositio, *Deus est*, sit per se nota, an saltem adeò sit naturali rationi obvia, ut nullus hominum quantumvis sylvestris ac rudis, possit eam impunè, & absque culpa ignorare: quæ duo, tametsi ex dictis apertissimè consequuntur, sunt tamen hoc loco juxtà scholæ consuetudinem definienda. Itaque propositionem per se notam eam dicimus, quæ sola clara perceptione terminorum redditur manifesta, neque, ut illi assentiamur, opus est ratiocinatione, & discursu. Quòd enim Theologi dividant propositionem per se notam in per se notam in se, & per se notam respectu nostri, priorémque definiant eam, in qua de re aliquid enunciatur, quod ipsi essentialiter convenit, propter illorum auctoritatem recipio; sed hanc dici vellem *essentialem*, non *per se notam*: quippè notum aliquid appellatur relatè ad mentem, quæ noscit. Illud ergo quæritur tantùm, sitne per se nobis manifestum, Deum existere; præsertim cùm omnes fateantur, Deo essentialiter competere existentiam, quod, ùt monui, dicunt esse notum *quoad se*. Porrò affirmativam sententiam tenent, quotquot ideam ingenitam defendunt, necnon Scotus, Aureolus, D. Bonaventura, horúmque discipuli, qui tamen diversa à nobis ratione ducuntur. Aliorum quidam docent, illam propositionem nullatenùs esse notam viatoribus: ùt Thomistæ omnes, & ex nostris Gibbon, Puteanus, Benedictus à Sancto Jacobo, ac sapientissimus Magister Henricus Florez, quem Deus optimus maximus diu servet incolumen. Quidam verò affirmant, notam esse sapientibus tantummodò, ùt Ægidius, Gerardus, Argentinas, Lafosse, Gavardi, aliique Nostrates.

PROPOSITIO I. Hæc enunciatio: *Deus existit*, est nobis sese nota ac manifesta. I. Propositio.

Probatur. Probatur: Propositio dicitur per se nota, cui perceptis terminis absque alia ratiocinatione humana ratio assentitur: Huic enunciationi, *Existit Deus*, perceptis terminis absque ullo medio discursu mens assentitur: Ergo enunciatio ista, *Deus existit*, dicenda est per se nota. Minor probatur iisdem momentis, quibus cap. 1. statuimus, inesse cuique Dei notitiam ingenitam, quorum summa hæc est: Alicui enunciationi statim, ac voces terminique innotescunt, ratio humana assentitur, quotiescunque in clara eorumdem terminorum perceptione elucet, quidquid in propositione enunciatur, etiamsi aliquandò primo aspectu minimè à rudibus intelligantur. Est enim per Adversarios per se nota nobis hæc propositio: *Incorporea non sunt in loco commensurativè*, tametsi ignarus statim non percipiat, quid sit res incorporea, quidque loco commensurari, quoniam ubi quisque hujus enunciationis intima perceptione penetrat terminos, ei penitùs acquiescit: Atqui in clara idea ac notione hujus nominis *Deus* relucet apertissimè existentia, quamvis ultrò daremus Adversariis, esse inter incolas Capitis bonæ spei, & Canadensium plerosque barbaros planè inscios, ut nunquàm Dei nomen audierint, de quibus sup. cap. 2. mom. ult. Ergo huic propositioni, *Existit Deus*, quisque perceptis vocabulis absque ullo discursu acquiescit. Minor propositio, præterquàm quòd cap. 1. comprobata est, traditur ab Augustino lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 1. ab Anselmo in Alloquio cap. 2. necnon à Ciceron in lib. 1. de Nat. Deorum, à Sexto Empirico in VIII. adversùs Mathematicos; neque, fatentibus omnibus:, quisquam est, qui certa animi notione non præsentiat, talem esse Deum, ut in omni natura nihil possit esse præstantius. Sed in perceptione, ideáque rei perfectissimæ ac præstantissimæ elucet existentia, quæ est prima rerum omnium perfectio, ut diximus Prop. 2. cap. 1. Ergo, &c.

2. Confirmatio contra Ludovicum. Resp. Ludovicus Habert, in notione summi boni includi quidem existentiam objectivam, sed non realem; idest, terminum illum *Deus* excitare in intellectu ideam summi boni, ideóque existentis: sed utrùm reverà istud summum bonum detur à parte rei, non ipsa terminorum apprehensione probari, sed inspectione creaturarum. At hæc responsio nequit sententiam nostram labefactare, eò quòd realis existentia est maxima perfectio, & consequenter in idea summi boni concipitur etiam existentia realis, ùt loco citato demonstravimus: ac præterea summi boni existentia non solùm rerum creatarum contemplatione, sed etiam intima conscientia, insitáque idea deprehenditur.

3. Opponitur. Opp. 1. cum Friderico Gavardi, & Henrico Florez. Propositio per se nota à nullo negatur: Hæc propositio: *Existit Deus*, negatur ab aliquibus: Ergò non est per se nota omnibus. Minor est S. P. Augustini, qui serm. 10. de Verbis Domini explanans verba Psalm. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* ait, *Insania ista paucorum est;* & Tract. 106. in Joannèm: *Exceptis enim paucis, in quibus nimium natura depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur Auctorem.* Igitur aliqui, licèt perpauci, Deum negant.

Solvitur. Possem respondere juxtà ea, quæ diximus cap. 2. mom. ult. nullum fortassis fuisse atheum speculativè; & producta Augustini testimonia de improbis, qui Deum negant practicè, esse exponenda; siquidem S. P. in Psalmum XIII. ait: *Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidam philosophi, qui perversa, & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, non est Deus. Ideò ergò dixit in corde suo; quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in affectionibus suis: idest, dum amant hoc sæculum, & non amant Deum; ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo, non est Deus.* Quo in loco Augustinus docet esse quosdam atheos, qui dati in reprobum sensum cogitant, Deum non esse, ne illum tanquàm Deum glorificent; at nequeunt, quod cogitant ignorare, ùt sequenti propositione planè ostendam. Verùmtamen transm. maj dist. mi. Hæc enunciatio, *Existit Deus*, negatur ab aliquibus, perceptis terminis, eorúmque inspecta notione, nego. Nulla habita ratione terminorum, ac ideæ, quæ hisce terminis subest, conc. minorem. Porrò hæc propositio, *Omne totum est majus sua parte*, consensu omnium est per se nota; & tamen aliqui eam negaverunt, ut scribit Ægidius Romanus in III. dist. 39. q. 3. & Mag. Florez in quæst. 1. de Exist. Dei n. 3. quoniam nondum planè rerum significationem perceperant. Igitur nihil mirum, si quidam barbari rudésque negaverint pro-

propositionem istam: *Existit Deus*, non attendentes ad notionem terminorum, qui ampliorem quoque exigunt expositionem, quàm postulet præcitatum Geometricum axioma.

4. Instantia. Dices: Si requiritur terminorum perceptio, erit ergò ea propositio tantùm sapientibus per se nota, ùt affirmat Ægidius, imò & Psalmista, ubi ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Solutio. Resp. nihil magìs me in votis habere, quàm præclarissimis Theologis consentire, maximè verò Romano Ægidio omnium nostrûm facilè Principi. Sed assero ad percipiendam significationem hujus nominis: *Deus*, nullius opus esse scientiæ comparatæ ratiocinio ac discursu; sufficere autem naturalem rationem, intimámque conscientiam. Nam quòd Psalmista ait, negare, quòd Deus sit, solos insipientes, id parùm Adversariis suffragatur; tum quia Augustinus nomine insipientium comprehendit etiam sacrilegos, ac detestandos philosophos, qui humana sapientia pollebant: tum etiam, quoniam non solùm scripturarum more, verùm etiam Platonico dicuntur insipientes, qui improbi sunt, etiamsi sapere plurimùm videantur. Paucis id expressit in Notis Psalm. doctissimus Bossuet, & venustè Italico carmine Cl. Gregorius Redi.

5. Opponitur 2. Opp. 2. Cum Thomistis. Ad propositionem per se notam requiritur cognitio terminorum, & immediata, &, proùt Scholæ loquuntur, quidditativa: Terminus istius Propositionis: *Deus est*, non cognoscitur immediatè, sed ex rebus aspectabilibus, & ex effectibus, non in se atque intuitiva visione, nisi in cælesti Patria à beatis: Ergò ea Propositio: *Existit Deus*, nulli creaturæ, si beati excipiantur, est per se nota.

Solutio. Resp. conc. prima parte majoris, nimirùm quòd termini propositionis per se notæ debeant immediatè cognosci, nego alteram, scilicet quòd necessariò cognosci debeant *quidditativè*, si per cognitionem quidditativam intelligas vividam, ac plenissimam Dei visionem; quòd si intelligas cognitionem inadæquatam, id-est solius existentiæ, & etiam aliarum perfectionum notitiam confusam, & ænigmaticam, ùt explicavi in resp. ad 2. oppos. prop. 1. Cap. 1., huic etiam parti subscribo. Servata autem syllogistica forma, dist. minorem: Deus cognoscitur mediatè per creaturas, tantùm, nego. Per creaturas, & per indefectibile lumen unicuique intimè præsens, concedo. Vide, quæ diximus loco nuperrimè citato. Neque dicas propositionem per se notam nullatenùs posse per effectus demonstrari, ùt manifestum est de illo metaphysico principio, *Quodlibet est, vel non est?* id enim valet, quotiescunque propositionis subjectum nullos habet effectus, quibus comprobari possit illius existentia; secùs si effectus habeat, ùt Deus Causa ac Principium universorum.

Opp. 3. Ex quo in clara Dei perceptione concipiatur summè bonum ac Perfectissimum Ens, & Perfectio sit Dei providentia ac simplicitas, non infertur, quòd hæc proprositio: *Deus est simplex, Deus omnibus providet*, sit nobis per se nota: Ergo ex quo in idea Dei, ac Summi Boni eluceat existentia, non sequitur, per se notam esse hanc propositionem, *Existit Deus.* 6. Opponitur 3.

Solutio. Resp. Gaspar Juenin non eandem esse rationem de providentia & simplicitate, ac de existentia Dei; multi enim dediti corporis sensibus cogitârunt in Ipso Deo humani corporis figuram; multi existimârunt providentiam, quæ sese ad res vilissimas demittat, vanam esse solicitudinem: è contrà neminem prorsùs fingere posse, quòd existentia aliqua perfectio non sit: idque probat ex Augustino, qui lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 7. docet homines, quoniam diversis moventur bonis, partim ad corporis sensum, partim verò ad animi intelligentiam summum bonum concipere. Sed non opus his rimulis. Nego antecedens: nam hæ propositiones, Deus est simplex, Deus est infinitus, summè sapiens, immensus, provisor universorum, &c. sunt & ipsæ nobis per se notæ, quoniam in clara summi boni perceptione, atque in intimo, & incommutabili lumine, simplicitas, infinitas, sapientia, ac providentia relucent immediatè. Neque obest, quòd nonnulli hæc divina attributa negarint; negarunt enim propterea, quòd ad corporis sensum, non ad mentis rationem summi boni notionem fingere maluerunt: quod rectè ac sapienter docet citato loco Augustinus; qui nos invictissimè percipere, Deum esse in ipsâ veritate, intimóque immutabili lumine, probat luculenter cùm locis priori capite adductis, tum de libero arbitrio à capite quinto ad decimum quintum, ubi de Divina existentia per ideam ingenitam manifesta dissertissimè disputat. Sed in hoc priori Corollario non debet ulteriùs oratio nostra immorari.

Alterum, quod ex dictis consequitur, est, neminem posse invincibili circà Dei existentiam laborare ignorantia: non enim ignoratur invincibiliter, quod interna animadvertentia, pluribúsque cuivis notis momentis potest dignosci. Cùm tamen Molina, aliíque nonnulli sentiant oppositum, addam & de hoc asserto longè probabiliorem sententiam, nostris Theologis, ceterisque ferè omnibus communem. Est autem ignorantia invincibilis ea, quæ humanis mediis adhibitis nequit dispelli; qualis esset in homine pagano ignorante nondum sibi revelata fidei mysteria: de qua ignorantia, ejúsque generibus erit opportuniori loco inquirendum.

7. Propositio 2. PROPOSITIO II. Nullus, quantumvis agrestis ac barbarus potest Creatorem suum invincibiliter ignorare.

Probatur 1. ex Scriptura. Prob. 1. Psalmo 78. v. 6. hæc habentur: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Sap. XIII. v. 9. *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum; quomodò hujus Dominum non facilius invenerunt?* Et in Epist ad Rom. cap. 1. v. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis.* Quibus apertè asseritur, reos esse, maximúmque promereri supplicium, quotquot ad idola conversi, Dominum ignoraverunt, quem ex procreatis rebus poterant naturali ratione comprehendere: sed invincibilis ignorantia delinquentem subtrahit à judicis ira, reddit excusabile quodcunque scelus; quoniam humanâ industriâ vitari non potest, nec imputari liberæ voluntati, quidquid absque culpa penitùs ignoratur: Ergò si gentes, quæ Deum non noverunt, neque invenerunt Dominum ex aspectabili sæculo, inexcusabiles sunt, supplicióque mulctandæ, nullatenùs ignorantia possunt invincibili laborare. Quod argumentum ita proponitur à Lactantio in 1. Divinarum Institut. *Quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ, qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est?*

8. Probatur 2. ex SS. Patribus. Secundò probatur ex PP. Nam Gregorius Magnus lib. 17. Moralium cap. 3. scribit: *Eo ipso quòd homo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse.* Tertullianus lib. de Spectac. cap. 2. *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultrò natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem.* Et in Apologia cap. 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Item adversùs Marcionem I. *Animæ à primordio conscientia Dei dos est: eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syriis, & in Ponticis, &c.* Hilarius quoque XI. de Trinit. de Deo ait: *Neque mundo ignorabilis effici potest.* S. P. Augustinus verò lib. 2. Quæst. Evangelicarum cap. 46. *Apud Dominum*, inquit, *etiam illi sunt inexcusabiles, quibus lex data non est, quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem.* Tractatu etiam CVI. in Jo. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò, & penitùs possit abscondi.* Nec non Enarrat. in Ps. LXXIV. *De nullo loco judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus? quem nulli licet, ùt est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Paulus quoque Orosius in lib. Histor. 6. cap. 1. *Deum quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest.* Adde loca producta cap. 1. Prop. 1. prob. 2. non enim alia proferam in confirmationem veritatis, de qua idemmet Tullius in 1. de legibus scripsit: *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.*

9. Probatur 3. ex ratione. Tertiò probatur propositio argumentis à ratione petitis, quorum nonnulla seligam. Sit verò primum. De priori Decalogi Præcepto, *Unum Deum cole*, ùt ostendam in lib. XXI. dari non potest invincibilis ignorantia: Ergò neque de Summi Numinis existentia, quæ à memorato præcepto jam manifesta supponitur. Accedit alterum: Quisquis invincibiliter Deum ignoraret, quantumvis flagitiosissimus, nunquàm peccati theologici foret reus, sed philosophici tantùm. Est enim peccatum philosophicum actus humanus disconveniens rectæ rationi, non tamen transgressio Divinæ legis, si perpetretur ab eo, qui Deum ignorat: Atqui hæc propositio anno 1690. ab Alexandro VIII. proscripta est: & peccatum philosophicum est commentitium: Ergò Deum nemo potest invincibiliter ignorare. Postremò: Ignorantia invincibilis ea est, quæ humanis mediis, aliisque in nostra potestate positis nequit superari: Ignorantia existentiæ Dei à quocúnque licèt ferreo ac sylvestri mediis, quæ in ejus

sunt

sunt potestate, facillimè tolli potest: Ergò in nullo, quantumvis immansueto ac rudi, ignorantia Divinæ existentiæ censenda est invincibilis. Minor constat; nam unusquisque præditus est intelligentia ac ratione, qua sive per inditam sibi ideam Dei, sive per rerum corporearum contemplationem, potest Summi Boni, ac Primæ Causæ sibi comparare notitiam. Atque etiamsi rationalis facultas se sola in Dei cognitionem minimè posset assurgere, præstò tamen sunt singulis hominibus in Adversariorum nostrorum sententia auxilia supernæ gratiæ: quam tamen ad cognoscendam Existentiam Dei necessariam non esse, vera est communior sententia.

10. Objectio 1. Opp. 1. Ad solam fidem pertinet Superni Numinis existentia: Potest ergò impunè ab iis, quibus non est revelata, ignorari; quales erant, inquit Molina, incolæ Brasiliæ, antequàm à Lusitanis subjugarentur.

Solutio. Resp. nego ant. Etenim & ad naturalem rationem, & ad fidem simul spectat Supremi Conditoris cognitio, eò sensu, quem explanavi postrema instantia 1. Opp. cap. 1. Imò est D. Thomæ sententia, cui assentiuntur & nostri, quòd *Deum esse* non sit Fidei objectum, sed ad Fidei articulos quoddam præambulum. Sed tradita à me responsio conformior ex Augustino, qui in II. de lib. arb. cap. XV., ait: *Est enim Deus, & verè, summéque est: quod jam non solùm indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima forma cognitionis attingimus.*

11. Objectio 2. Opp. 2. Puer in sylvis, aut apud Atheos parentes, quorum dictis plurimum fidit, enutritus nunquàm audit, Deum esse: id ergò ignorat excusabiliter.

Soiutio. Resp. nego censeq. Ille enim puer, quidquid sibi parentes ac præceptores curent insinuare, clariori lumine inditæ sibi conscientiæ, & creaturarum Conditorem suum conclamantium potest Divinam existentiam attingere. Neque à culpa erit immunis propter domesticorum traditionem; quibus si non fideret negantibus ea, quæ oculis conspiciuntur, vel obvia sunt naturali rationi, neque debet aures præbere dicentibus, *Non est Deus.*

12. Insurgitur. Insurges: Ad invincibilem ignorantiam tollendam duo requiruntur, unum, ut aliqua Dei cogitatio pulset animum, alterum, quòd talis cogitatio apertè proponatur cum debito comparandi Perfectiorem cognitionem: Fieri potest, ut nulla Dei cogitatio animum subeat, neque prædicto puero cum tali debito proponatur: Ergò potest in puero illo reperiri invincibilis ignorantia.

Resp. nego majorem: nam si ad ignorantiam vincibilem necessaria esset prævia aliqua cogitatio, quotiescúnque datur incogitantia, atque inadvertentia, daretur ignorantia invincibilis. Quare satis est, si ea cogitatio præstò sit, & sine ullo labore possit haberi: aliàs invincibiliter prima principia omnibus per nota, nec non meipsum ignorarem, cùm aut dormio, aut aliud cogito. Nec etiam necessaria est perfecta, ac certa cognitio; cùm ad operandum non sit necessaria certitudo metaphysica, sed sufficiat moralis. Atque hinc est, quòd ipse Amicus, qui præfato utitur argumento, concludit tandem: *Quamvis hæc probabilis sit: probaliùs tamen defendi post sententia opposita, ut neque in paucis, neque ad tempus perfecta ratione utentibus dabilis sit invincibilis ignorantia de Deo.* Respondetur.

13. Urgetur. Urgebis adhuc: Saltem in priori instanti, quo ipse puer pervenit ad rationis usum, hac invincibili ignorantia poterit affici, & à Deo aliquantisper averti.

Resp. nego propositionem loquendo de instanti morali, quo deliberatè incipit agere, ac sese ad aliquod bonum convertit: nam de instanti physico fateor, quòd antè deliberatum voluntatis motum sit necessaria animadvertentia, & cogitatio; sed dum mens animadvertit, & cogitat; imò, ut dicebam, dum facilè potest animadvertere, & cogitare, nulla est talis ignorantia, quæ dici valeat insuperabilis. Est tamen opinio aliquorum, qui existimant, in primo instanti rationis puerum illum teneri ad convertendum sese in Deum sub ratione boni in communi, non sub particulari, prout est universarum rerum Principium ac Finis. At sub ista quoque ratione potest Auctoris sui existentiam percipere ex illa eadémmet boni idea insita illius menti, ex intima sui ipsius conscientia, atque ex rerum aspectabilium contemplatione. Respondetur.

14. Objectio 3. Opp. 3. Quamplurimi adeò sunt rudes ac plumbei, ut ratiocinio uti non possint, quo Divina existentia firmissimè demonstratur, maximè cùm Petrus de Alliaco, aliique Theologi arbitrentur argumenta, quæ ad probandam Dei existentiam proferuntur, probabilia quidem esse, sed non planè demonstrativa: Alii insuper in suorum criminum pœnam in tantam prolabuntur cæcitatem, ut nequeant in Dei notitiam, &

cogi-

cogitationem assurgere: Ergò in his saltem erit invincibilis ignorantia.

Solutio. Resp. falsum esse antecedens, non enim invenitur homo rationis compos, qui adeò sit stupidus, ut ad intimam sui conscientiam nequeat advertere, neque tam sceleſtus, ut omni penitùs lumine vel naturali, vel supernaturali destituatur. Sed dato antecedenti, nego cons. quippè ad tollendam ignorantiam invincibilem non requiritur evidens demonstratio, sed sufficit tantùm probabilis.

15. Objectio ultima. Opp. ult. Hugo Grotius, & alii interpretantur verba Apostoli ad Rom. 1. v. 19. *Manifestum est in illis*, multis inter ipsos, scilicèt Pythagoreis, Platonicis, Stoicis, quorum argumenta convincendo Aristoteli, & Epicuro sufficiunt. Eundem præferunt sensum Patrum testimonia. Crimina denique patrata ab ignorantibus Deum, rectæ adversarentur rationi, sed non manifestatæ Divinæ legi. Corruunt ergò momenta pro hac assertione producta.

Solutio. Resp. nego ant. de omnibus indiscriminatim sermonem instituunt Sacræ literæ, ac Patres, omnésque rationali lumine præditi sunt; & si Philosophi soli Atheos profligarunt, poterant tamen singuli Atheos detestari. Labitur quoque absque æterna lege humana ratio, quemadmodùm occasu solis offunduntur tenebræ: est enim ratio humana æternæ participatio legis, sicuti terrenorum corporum splendor solis irradiatio. Eà propter si Deum tollas, evertitur lex æterna, si legem æternam, extinguitur ratio; si rationem, natura perit humana; neque aliquid fingi potest ineptius, quàm opus rationi dissonum, nec æternæ legi repugnans.

CAPUT V.

De Polytheismi, sive Idololatriæ causa & origine.

SUMMARIUM.

1. Qui putant, Enos fuisse superstitiosi Polytheismi auctorem, labili fundamento nituntur.
2. 3. Proponuntur duæ objectiones, & solvuntur.
4. 5. Ab Hebræorum gente non fuit exortus Polytheismus, neque illum judaico populo Moyses præscripsit.
6. 7 8. 9. Afferuntur objectiones cum earundem solutionibus.
10. 11. 12 13. Idololatria à posteris Cham originem ducit, & longè ante Moysen fuerunt Dii gentium, non solùm numina naturalia, sed etiam animalia.

Causa & origo Idololatriæ. ATheis, quantùm temporis augustia patitur refutatis, stylum acuo adversùs Polytheos, idest, plurium Divinitatum cultores; quorum populus & amplior fuit apud Gentes, & pervicacior. Etenim quidam adeò in Deos fuêre liberales, ut Homerus, Hesiodus, & Chrysippus magnam illorum invexerit turbam: Orpheus verò, Auctore Theophilo Antiocheno lib. ad Autolycum III. ducentos sexaginta duos commentus sit, quos profana Græcorum, ac Romanorum prosecuta est Religio. Manetem Persam duos constituisse, unum efficientem quælibet bona, alterum omnia mala inferentem, tradunt Athanasius, Epiphanius, Augustinus, Nicetas, aliique. Faustus autem multos finxit, & inter eos duodecim quosdam magnos, ternos per quatuor tractus, quibus ille unus circùm agitur, quem vocat regentium regem, sceptrigerum, perennem, floreis coronis cinctum, & facie rutilantem, ùt inquit S. P. Augustinus lib. contrà eundem Faustum XV. cap. 5. Prætermitto Tritheitas, quos in errorem induxit effræ-

nis Divinorum mysteriorum, audáxque curiositas; & quorum sectam instituit initio sexti sæculi Joannes Philoponus, eámque in Polonia restituit Georgius Paullus, & Casanovius à Valentino Gentili, ùt in libro de Unitate Divinæ Essentiæ conqueritur Theodorus Beza, fascinati: in quam insaniam anno 1567. prolapsus est ejusdem Bezæ discipulus Petrus Statorius. Tale verò non est aliorum Polytheorum nomen, præsertim Ægyptiorum, qui etiam stipitibus, brutis, arboribus, astrisque genua curvarunt, ut illorum singularem mentionem faciamus.

Particularis origo Deorum. Deorum originem in particulari contexêre, non est hujus loci, atque Instituti; sed sat erit, nunc Polytheismi investigare principium: quod Rab. Maimonides in libro de idololatria refert ad Enos. Alii Hebræis infensissimi, nisi intrusum, instauratum contendunt à Moyse. A sola historia rerum ab ipso Moyse gestarum universam Theologiam Gentilium promanasse, omnésque populares Deos esse eandem Personam Moysis, conatur ostendere in

Demon-

Demonstratione Evangelica à tertio ad undecimum caput clarissimus Daniel Huetius. A Cham Noemi filio, ejusque posteris idolorum cultum promanâsse existimant alii. Et quoniam ad refellendum errorem maximè conducit lutulentum, fœdissimumque fontem inquirere; hæc omnia brevi hac dissertatione resolvam.

1. Propositio I. Qui putant Enos Propositio 1. fuisse superstitiosi Polytheismi auctorem, labili fundamento nituntur.

Probatur. Prob. Hæc aliquorum Hebræorum opinio nullo comprobatur momento, præter quam versu 26. cap. IV. Genes. *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: Iste cæpit invocare nomen Domini;* ubi legendum putant: *Tunc coepit profanari nomen Domini*: Hoc momentum inane est, atque infirmissimum: Ergò nullo firmo Divinæ literæ testimonio præfata corroboratur assertio. Prob. minor 1. auctoritate nostræ Vulgatæ, in qua Amama nil reprehendit præter prænomen *Iste*, quod male putat substitui pro adverbio אָז, *Tunc;* quod valdè futile est, tum quia Vulgatæ nostræ lectionem confirmant versiones vetustissimæ, ac Patres, probatque etiam vir illi criminatori summus Hugo Grotius: tum etiam, quia Lucas Burgensis, atque idemmet Castalio ita verba Geneseos exponunt, quod Enos vivente, eoque auctore, certis constitutis ritibus instauratus sit Dei cultus: quæ est Steuchi, omniumque Latinorum interpretum expositio: tum denique, quoniam Enos proprie tribuitur, quod ipse primus Dominum invocaverit, eo quod ille, ut scribit Augustinus lib. xv. de civit. Dei cap. XVIII., *De patre generationum in meliorem partem, hoc est supernæ civitatis separatarum, primus commemoratur exortus.* II. Probatur minor; nam præcitato textu non profanatio Divini nominis innuitur, sed cultus & invocatio; Chaldæus enim juxta Complutensem editionem legit: בכין שריאו בני אנשא לצלאה בשמא ריי, scilicet, *Tunc coeperunt homines orare in nomine Domini*: cui interpretationi suffragatur etiam ratio, quia ab Enos cœpit generatio justorum, qui in sacris literis speciali quodam titulo *filii Dei* nuncupantur.

2. Opp. 1. Rab. Maimonides, & Kimki Objectio 1. ita Geneseos locum explanant, ut sub Enos filii Adam post idololatriam errarint, eamque interpretationem patitur Hebraicus textus.

Resp. falsam esse horum Rabbinorum explicationem, cujus occasio fuit Hebraicum verbum הוחל, quod modo pro *incipere*, modo pro *violari*, ac *profanari* usurpatur; sed priori sensu positum esse ratione, & auctoritate, nuper ostendi; atque Maimonidi opponimus Aben-Ezram, qui & ipse ita exponit: החטעם שהחלו להתפלל, id est *Tunc cæperunt adorandum.* Solutio.

Opp. 2. Ipse Enos cœpit vocari Dei nomine, voluitque Deus appellari. Hoc videtur voluisse in sua versione Aquila, nec dissentiunt Cyrillus, & Irenæus, qui filios Dei commemoratos cap. VI. Genes. v. 2. & 4. intelligunt filios Enos. Is ergo qui sese Dei nomine compellavit, idololatriæ fuit auctor. 3. Objectio 2.

Resp. gratis amissa Aquilæ interpretatione, quæ tamen subobscura est, ac multiplicem sensum patitur; gratis etiam dato, quod Enos primus omnium appellatus sit Deus, nego consequentiam, siquidem juxta Cyrillum, & Irenæum Dei nomen Enos accepit, ut solent angeli, ac justi: quod aperte in eum locum explicavit Emissenus, dicens: *Speravit Enos Deus dici, id est filius Dei: Justi enim, qui erant ex semine Seth, filii Dei vocabantur.* Solutio.

Propositio II. Ab Hebræorum gente non fuit exortus Polytheismus, neque illum Judaico populo Moyses præscripsit. 4. Propositio 2.

Probatur 1. ex ipsis Hebræorum legibus, quarum præcipuum mandatum est Exodi XX. v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Si quæ autem imagines in sacris literis commemorantur, illæ aut non erant ad adorandum expositæ, aut speciali mandato ad ornatum templi sculptæ erant, nunquam tamen ut idola religioso cultu asservatæ. Probatur 1.

Deindè sinceram verissimamque Moysis religionem, quam erga unum Deum Hebræorum populo tradidit, demonstrat ejusdem zelus; nam conflato ab Aaron vitulo arripiens idolum combussit, & contrivit usque ad pulverem, dixitque fratri, Exodi XXXII. v. 21. *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* atque eo jubente quasi viginti tria millia hominum, qui peccaverant, gladio cecidérunt. Confirmatur.

5. Roboratur. Præterea accedit ipsorum Ethnicorum testimonium. Tacitus enim historiarum v. scribit: Judæi *mente sola, unumque numen intelligunt, & nihil quidquam prius imbuuntur, quàm contemnere Deos.* Quomodo ergo Polytheos, idololatrasque censebimus? Testatur Moysen instituisse sacrificia in detestationem Deorum gentium. *Cæso*, inquit, *ariete, veluti in contumeliam Hammonis, bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt.* Affirmat nullam à Judæis imaginem servari, *nulla*, ait, *simulacra urbibus suis, nedum templis, sunt.* Tradit jam olim ab exitu de Ægypto Hebræos fuisse gentem Diis invisam, atque inde expulsam Hammonis oraculo. Hæc Tacitus; qui tamen sibimet contradicit, dum scribit, Judæos malos cultus ac mores instituisse in odium Ægyptiorum; etenim ibidem ait, eos *corpora condire*, non *cremare more Ægyptio.* At antiquissimum fuisse in Ægypto morem, condiendi cadavera, affirmant Strabo lib. XVI. Herodotus lib. XI. cap. 86. atque, ut alios omittam, lib. 2. Strommat. S. Clemens Alexandrinus. De Judaica quoque religione hæc Dio lib. XXXVII. *Nullam statuam Hierosolymis habebant, & Deum ineffabilem quemdam, & visui non obnoxium arbitrantes magna religione, & super cæteros homines eum colunt. Cui & templum maximum, & pulcherrimum construxerunt.* Cæteri scriptores appellârunt Hebræos curtos, sabbatarios, recutitos, clementes in porcos, nunquam tamen idololatras; sed cum eos viderent absque Deorum simulacris orare, suspicati sunt, quod colerent cœlum, ac nubes: unde de iis Juvenalis:

Nil præter nubes, & coeli lumen adorant.

Igitur ex Hebræorum legibus, ex factis Mosaicis, atque ex testimoniis etiam gentilium manifestum est, Polytheismum non esse à Moyse institutum, neque probatum.

6. Opponitur 1. Opp. 1. Conflato in solitudine vitulo, Aaron ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit: *Cras solemnitas Jehova est*: Exodi XXXII. 5. Sed Jehova est verus Deus: Ergò Aaron credidit vitulum in deserto conflatum esse verum Deum.

Respondetur. Respondet Vossius lib. 1. idololatriæ cap. 3. Hebræos in deserto sub vituli simulacro revera unum Deum coluisse, peccâsse tamen peccato maximo, eo quod adoraverint verum Deum in effigie Deorum Ægyptiorum: quod etiam affirmat de idolo Michæ, ac de vitulis, quos in Dan, & Bethel collocavit Jeroboam. Idcirco poterat jure, & absque mendacio clamare Aaron: *Cras solemnitas* יהוה, *Domini est.* Sed melius respondetur, hunc esse sensum verborum Aaron: *Cras solemnitas Jehova est*, scilicet vituli, quem vobis pro vero Deo constituistis: nec necesse est recurrere ad interpretationem Vossii, ac Professorum Leydensium, contrariam Patribus, ac præsertim Augustino scribenti in Ps. LXXIII. *Vitulus ille, quem adoravit populus infidelis apostata, quærens Deos Ægyptiorum, dimittens eum, qui liberavit de servitute Ægyptiorum.* Resp. Lyranus ac Vatablus Aaron hoc dixisse, quod speraret Moysen quamprimum rediturum ad cultum idoli in Jehova festum commutandum. Hanc postremam responsionem adhibet quoque Eminentissimus Gotti: qui & aliam addit ex Grotio, quia Aaron sperabat veri Dei spiritum in eam imaginem venturum, sicut de astrorum spiritibus gentes aliæ sentiebant. Sed absit tanta ab Aaron insania; licèt parum referat, si dicamus, Aaron nondum Pontificem constitutum peccâsse, ut concedere videtur à Lapide. Neque Grotius ait, *sperabat;* sed *sperabant*, scilicet idololatræ, non Aaron: unde ego arbitror, Grotium inclinare in sententiam Vossii, Calvini, ac Leydensium, existimantium, Hebræos in vitulo aureo adorâsse spiritum veri Dei.

7. Opponitur 2. Opp. 2. Ipse Moyses æneum serpentem infixit perticæ, ut eum aspiceret populus: Atqui hæc est imago ac simulacrum Aesculapii, ei simillimum, quod ab Epidauro urbe Peloponnesi adductum Romam narrant Ovidius in Fastis, & Propertius in Eleg. lib. 2. Ergo Moyses falsi Numinis sculpsit imaginem, eamque erectam ad adorandum exposuit.

Respondetur. Resp. nego cons. non enim, ut adoraretur à populo erexit Moyses æneum serpentem, sed ad conferendam ei sanitatem. Ita respondet Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, & S. P. Augustinus lib. X. de Civit. Dei cap. VIII. Neque Moyses Deo mandante serpentem erexit in memoriam Æsculapii, aliorumve Numinum Ægyptiorum, sed in promissionem Salvatoris, quod idem Augustinus serm. X. de Tempore his demonstrat: *Hoc mihi videtur, quod duas significationes habere possit, unam propter diuturnitatem, quia vasa ænea diutius durare solent; aliam propter vocis claritatem, nam inter omnia metalla vasa ænea majorem tinnitum reddere, & longius sonare solent; Christi doctrina non in una tantum*

tantum Judæorum gente innotescere, sed per universum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat pervenire: ideo serpens ille æneus efficitur, ut doctrina Christi in universo mundo clarius prædicetur, &c.

8. Opponitur 3. Opp. 3. Tacitus citato loco de Judæis scribit: *Effigiem animalis, quo monstrante sitim, famemque depulerant, penetrali sacraverunt.* Erat autem hæc effigies caput asini, de qua Justus Lipsius Comment. in Tacitum ait: *Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt: ne tantopere noster culpetur, tanquam mendaciorum plenissimus scriptor.* Meminit hujus asinini capitis Posidonius, Apollonius, & Apion Grammaticus, cujus hæc sunt verba apud Josephum lib. 2. contra Apionem: *Dum Antiochus Epiphanes expoliâsset templum, illud caput invenit ex auro compositum multis pecuniis dignum.* Consensu itaque scriptorum, & rei eventu manifestum est, Judæos caput asini ex Majorum instituto superstitiosa religione servâsse.

Respondetur. Resp. Tertullianus in Apolog. cap. XVI. hanc de asinino capite narrationem putam fabulam esse. I. Quia idem Tacitus in eadem historia refert, Cn. Pompejum, cum Jerusalem cepisset, & adiisset templum speculandis Judæorum arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. II. Quoniam si id Hebræi coluissent, nusquam nisi in sacrario fuisset servandum, quò solis Sacerdotibus licitum erat adire, conspectu cæteris interdicto per velum oppansum. In sacrario autem nihil dignum reprehensione ab Antiocho fuisse adinventum probat Josephus contra Apionem plurium gentilium Historicorum testimonio, Polybii Megalopolitani, Strabonis Cappadocis, Castoris Chronographi, aliorumque. Extra sanctuarium verò unicuique fas erat inspicere. III. Neque Tacitus, neque ullus idololatra potest hæc Judæis objicere, cum gentes ipsæ hæc aliaqua horribiliora monstra adoraverint. Vide Tertullianum loco cit., Josephum Hebræum, & Marcum Minucium in Octavio. Observa etiam, an Tacitus sibi constet, qui supra scripserat, Judæos nullum penitus colere simulacrum. At Lipsius non ideo excusat Tacitum à mendacio, quod verum aliquid enarraverit, sed asserit, non esse in eum fabulam referendam, quam tradiderunt scriptores alii. Qui tamen illam acceperunt ab Apione Grammatico pugnantia narrante, dum ait asininum caput inventum ab Antiocho, postquam scripserat sublatum à Zabido. Fabula derivata est à malitia, aut ignorantia Ægyptiorum, qui legentes, vel audientes Hebraicam vocem פי יהוה *Pijahо*, id est, *Os Domini*, in sacris literis usitatissimam, commenti sunt Judæos PIEO, sic illi appellant asinum, adorare: vel à quodam templo Judaici ritus condito ab Onia in Ægypto, quod propterea dictum fuerit, Οὶνίου Ἱερὸν, *templum Oniæ*; sed Alexandrini sic acceperint, quasi esset appellatio ἀπὸ τᾶ ὄνου, *ab asino*.

9. Opponitur ultimo. Opp. ultimo: Joseph. lib. VII. de Bello Jud. cap. XII. inter cætera prodigia, quæ evenerunt ante dirutum incensumque à Tito templum, istud enarrat: *Festo autem die, quem Pentecosten vocant, nocte Sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audiêre, quæ diceret: Migremus hinc.* Et Cornelius Tacitus: *Expansæ repente Delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos; simulque ingens motus excedentium.* Cum ergo in extrema populi calamitate dæmones, ac Dii gentium Jerosolymis emigraverint; consequens est, ut antecedenter fuerint Hebræis plures Dii templi præsidium, populique numina tutelaria.

Respondetur. Resp. nego conseq. Etenim emigrantes à Jerosolymis spiritus, cum non fuerint Apis, neque Serapis, neque Numen aliud Judaico populo invisum, nulli fuerunt nisi custodes Angeli urbem deserentes, ac cœleste præsidium in posterum denegantes; vel ipsum summum Numen ad vindictam à sceleratissimo populo provocatum per se, vel per Angelos suos terribili voce clamans: *Migremus hinc.*

10. Propositio 3. Propositio III. Idololatria à posteris Cham originem ducit, & longe ante Mosen fuerunt Dii gentium, non solum numina naturalia, sed etiam animalia.

Demonstratio 1. Demonstratur 1. Præclarissimorum scriptorum auctoritate. Ita enim docent Hebræorum doctissimi Abenesdras, & alii, Lactantius lib. 2. Institut. cap. 14. Hieronymus cap. 2. in Oseam, S. P. Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 24. Veteres omnes qui de idolorum vanitate scripserunt. Quibus addo Lilium Gyraldum Ferrariensem in Syntagm. Deorum, Joannem Boccaccium in sua Genealogia, Paulum Perusinum, cujus Commentaria de Diis Boccaccius exscripsisse, sed immerito, fertur. De hoc etiam argumento erudite

ditè scripsêre Vossius amplissimo volumine de idololatria gentium, Grotius in celebri explicatione Decalogi, & Joannes Clericus in Prolegom. historiæ Eccles. sect. 2. Hanc sententiam explico simul, ac probo. Principio homines pro Diis venerati sunt astra, sidera, & signem; idque longe ante Mosen; quippe ignis colebatur in Ur Chaldæorum, cujus cultum fugisse Abraham vetustissima est Hebræorum traditio, neque videtur à sacris literis discrepare. Justinus quoque cum Tryphone disputans scripsit, Deum dedisse antea solem adorandum, permittendo nimirum, non approbando.

11. Demonstratio 2. Una cum astris Dii vocati sunt, divinisque culti honoribus reges atque reginæ. Ita Chrysostomus in 2. ad Corinth. cap. XII. Et colligitur ex Diodoro, qui lib. I. Biblioth. ait: Idololatriam ab antiquis temporibus in cultu regum fato functorum fuisse sitam. Ægyptii Isidem & Osiridem reges sues tanquam Deos habuerunt: cumque eos puderet mortuorum animos colere, commenti sunt Isidem eamdem esse ac lunam, & Osiridem eumdem cum sole. Phœnices, auctore Athenæo, regem suum קרנן Kronon in eam stellam, quam Græci à Phœnicibus edocti τὸν Κρόνον, Latini autem Saturnum vocant, consecraverunt. Astarte in Veneris stellam, Hammon in Arietem pariter sacrati sunt. Hos antiquissimos reges fuisse posteros Noe, qui Mosen præcesserunt, salva Huetii veneratione, quem virum ob maximam eruditionem summo honore prosequor, certissimum puto, atque alibi ostendo, Neptunum idem esse cum Japete filio Noe, Vulcanum cum Tubalcain, Martem cum Belo primo rege Assyriorum, Apollinem cum Jubal citharæ inventore, Saturnum cum ipso Noha, &c. consecrantibus posteris Cham patrum suorum memoriam. Cumque habeamus ante Mosen Deorum historiam, falsum est, omnes populares Deos gentilium unam esse cum eodem Mose personam. At ad institutum revertor.

12. Demonstratio 3. Cum sidera habeant quamdam cum animantibus similitudinem, cœperunt homines regum suorum adoratores fingere idola animalium, ita ut bos dictus sit Apis ob lunam; Phœnix, draco, & accipiter propter solem: Ibis ob Mercurium: Canis ob Sirium: atque hinc paullatim adinventæ sunt aliæ Deorum imagines, avium, pecudum, piscium, & monstrosæ quamplurimæ quibus essent capita brutorum, membraque hominum. Quapropter idolum vituli conflatum ab Hebræis erat, ut arbitror, imago lunæ, & Apis: colebantque gentes in animantium formis sidera, in sideribus regum suorum animos. Ultro idololatria processit, nam intervallo temporis relata sunt in Deorum numerum ipsamet animalia, serpentes quoque, & crocodili, tandem etiam lapides ac plantæ, reputantibus Polytheis Deum quidquid eis utile videbantur.

13. Notanda de Idololatria. Ex quibus colligitur idololatriam principio fuisse absque idolis, ac simulacris: hæc autem primo fuisse animantium, deinde alicujus monstri, in his illudentibus simpliciores homines per oracula, ac signa mendacii malignis spiritibus. Idola humanam effigiem repræsentantia primus omnium traditur feciſſe Ninus rex Assyriorum, de quo loco citato Hieronymus. Hunc Ninum puto fuisse filium Nemrodi, filii Chus, filii Cham, filii Noe. At non omnia idola hominum vel animantium imaginem referebant: sed & erant quædam cum stellarum figuris, quibus iounculis ex veteri Syrorum superstitione arbitrabantur, se futura prænoscere. Appellantur Hebraice *Teraphim* תרפים: erantque hujus generis ea, quæ Rachel abstulit Labano patri suo Genes. XXXI. v. 19. & quibus divinationis causa execranda superstitione suspendebant inaures, ut scribit S. P. Augustinus Epist. LXXIII., & infertur ex cap. XXXV. Gen. v. 4. Consimile idolum habuit Nero, cujus monitione dicebat, se futura prænoscere, ut narrat Suetonius. Hæc est verissima origo idololatriæ, quam à Chananæis ad Ægyptios, hinc ad Phœnices, ab his ad Græcos, à Græcis verò ad Romanos fuisse derivatam constat omnium historicorum consensu. Nunc vero contra hanc idololatriam natam ab homine, cui pater suus maledixit, communibus Scholasticorum, ac specialibus quoque argumentis, Dei unitatem vindicare conabor.

CA-

CAPUT VI.

Unum esse Deum demonstratur.

SUMMARIUM.

1. 2. Argumentum primum è sacris literis erutum.
3. Argumentum secundum ex innumeris à Deo patratis miraculis.
4. 5. 6. 7. Plurium argumentorum à ratione complexio.
8. 9. 10. 11. Argumentum quartum à gentilium testimonio, & amentia.

Demonstratur, Deum esse unum.

NOrunt omnes Tertulliani adagium lib. 1. contra Marcionem, *Deus, si unus non est, non est.* Omnia quippe argumenta, quæ probant Dei existentiam, demonstrant quoque unitatem; ut recte animadvertit lib. 2. Theologicorum Dogmatum cap. 1. vir clarissimus Ludovicus Thomassinus. Superaddam tamen, ut id exploratius fiat, momenta quædam ex sacris literis, ex miraculis, ex theologicis rationibus, & ex ipsa gentilium Theologia, indigitans, ubi possint hæc pleniori doctrina pertractata à studiosis adolescentibus reperiri. Neque hoc loco prætermitto divinas Scripturas, quæ & valent contra Tritheistas, & argumenta suppeditant contra omnes idololatras validissima.

Momentum I. è sacris literis erutum.

1. Momentum 1. ex Scriptura.

Divina Scriptura nil frequentius admonet, quàm unum esse Deum, non solùm Hebraici populi, verùm etiam universorum; Huic & propter scriptorum auctoritatem, & propter veracitatem divinam, quæ duo nunc præsupponimus, firmissima habenda est fides: Igitur unus est Deus. Major probatur; etenim Deut. XXXII. v. 39. legitur: *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me:* IV. Regum cap. V. v. 15. *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra.* Ps. 17. *Quis Deus præter Deum nostrum?* & 82. *Tu solus altissimus super omnem terram.* Is. XXXVII. *Tu es Dominus solus.* I. ad Corinth. cap. VIII. v. 4. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.*

Confirmatur rei eventu.

Neque id solum Scriptura narrat, sed etiam rei eventu confirmat, ratione universi, productione hominis, punitione impiorum, ac præsertim idololatrarum. Nam qui vitulum conflatum adoraverunt, cæsi sunt jubente Domino Exodi XXXII. ferè viginta tria millia hominum: sociati idololatris Israëlitæ traditi sunt in manus regum terræ, Judic. cap. III. & è contra ad Deum suum reversi, fuerunt à Philisthiim tyrannide liberati. Periit rex Achab in bello propter cultum idolorum, obiitque Ochosias, consulens Beelzebub Deum Accharon, ut regum narrat historia. Exaltati è contra idolorum eversores Jacob, Moses, Josue, &c. Et quod enarrat Scriptura, confirmavit posteriorum sæculorum historia, ac miserabile fatum Neronis, Diocletiani, Maximini, Licinii, Juliani Apostatæ, aliorumque, qui idolorum cultum instaurârunt. Si enim dii gentium essent, virtute ac potentia summa pollerent, & potuissent contra Deum Israël salvare eos, qui eorum cultum summopere promovebant; neque ipsis invitis unius Dei religio longe lateque fuisset diffusa. Urget hoc contra Ethnicos argumentum Lact. lib. 2. divin. Instit. cap. 4. Tertul. in Apologetico cap. 26. & S. P. Augustinus in 1. de Civit. Dei cap. 4. ubi deorum vanitatem ostendit, ex quo cultores suos, sibique addictas civitates, non potuerunt servare.

2. Responsio gentilium.

Respondent gentiles, vel hæc falsa esse, vel similia à suis quoque diis fuisse patrata. Addit Phereponus Animadvers. in Augustini Opera pag. 576. imprudentes videri Patres, qui iis armis usi fuerunt, quæ & Ethnici adversus Christianos tractare poterant.

Refutatio.

At prior responsio propellitur ab Augustino lib. X. de Civit. Dei cap. VIII. & XVI. Si enim pertinaciter negare velimus historias, nullis libris præbenda erit fides, multo minus Ethnicorum, qui vel Magi fuerunt, vel poëtæ, & à suis quoque, ut infra ostendam, despiciuntur. Animadversio autem Phereponi impudentissima calumnia est, ac puerilis ratiocinatio. Nam libri Ethnicorum testantur, urbes & cultores idolorum cecidisse diis invitis & contra pugnantibus: sic Ilium eversum invito Neptuno, sic à naufragio liber, & Turni victor Æneas repugnante Junone. Infirmos ergo ac nullos hos deos valide Augustinus demonstrat. E contra si Hebræorum, aut Christianorum templa diruta sunt, si in occisione gladii

mactati fideles, si vera religio ab hostibus perturbata, hæc omnia Deus noster prædixit, & evenerunt eo permittente ac volente in pœnam impiorum, nominisque sui exaltationem: eo vel maximè quod vera religio crevit inter magna discrimina; idololatria vero nunquam post fata revixit. Perperam itaque in Patres Phereponus debacchatur.

Momentum II. ex innumeris à Deo patratis miraculis.

3. Momentum 2.

Idololatrarum punitioni accedunt mirabilia, quæ in sui cultus exaltationem operatus est Deus. Plenæ sunt his sæculorum omnium historiæ. Enim vero de Mose in libro Exodi legimus colubrum in virgam, & aquam vertisse in sanguinem, per undas maris rubri populum traduxisse, eo petram percutiente saluberrimam fluxisse aquam, & orante cœlos mannam distillasse. Quæ fecit Josue in transitu Jordanis, atque in expugnatione urbis Jericho, quæ Gedeon in Madianitas, quæ David in Philistæos, quæ Daniel apud Babylonem, quæ denique Machabæorum exercitus contra potentissimum Antiochum, in cæteris Scripturæ libris recensentur. Atque hæc in conspectu idololatrarum pro unius veri Dei cultu fuere perfecta. Servatoris nostri Christi signa ac prodigia in novo habentur testamento: Petri, Pauli, ac Stephani in Actibus Apostolorum; Discipulorum Christi ac Martyrum in Tabulis, & Ecclesiasticis Monumentis. Sufficiat hæc commemoravisse: in libro enim de Angelis ostendam, hæc fieri nisi divina virtute non posse. Ergo cum Deus sit, qui facit mirabilia magna solus, neque inveniri possint miracula perpetrata ab aliquo gentilium Numine, prout ostendam infra solvens argumenta Ethnicorum; consequens est unum esse Deum, qui ab Hebræis, & Christi Fidelibus adoratur. Utuntur hoc argumento S. P. Augustinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. VIII. aliique Patres, nec non Hugo Grotius lib. I. de Verit. Relig. Christ. n. XIII. & lib. IV. num. VIII. Clericus etiam in Hist. Eccl. anno CLVII. num. IX. & X. & in Prolegom. sect. 2. n. XI. & XII. quos propter eos nomino, qui negant, miracula esse veræ Religionis argumentum. Ex Scholasticis vero ad probandam Dei unitatem hoc præsidio utuntur Antonius Boucat. dissert. 2. art. 2. & ex mirabilibus ordinis naturalis satis ingeniose ratiocinatur noster Gavardi Quæst. I. de subst. Dei art. III. n. 10.

Si dixeris hæc miracula fieri à spiritibus Deorum administris; Respondeo id quidem verum de pluribus esse, quæ peraguntur ab Angelis, qui sunt administratorii spiritus. At sola Dei potestate, nutuque hæc efficiunt, sicut in regnis bene constitutis, nihil ministri extra communes leges operantur, nisi unius summi Rectoris arbitratu. Objectio cum solutione.

Momentum III. sive plurium argumentorum à ratione complexio.

4. Momentum 3.

Comprobat Dei unitatem etiam manifestissima ratio. Primo: Deus est summe magnus: ergo est summe unus. Ita argumentatur Aug. lib. I. de Trinit. cap. 7. Tertullianus in I. adversus Marcionem, & Auctor librorum de Trinit. qui inscribitur Novatianus, Anselmus lib. de Incarnat. cap. 4. & D. Thomas in I. contra Gentes c. 42. Ant. est communis omnium de Deo sensus: conseq. probatur; quoniam hoc est esse summum, par non habere: par autem non habere uni tantum competit: *Duo ergo summa magna quomodo consistent?* inquit Tertullianus.

5. Confirmatio I.

Præterea: Si plures sunt Dii, vel differunt essentialiter, vel accidentaliter: In Deo neque essentialis, neque accidentalis differentia potest excogitari: Ergo non sunt plures Dii. Probatur mi. si namque differunt essentialiter, id est, quomodo species à specie sub eodem genere distat, perfectio essentialis, quæ in uno est, deerit alteri, & neuter erit summe perfectus: si vero differunt tantum accidentaliter, id est, aut sapientia, aut jurisdictione, aut loco, aut felicitate, neuter erit omnipotens, neuter immensus, neuter beatissimus. Quod si dixeris differre tantum numero, ut plura ejusdem speciei individua, ac tanquam Plato distat à Socrate; vel à se invicem propagati sunt, veluti homo generatur ab homine, vel nullus habet ab altero originem: si propagati sunt à se invicem, is erit primus ac summus, à quo alii ortum habent; quod si à nullo habent originem, erunt plures species, seu naturæ diversæ, reditque prior argumentatio, quam urget in lib. de Trinit. Boetius, Lactantius lib. I. divinarum Institutionum, Petavius lib. I. Theolog. dogm. cap. IV. n. II. Thomassinus lib. 2. cap. I. n. VIII. Instantiam, quam patitur argumentum, petitam ex divinarum Personarum distinctione diluam paullo infra. Reducuntur ad hæc duo genera argumenta omnia ab idea entis à se, infiniti, singularis,

laris, omnipotentis, ultimi finis: quæ idcirco omitto, sed rerum multarum cupidus ea adinveniet apud Ægidium, Gibbon, Gonet, & Suaresium, qui hæc planissime enucleant.

6. Confirmatio 2. Tertio: Unus est mundus: Ergo unus illius opifex. Consequentia probatur; nam sicut unius regni unus est princeps, ita unius mundi unus debet esse conditor ac rector; aliàs non foret universalis Dominus. Quamquam enim sunt in mundo respublicæ, in quibus principantur optimates, unus tamen hanc regiminis formam proposuit, unus jecit urbium fundamenta, ut Athænarum juxta Platonem Pallas, Romæ Quirinus seu Romulus, Patavii, ut fertur, Antenor. Atque si compatiuntur principatus consortium homines, pati non potest summus Deus; illi enim infirmi, & errandi capaces egent alterius consilio ac potentia; Deus autem summe verax ac potens neque consultatione indiget, neque auxilio. Quod si dixeris plures mundos fabricatos esse, vel diversas ejusdem mundi partes à Diis pluribus, subsistit adhuc argumentatio. Nam vel multorum opera ad universas creaturas moliendum erat requisita, vel unus poterat omnes constituere: si poterat unus, cur alios adhibuit? aut necessitate, aut libertate: si necessitate, ergo impotens est, non Deus; si libertate, non sunt igitur plures Dii necessarii. Si autem singulorum opificium requirebatur, consequitur omnes fuisse imbecilles. Vide in oratione contra gentes Athanasium. Atque huc spectat argumentum petitum à mundi ordine ac regimine, quod Hieronymus in Epist. ad Rusticum, & Cyprianus in lib. de Vanit. idolor. explicant comparatione apium, gruum, armentorum, & exercituum, quibus omnibus unus est imperator; & Athanasius, eodem loco, exemplo navis, quæ, nisi unus regat clavum, cursum recte non tenet; & citharæ, quæ non edit concentum, nisi unus philarmonicus eam plectro feriat.

7. Confirmatio 3. Denique: irrupto semel limine unitatis, innumeri propemodum consurgent Dii; semel enim effusam divinitatem nemo poterit sistere, & cum numerus eo sit perfectior quo major, multitudinis Deorum non erit terminus: Atqui Deos innumeros nullus sibi conscius fatebitur; Ergo neque plures. Argumentum est Tertulliani contra Marcionem: eo utitur noster Gibbon in hac quæst. n. IX. accuratius vero Thomassinus loc. cit. num. VII. & ampliori etiam eruditione doctissimus Cardinalis Gotti n. VII. & VIII.

Momentum IV. à gentilium testimonio, atque idololatrarum amentia.

8. Momentum 4. Auctoritate quoque gentilium refutatur Polytheismus, cum unum Deum fere omnes scriptores etiam idolis mancipati profiteantur. De Platone, Porphyrio, Jamblicho, Proclo, aliisque hujus sectæ constat, unum statuisse summum Deum, aliorum quidem, sed inferioris sortis, progenitorem. Empedocles, & Antisthenes multos populares Deos, at naturalem unum agnoverunt. De Aristotele, Simplicio, ac universa Peripatetica schola compertum est, unicum rerum omnium constituisse principium. Quid senserint Cicero, Varro, Plutarchus, ostendit in præclarissimo opere de civit. Dei Augustinus, & qui in illud commentaria ediderunt, Vives, & Coquæus. Veterum Poëtarum consensum probant Clemens Alexandrinus in Protreptico, Athenagoras, Lactantius, Tertullianus. Hoc argumentum proponunt, quotquot de summo Deo disputationem instituunt, at ornatissima eruditionis copia Gerardus Vossius in I. de idololatria cap. 2. & Petrus Daniel Huetius in Concordia rationis & fidei lib. 2. num. XIII.

9. Oppositio cum solutione. Si reponas longe majorem fuisse numerum illorum, qui plures Deos coluerunt, ut animadverti initio cap. V. Respondeo horum nullam habendam esse rationem. I. Quia & ipsi unum Deum aliis præesse opinabantur: quem, auctore Plutarcho in Iside & Osiride, incolæ Thebaidos Cneph appellabant; cæteri idololatræ ignorabant, quisnam esset: aut quo nomine vocaretur, si de Ægyptiis loquamur; at si de Romanis, Græcisque, erat iis omnium princeps aut Jupiter, aut Saturnus. Idem fatentur omnes gentiles, ut in concilio Carthaginensi sub Cypriano ait Saturninus Confessor, & in Epistolis ad Augustinum Longinianus, & Maximus: idem nota inscriptio Delphici templi EIS EI, *Unus est*, de qua Eusebius lib. II. Præparat. Evangelicæ cap. 7.: idem oracula Apollinis apud Porphyrium, de quibus Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 23. idem denique Romani, qui cum Pantheon, id est, Deorum omnium templum, modo Sanctæ Mariæ ad Martyres sacrum, curante Agrippa excitarent, Jovi tamen Victori dicârunt.

Secun-

10. Confirmatio.

Secundo: demus existimâsse idololatras Deos imperio ac virtute pares; eorumdem tamen stultitiam certis rationibus comprehendimus. Principio ex hoc ipso capite, quod summæ dementiæ est, plures Deos inter se æquales excogitare, ut probat Momentum præcedens. Deinde quia ii Dii aut erunt boni, aut mali: si boni, servabunt ordinem inter se: si est inter eos ordo, erit unus summus ad cujus præscriptum cæteri erunt colendi; ut nos Angelis & Sanctorum animabus præstamus religiosum obsequium: at vero in hac hypothesi Dii non sunt. E contra si mali, non erunt illud summum bonum, quod sæpenumero memoravimus. Ulterius gentes cultum flagitiosissimis hominibus vita functis impendunt, impio in fratrem Romulo, ebrioso Baccho, Jovi in patrem sacrilego; imo Arimanio, Cacodæmoni, malo Genio, quibus & nunc hostias mactant Indi, Æthiopes, ac Persæ. Rursus sacrificia immolant, ut cap. præcedenti diximus, animantibus, quæ cum ratione careant, sunt ipsis cultoribus deteriora: multo minus sunt hominibus comparanda sol, luna, astra, elementa, quæ nec vivunt, nec sentiunt, longius ab adoratoribus suis distant numina, quæ nec subsistunt, & sunt corporum affectiones, ut motio & salsedo maris, valetudo, eventus, cupiditas, quæ sub nomine Salariæ, Veniliæ, Fortunæ, Amoris superstitiosa gentilitas venerabatur. Quis vero dixerit, Deum esse cultore suo inferiorem, dominum servulo, opificem structura sua, auctorem figmento, ac plasmate? Denique extremam gentium stultitiam eadem ipsarum produnt sacrificia, ac ritus; dira præsertim consuetudo idolis humanas victimas, puerorum quoque ac virginum cruenta immolatione mactandi. Nefanda hæc sacra commemorant Lactantius, Plutarchus, Porphyrius, Saubertus. De turpitudine Sacrorum Matris magnæ scribit elegantissime S. Pater in VII. de civit. Dei cap. XXV. & XXVI. de placentis conspersis adipe ab Hebræorum fœminis gentilium more oblatis Reginæ cœli, ut legitur in Hierem. cap. 44. venustissimus noster Poëta Joannes Baptista Cotta in Adnot. ad Hymnum VII. ubi cœli reginam recte docet esse lunam. Nam (addam hæc ad præclarissimum scriptorem, quem honoris causa nominavi,) Hebræi cœli reginam vocant בעלת, & à Philone Byblio dicitur Βααλτις, ab Abydeno vetustissimo scriptore apud Eusebium in fine IX de Præparat. Evangel. Βηλτις, Beltis, uxor Beli, & prima regina Assyriorum; qui, ut capite præced. diximus, in *sole, & luna*, reges suos adorârunt. Atque factæ talibus Diis, Deabusque huiusmodi placentæ, ac liba satis vesanam redarguunt superstitionem.

11. Tres objectiones paganorum.

Tria ad hæc regerebant pagani. I. Se non colere lapides ac metalla; Sed simulacra, altaria, custodiam ignis & cætera id genus esse immortalium Deorum symbola: ita Celsus apud Origenem lib. VII. II. Ajebant, conficta esse probra de ipsorum Diis enarrata. III. Idola solum sculpta esse ad accersendas aereas potestates.

Solutio.

Verum commentitia sunt hæc omnia. Et primum quidem; nam certum est simulacrorum inventores existimâsse, Deos esse corporeos, atque ipsis idolis simillimos; aut saltem consecratione ita statuis alligari, ut arbitrarentur se carere Diis, cum essent ablatæ eorum icunculæ. Habes exemplum Michæ Judicum XVIII. v. 24. & plurima apud Ethnicos de asportatis Penatibus, ne restaurari possent urbes hostium eversæ. Quapropter sive statuam, sive præsentem Deum dicant se colere, perinde est, ac eodem pacto insanire. Ejus generis est responsio altera; nam Deorum flagitia non nostri scriptores primo commemorârunt, sed Homerus, Varro, Phornutus, & alii: qui si commentitia narrant, erunt ejusdem furfuris Deorum virtutes, nec non Saturni, Jovis, Martis aliorumque Deorum nomina. Atque si falsa sunt, saltem pagani Deorum probra imitantur, ut constat in Terentiana, Eunucho Act. III. scena V.; & arbitrantur, Deos delectari obscenissimis sacrificiis, quæ perstringit ingeniose Augustinus in II. de civit. Dei cap. XXIX. *Et fiunt miseris*, ut scribit Cyprianus Epistola II., *religiosa delicta*. Tertiam denique responsionem ita impugnat Athanasius in Orat. contra gentes: *Si hæc simulacra facta sunt, ut per ea advocent potestates; cur hæc iisdem, quas invocant, potestatibus pluris faciunt? cur iisdem simulacris Dei nomen, & honorem imponunt, ac præstant?* Quod si reponant, se idolis potestates has anteferre, ingeret se iterum prior refutatio.

CA-

CAPUT VII.

Objectiones contra prolata momenta solvuntur.

SUMMARIUM.

1. 2. In favorem Polytheorum fit, & solvitur objectio desumpta ex S. Scriptura & Theologia paganorum
3. 4. 5. 6. 7. 8. Pluralitatem Deorum adversarii probare conantur ex innumeris ferè miraculis. Satisfit objectioni.
9. Solvitur argumentum petitum à ratione.

1. Objectio 1. ex S. Scriptura.

IN Polytheorum patrocinium primo loco afferri possunt Divinæ Scripturæ. Habetur namque Exodi VII. v. 1. Moysen fuisse Deum Pharaonis. In Psalm. LXXXI. legitur: *Deus stetit in synagoga Deorum.* Et infra: *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes:* quo testimonio Christus propriam divinitatem comprobavit Joannis cap. X. v. 35. Ad Corinth. prima cap. VIII. v. 5. *Siquidem sunt Dii multi, & Domini multi.* Corruit ergo Momentum primum petitum ex sacris literis.

Solutio.

Resp. nego consequentiam, quæ haud rectè ex productis locis infertur, ut ostendam singulorum explic tione. Exodi VII. Moyses dicitur Deus constitutus; ergo non erat ille Deus natura sua, sed Dei vicem gerebat. Deinde ibi appellatur Deus solo vocabulo Elohim אלהים, quo judiciaria potestas significatur: ideoque sensus est, Moysen electum à Deo fuisse, ut Divina judicia contra Pharaonem exequeretur, unde transtulit Jonathan, *Ego te constitui timorem Pharaonis.* Præterea ibidem v. 2. aperte innuitur, quo sensu Moyses dicatur Deus: *Tu loqueris omnia, quæ mando tibi . . . Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti.* In Psalmo item LXXXI. est vocabulum אלהים, & sensus est, *Deus stetit in synagoga judicum;* exercent enim reges ac judices ministerium ipsius Dei, qui Proverbiorum VIII. v. 15. ait: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Propterea dicit Psalmista, Deum judicaturum ipsos judices, qui perverse agunt, ut proceres Israël, qui Absalomum fuerant secuti: *Deus,* inquit, *stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Usquequo judicatis iniquitatem: & faciem peccatorum sumitis?* Quod ex eodem Psalmo profertur, idem omnino est: videlicet, *Dii estis,* judices estis, atque secundum legem, ac præscriptionem meam ad regendos populos constituti, Diique participatione regiminis, non sempiterna substantia; *Vos enim* (nota quænam illico subsequantur,) *sicut homines moriemini: & sicut unus de principibus cadetis.* Quomodo eo loci Christus suam probat divinitatem, & invidorum retundit criminationem, ostendam in lib. de Trinitate contra Arianos, qui hoc testimonio abutuntur. Demum Apostolus de fallaci gentium opinione, non de proprio sensu loquitur, cum statim addat: *Nobis tamen unus Deus.* Atque ad communem hanc interpretationem addo Græcum textum, Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, *Nam & si sunt qui dicuntur Dii,* scilicet qui Deorum habeant nomen: quod satis indicat, gentilium idola esse tantummodo θεοὺς λεγομένους, Deos nomine, atque appellatione.

2. Instantia.

Instabis. Concordant Divinæ Scripturæ cum Theologia paganorum. Hæc docet unum Deum præesse cælo, id est, Saturnum, alios aliis partibus mundi: hominis fatorem esse Jovem: huic adstare Consentes, quos consulat in rebus maximis; unum denique esse Deum Hebræorum, cæteros nationum cæterarum: Atqui hæc omnia Divinæ affirmant Scripturæ. Ergo his Deorum pluralitas nequaquam adversatur. Prob. mi. Primo Geneseos legitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram:* Hebraice ברשית ברא אלהים observa vocabulum אלהים, *Elohim.* Capit. 2. v. 7. habetur, *Formavit igitur Dominus Deus hominem:* Hebraice ויצר יהוה nota Dei nomen יהוה *Jehova:* Ergo cælum condidit Deus *Elohim*, & iste est *Saturnus;* hominem verò plasmavit Deus יהוה *Jehova*, & iste est *Jupiter.* Eodem cap. 1. v. 26. Sator hominum *Jehova* ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Consultat ergo Deus *Jehova* Senatum Deorum in plasmatione præstantissimæ creaturæ, id est, hominis. En *Jovem* in synagoga Deorum *Consentium:* denique cap. 2. v. 4. ubi omnium rerum commemorantur generationes, legimus: *In die quo fecit Dominus Deus cælum, & terram,* in Hebræo Codice, יהוה אלהים ביום עשות. Occurrit

currit istic & nomen Dei Conditoris hominum, יהוה *Jehova*, & aliorum Deorum, qui cæteras res procreârunt, אלהים *Elohim*: Igitur diversi Dii diversis rebus præsunt, unus cælo, alter hominibus, iste Hebræis, ille Philistiim, &c., probátque gentilium Theologiam ipsa Divinarum Scripturarum auctoritas.

Solutio. Resp. nego minorem. Ad probat. dico I. Deum Creatorem cæli, & Deum Conditorem hominis esse unum; nam cap. 1. v. 1. dicitur cælum, & terram creâsse Deus אלהים. Vers. 26. ait *Faciamus hominem*, Deus אלהים. Cap. 2. v. 7. habetur formâsse hominem, Deum יהוה, versu 5. creâsse cælum & terram, Deum יהוה-אלהים. Est ergo idem אלהים ac יהוה, idemque fator hominum, & Creator cælorum. Quamquam principio commemoratur nomen אלהים, non יהוה vel quia istud revelatum est Moysi, eratque olim ignotum: vel quia speciali quodam providentiæ titulo Deus universorum appellari voluit Deus hominum. II. Ea verba, *Faciamus hominem*, nequaquam significant consultationem Deorum; non enim requiritur senatus consultus, ubi omnia moderatur perfectissima sapientia: sed significatur hic aliquarum Personarum distinctio, ut explicabimus agentes de Trinitate. Quod si gratis admittatur expositio veterum Hebræorum existimantium Deum regum more nihil inconsultis angelis moliri, vel etiam opinio Platonis, qui in Timæo commentus est summi Dei ad Deos minores colloquium; erit verus Deus unus ille summus, cui obtemperant angeli, Diique minores. III. Optime dicitur cap. 2. v. 4. Deum ac Dominum, *Elohim*, & *Jehova* operatum esse universa; sed unius Dei plura sunt nomina. יהוה *Jehova* incommutabilem existentiam, אלהים, *Elohim*, ut scribit Aben-Esra, denotat intelligentiam, sapientiam, prudentiam. Postremum nomen pluralis est numeri, sed communis significationis, quam à verbo adjuncto ejusque numero, ac suffixis distinguimus: in omnibus vero productis locis singulari verbo conjungitur; & cap. 1. v. 1. legimus ברא אלהים, *creavit Deus*: versu 26. ויאמר אלהים *Et ait Deus*: cap. 2. v. 7. ויצר יהוה אלהים, *Et formavit Deus*: Unus itaque, ac singularis ubique Deus.

Opp. 2. Contestantur Deorum pluralitatem innumera fere miracula. Ergo fatendum est plures esse Deos. Ant. probatur I. Ex Idolorum oraculis; quorum plura numerat Celsus apud Origenem lib. VII., ubi Hebræorum Prophetis opponit Celsus Pythias, Dodonidas, vatesque Clarii Apollonis, & Jovis Ammonis, atque conqueritur horum vaticinia nihili fieri à Christianis. II. Ex prodigiis patratis ab Iside, in cujus templo excubantes infirmi à medicis desperati, plurimi capti oculis, mutilati, oppressi languoribus in pristini vigoris integritatem restituebantur; ut scribit lib. 1. Diodorus Siculus. III. Ex gestis ab Apollonio Tyanæo, qui Romæ puellam revocavit ad vitam, evanuit ab oculis Domitiani, & raptus in cælum est, ut refert Philostratus, inter Virginum, Divorumque concentus. IV. Ex miraculis Æsculapii, in cujus Romano templo ad insulam Tiberinam appensa erat marmorea tabula sanatorum ab ipso hominum exemplis inscripta, cujus etiamnum fragmentum extat apud Gruterum pag. LXXI. V. Ex prodigiis Vestalium, de quibus narratur ab Ovidio in 2. Fastorum compressa Sylvia, Vestæ simulacrum manus opposuisse oculis, divinumque ignem quasi sensu præditum sese contraxisse sub cineres. De Æmilia narrat Dionysius lib. 2. Antiquit. Roman. implorato Deæ præsidio, abscissam stolæ carbasinæ laciniam in frigidos injectam cineres ex templo à flammis fuisse correptam, cum ipsa tamen ignem negligentius asservâsset, & foret extinctus. De Tucia scribunt idem Dionysius, & Valerius Maximus lib. VIII. cum accusaretur violatæ pudicitiæ accessisse prosequente universo populo ad Tiberim, & vacuo cribro haustam aquam pertulisse usque ad forum. De Claudia etiam narrant cingulo traxisse navim deferentem Idæ simulacrum, & in Tiberis vado hærentem. VI. Ex patratis à Vespasiano, & Hadriano: quorum ille, auctore Tacito lib. IV. cap. 81. cæcum, & ægrotum manuum impositione sanavit, is vero, Spartiano teste, cæcum à nativitate Pannonium nomine illuminavit; quod simile est miraculo Christi, de quo Joannes cap. IX. v. 32. *A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos coeci nati.* Sunt & alia in dissertationibus de Angelis expendenda. **3. Objectio 2.**

Resp. nego ant. ad probat. dico nullam fidem habendam esse gentilium miraculis, quæ & ipsorum scriptores celeberrimi in dubium revocant, *ut nulla idonea* **Solutio.**

idonea Testium fide suffulta, planeque conficta, ait historiarum initio Livius antiquorum fabulas sequentibus verbis excusans; *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana Divinis primordia urbium augustiora faciat*: & si quædam facta concedantur, aut talia fuerunt quæ in admirationem traherent rerum naturalium ignaros, aut veneficia malorum spirituum fraude conficta, aut non ab his, sed à suprema mente patrata. Ad quæ distinguenda alibi certas regulas tradam: nam satis est modo si prædictorum miraculorum falsitas ostendatur. Oracula itaque Apollinis, Ammonis, aliorumque Deorum nullam totam præseferunt divinitatis: primo, quia illorum verba fuerunt ambigua, ut demonstrat ex Oenomai locis Eusebius lib. IV. P. E. à cap. 20. ad 26. Grotius etiam in IV. de Verit. Relig. Ch. num. IX. & in libro de Oraculis Ant. Van-dale: eaque ipse Cicero in II. de Divinat. flexiloqua & obscura appellat. II. Quoniam hisce oraculis Religionis nostræ veritas firmatur, & aliquando apud paganos aliquorum vatum opera usus est Deus, ut ad mysteria fidei nostræ, & ab idolis aversionem superstitiosos disponeret. Nam idolorum oraculis manifestatum est, Deum esse unum, Hebræam gentem sapere, quæ numen ingenitum veneratur, ut probat Augustinus lib. XIX. de civit. Dei cap. 23. & Paræneticus ad Græcos, qui tribuitur Justino: venturum quoque ab Oriente, qui rerum omnium potiretur, regemque omnium regum, ut fatetur Suetonius in Vespasiano, Tacitus lib. IV., & Cicero in II. de Divinat. III. Quia si quid definitius prædictum est, poterat ex causis naturalibus præsentiri, ut medici prædicunt exitium aut sanitatem, ut Anaximander, & Pherecydes terræ motus prænunciârunt, ut astrorum inspectores de pluvia, nive, grandine vaticinantur. IV. Quia hæc oracula fieri ab Antitheis ac dæmonibus ex eo constat, quod in amores illicitos, in improborum hominum laudes, in cædes ac bella, in horribiliora crimina ab ipsis gentilium legibus damnata cultores suos fraudulenter alliciant. Hæc de Oraculis.

4. Isidis miracula.

Patrata ab Isíde miracula nulla sunt. Refert enim loco citato Diodorus, ægros in ejus templo abreptos somno de morborum remedio fuisse admonitos, quod evenire poterat fraude sacerdotum, qui nocte adloquerentur infirmos, & cum essent medicæ artis peritissimi præscriberent pharmacum: aut propterea, quod somniarent ægroti de remedio, de quo antecedenter agentes medicos audierint. Quod si pauci ex templo curati sunt, fuit sanitas restituta in iis languoribus, qui aut sola imaginatione, cujus maxima vis est in chronicis morbis, aut agente intus cacodæmone graves admodum videbantur.

5. Prostigia Apollonii Tyanæi.

Apollonium Tyanæum præstigiis, magicisque artibus deditum ostendit Eusebius contra Hieroclem, nec dissentit Tatianus in Annotatis ab Hugone Grotio ad IV. de Relig. Christiana num. VIII. Dicam de ipso breviter: alia ab ipso patrata narrantur Romæ anno Aeræ Christianæ XCII. Domitiani Imperatoris XII. alia Ephesi in Xysto anno XCVI. ac I. Nervæ: alia in ejus excessu in Cretensi templo Dianæ Dictynnæ. Omnia in Christi contemptum ficta à Philostrato constat comparatione factorum; quod & ipse dicatur ab aliorum oculis evanuisse, Demetrio ac Damadi Puteolis conspectum, creditumque phantasma se iis præbuisse tangendum, ascendisse in cælum inter angelorum, ac virginum choros. Deinde Philostrati mendacia sese produnt, dum scribit, Domitillam fuisse sororem Domitiani, & Clementem perpaucis diebus ante Domitiani obitum fuisse trucidatum, cum oppositum doceant Dio, Suetonius, Eusebius. Item dum recitat orationem, quam ait ab Apollonio conscriptam; & ex nugis, ac stylo manifestum est Criticis omnibus, fœtum esse ipsius Philostrati genuinum. Rursus dum fatetur plura à se de Apollonio narrari ex incerto rumore, neque reperiri veridicum testem, cum & Damis ad Nervam magistri jussu profectus sit, ne ullus eum morientem videret. Sed concedamus liberaliter omnia. Nullum Apollonii factum est, quod superet virtutem dæmonum. Romæ enim raptus à Domitiano, Ephesi quæ Romæ contigerant edoctus fuit à malo Genio. Duo tantum mirabiliora videntur: resurrectio cujusdam puellæ; idque Philostratus ipse in dubium revocat, asserens quod forte vitalis auræ scintilla intra puellam compessa medicos delituerit. Assumptio in cœlum in templo Dictynnæ; & hanc fabellam plura momenta confutant: unum, quod alii narrant Apollonium mortuum Ephesi, alii in Lindo, alii in Creta, ut fatetur ipse Philostratus: alterum, quod scribat Apollonium à sacerdotibus Dianæ conjectum in vincula, nec potuisse canes arcere qui templi custodiebant fores, nisi objecta illis ossa: tertium, quod sine ullo auctore,

ac teste hæc omnia Philostratus fabulatur. Quid plura? Neque illud mirandum est, Dæmones una cum corpore malefici spiritum asportâsse.

6. De Æsculapio. Veniamus ad Æsculapium. I. Videant idololatræ, qualis iste sit Deus, quem de cœlo à Junone percussum fulmine narrant Polyanthus Cyrenæus in libro de Ortu Æsculapii, Sextus Empiricus in I. adversus Mathem. cap. XII. Telesarchus, Chalcedonius, qui Clementi Alex. VI. strom. vocatur Melesagoras; unde sanator Glauci, filiarumque Proeti non potuit salvare seipsum. II. Æsculapii curationes suspectas ostendit, & comico sale conspergit Aristophanes in Pluto, quoniam Sacerdotes noctu cum puellis ægros circuibant, idoli, divarumque speciem simulantes. Postremo: nunquam Æsculapius verbo & imperio quemquam sanâsse legitur, sed tantum potionibus, succisque herbarum ac graminum: nec non quamplurimi ejus medicamine ebibito sese pernicioſius habuerunt. Vide in I. contra gentes Arnobium.

7. De Vestalibus. Jam ad Vestales. Corrupta Sylvia apparuisse in Vestæ idolo præfatum ostentum scribit quidem in II. Fastorum Ovidius, sed in VI. ait:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

Nulla erat ergo in templis effigies Vestæ, licèt in antiquis numismatibus plures conspiciantur, non solum mulieris sedentis, ut scribit Plinius; sed etiam stantis; ut in nummo Vespasiani apud Lipsium cap. III. In nummis tamen Faustinæ, & Q. Æmilii sunt Vestæ inscriptiones absque effigie. De Æmilia & Tucia resp. Augustinus lib. XXII. de civitate Dei cap. XI. quæ ab his gesta sunt non excedere naturalem Dæmonum facultatem: alii Theologi affirmant, non repugnare quin vera miracula in veritatis testimonium, atque innocentiæ patrocinium etiam à paganis efficiantur. Augustini de Vestalibus judicium firmissimum est: nam in Tucia Dæmonis apparet calliditas, qua ipse falsam de Virgine suspicionem Romanorum animis insinuavit, ut confirmandi idololatriæ cultum per cribri aquam præberetur occasio. Dionysius enim eodem loco scribit, accusatorem Tuciæ post hac multum diuque conquisitum nec vivum usquam comparuisse, nec mortuum. Demum ne Vestæ patrocinio tribuamus Tuciæ, Æmiliæ, Claudiæ, aliarumque salutem, faciunt consimilia Vestalium exempla. Aquiliam namque Severam, repudiata Paula quod maculam haberet in corpore, contra jus, fasque uxorem duxit Avitus, tenuitque cum probro atque dedecore, nec Vesta illatum Virgini suæ stuprum vindicavit, ut narrat Jo. Xiphilinus in vita Sardanapali. E contra Ant. Caracalla Vestales quatuor occidit: ex quibus una, quam vitiare non poterat, (obstiterat enim Virgo,) non opitulante Dea viva sepulta est, exclamans scire ipsum Antoninum se virginem esse. Ergo Vesta ignis sui custodes neque incontaminatas in extremo periculo liberavit, neque à furentium libidine reddere potuit immunes.

8. De Hadriano & Vespasiano. De Hadriano, ac Vespasiano affirmant uno ore Theologi, esse per simulationem facta, quæ nobis sexto loco opponebantur; idque non gratis, sed auctore Tacito, qui refert curatos à Vespasiano non fuisse humana arte insanabiles, neque cæco, cui visum restituit, exesam prorsus vim luminis: auctore quoque Spartiano, qui affirmat, Hadriani miracula à Mario Maximo irrideri tanquam simulationes ad levandam Imperatoris stultitiam adhibitas. Nam Antoninus Pius, ut Hadrianum volentem se occidere in spem induceret recuperandæ salutis, ei febrienti Pannonium tanquam veterem cæcum præsentavit, ut apparenter illuminatus oppressum desperatione virum levaret. Lege Salmasium Hist. Augustæ in Spartiano. Hæc communiter Theologi: quibus perpauca addam. Quantum attinet ad Hadrianum, tametsi eum febris reliquit, quod passim in debilitatis corpore contingit, invaluit tamen ejus morbus, eodemque anno a. d. VI. Idus Julias obiit apud Bajas. Vespasianum vero inquit Tacitus Alexandriæ sanâsse quemdam oculorum tabe notum, aliumque ægrum manu, *Monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit*; Suetonius scribit, hunc non manu ægrum fuisse, sed *debilem crure*. Ergo neque de re gesta consentiunt, neque negant interfuisse Sacerdotum Serapidis subornationem. Ero denique liberalissimus, & Vespasiano datam miraculorum virtutem fatebor. Illum ad principatum signis, & ostentis ab aliquo numine divinitus excitatum scribunt Tacitus in I. & IV. Historiarum, Suetonius cap. 7. Josephus in III. de Bello Judaico cap. 27. Præordinaverat enim illum Deus Christianorum contra pervicaces Hebræos ministrum justitiæ suæ: ab eoque dirutum est Jerosolymitanum tem-

templum, eversa civitas, dispersi per orbem judæi. Ergo præmovente eodem Deo Christianorum mira operabatur Vespasianus: nec male Grotius in IV. Relig. Christ. cap. VIII. *Si verum est per Vespasianum cæco visum redditum, factum id est, ut is hac re venerabilior Imperium Romanum faciliùs adipisceretur; lectus quippe Deo judiciorum ipsius in Judæos minister.*

9. Objectio 3. Opp. 3. Argumenta à ratione petita ex æquo militant contra Polytheismum, & contra Trinitatis mysterium: Ergo vel inde unitas Dei non probatur, vel evertitur Divinarum Personarum pluralitas. Probatur ant. I. Si tenet argumentatio ista, Deus est summè perfectus, ergo est unus, debet valere & hæc: Persona Divina est infinite perfecta: Ergo in Deo una tantum persona est. Rursus si recte arguitur; Unus Deus differre non potest ab alio neque substantialiter, neque accidentaliter: ergo nullo modo; fas erit ita ratiocinari: una persona neque accidentaliter, neque substantialiter potest differre ab alia: Ergo nulla prorsus ratione. Item si bona est consecutio: Poterat unus Deus esse auctor universorum: Ergo Dii plures superfluunt; habebit eandem vim hoc enthimema: sufficit ad omnia moderandum una persona, ergo frustra creduntur plures. Tandem irrupto limite unius personæ non idcirco constituuntur infinitæ: Ergo infiniti Dii non consurgent, tametsi detur multitudo Deorum.

Solutio. Resp. nego antecedens. Ad 1. probationem dico, tres Divinas Personas non esse plura summa, ac perfecta bona, sed unum duntaxat; unam scilicet substantiam undequaque infinitam: quomodo autem cum hac indivisibili substantia tres Divinæ Personæ consistant, dicam, quantum humana ratio potest percipere, in 1. libro de Trinitate cap. VI. Nam modo sat est, si respondeatur cum D. Bern. lib. V. de Considerat. cap. 1. *Nunc vero cum tres illæ Personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ Personæ, quis numerum neget? Nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? nam vere unum sunt.* Itaque nego consequentiam; quippe tres Personæ, quæ sunt una substantia, sunt etiam unum summum bonum: plures autem Dii, cum sint natura secreti, sunt plura bona, ideoque finita. Ad 2. dico, quod necesse est, ut plures Dii distinguantur ad invicem aut specie, quemadmodum equus distat ab homine, aut separatione ejusdem naturæ, prout Plato distinguitur à Socrate: utrumque vero importat Divinæ substantiæ limitationem. At Personæ neutro modo ad invicem distinguuntur, cum sint eadem numero atque indivisa substantia: sunt autem diversæ sola personalitate, *quæ*, ut ait Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. VIII. *quæ vox nec naturæ discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat.* Nego itaque consequentiam, ac paritatem. Ad tertium respondeo creare, regere, providere non esse attributa, quæ conveniant Personæ ratione Personæ, sed ei competunt ratione substantiæ, atque omnipotentiæ, auctoritatis, dominii, quæ sunt in singulis Divinis Personis penitus indistincta: unde nego suppositum consequentis, ac paritatem: cum diversi Dii diversa potentia sint præditi, eo quod separata natura separanrur quoque operationes ac munera; divinæ autem Personæ eadem pollent omnipotentia, cum non sit dividenda facultas & operatio, ubi non potest separari substantia. Ad ultimum pariter neganda est consequentia: etenim Dii gentium multiplicantur cum propagatione ac separatione substantiæ, neque idonea causa reddi potest, cur unus Deus alium generet, iste alium, & tamen cessent generationes Deorum, qui, eo ipso quod Dii, fœcundissimi debent esse. Verum Personæ originem habent, inter se absque ulla separatione naturæ, atque secernuntur invicem solis connotatis & relationibus: quæ nequeunt amplius multiplicari; quoniam si in Deo est una indivisa substantia, erit quoque una generatio, & unus Filius: erit una dilectio, & unus Amor, & si contra plures constituantur filii, plures erunt generationes, pluresque substantiæ, neutra autem illa Divina, quæ cum sit infinita, una est; ut hactenus demonstravi.

CAPUT VIII.

De iis, qui statuerunt duo summa Principia, bonum unum, alterum malum.

SUMMARIUM.

1. Quinam statuerint duo summa principia.
2. Opinio de duobus Diis bono ac malo unà cum idololatria à Cham cœpit disseminari.
3. 4. 5. Malum non est aliqua substantia, quam necesse sit ab efficiente summa causa produci.
6. 7. 8. Non dantur duæ summæ, ac principes causæ, quarum una sit cujusvis boni, altera malorum omnium effectrix.
9. 10. 11. Proponuntur, & solvuntur objectiones.

1. De duobus summis principiis, uno bono, altero malo.

INserunt huic libro recentiores Theologi Marcionitarum, & Manichæorum historiam, qui duo, ut dixi initio cap. v. constituerunt Principia. Marcion illorum Hæreticorum Magister, Helenoponticus fuit, patriamque habuit urbem Sinopen. Vitiata virgine, tametsi continentiam voverat, à patre Episcopo Ecclesia pulsus, Cerdonem Gnosticum hæresiarcham audivit, eundem secutus Romam; quo Cerdo advenerat Hygino vivente, ac proinde ante annum CXXVII. Marcion vero circa annum CXLI., vel, ut aliis videtur, CLV. Certum est errorem suum disseminâsse vertente II. sæculo, duosque statuisse Deos, *tanquam duas symplegadas naufragii sui*, ait lib. 1. cap. 2. Tertullianus. At nonnulli Marcionis discipuli, ut scribit Rhodon apud Eusebium Hist. Eccl. v. cap. 13., non duos, sed tres affirmârunt: unde factum est, ut ipsi Marcioni tria à quibusdam fuerint exprobrata principia, non solum ab Epiphanio Hæresi 42. atque à Theodoreto, & Cyrillo in locis, quæ eruditè expendit Natalis Alexander SÆC. II. Dissert. 2. art 2. verum etiam, quod prætermisit Alexander, à Dionysio Romano apud Athanasium libro de Decretis Synodi Nicenæ num. 26. Ab ea ergo quæstione, an Marcion duos tantum, an tres Deos agnoverit, cum facile veteres possint conciliari, arbitror esse abstinendum; atque sufficienter illam resolvi ab Augustino lib. de Hæresibus n. XXII., ubi ait: *Marcion quoque, à quo Marcionitæ appellati sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum; sed Eusebius Sinerum quemdam trium principiorum, atque naturarum scribit auctorem.* Non levis mihi suspicio est, *justum ac pravum* perperam fuisse distincta, cum per Marcionitas ac Cerdonianos essent unum; qui *bonum* dicebant tanquam Deum misericordem, *justum* vero appellabant pravum, quasi immitem ac ferum: unde falluntur, qui in Augustino pro *justo* censent legendum esse *injustum*. Merito igitur doctissimi Patres Benedictini productam nuper Augustinianam lectionem retinuerunt.

De Marcione.

Marcioni, quem martyr Polycarpus appellavit *Primogenitum diaboli*, adhæsit sæculo III. Cubricus Persa servili genere natus, quem anus quædam manumissum adoptavit, atque librorum Terbinthi, seu Buddæ, nec non bonorum omnium conscripsit hæredem. Is est Manes, quem sui Manichæum nominaverunt, *quasi Manna fundentem*. Manetis enim nomen, quod assumpserat Cubricus; eo quod apud Persas designet eloquentem virum, ac disputatorem egregium, commutârunt in Manichæum, ne hæresiarcha *furore percitus diceretur, quod significat Græce Manes*, à verbo μαίνομαι ex quo μανίας, *Stultitiæ* nomen. Is imperante Probo XXII. discipulos sibi adscivit, inter quos celebriores fuêre Thomas, Hermeas, & Adda. Dixi *imperante Probo* cum Augustino lib. XIII. contra Faustum cap. 10. quem sequitur Petavius in Adnot. ad Epiphanium, & Natalis Alexander in Synopsi Hist. Eccles. Sæculo III. art. IX. §. 1. Joannes Sianda in Lexico Polemico refert ortum hujus hæreseos ad ann. 277. nempe ad tempora Aureliani. Siandæ sententia vera est, & ab Eusebio atque Epiphanio traditur, eique subscribit Gerardus Vossius in Fragmento de Manichæis. Non tamen hi recedunt à sententia Augustini; quippe Manetis hæresis cœpit innotescere in Perside an. 277. sub Aureliano, & coalescere cœpit ac propagari sub Probo, qui tantum biennio post suscepit imperium, nempe anno Christi CCLXXIX. Hæc dicere malo, quàm cum Natali de anno exorti Manichæismi nutare: ita enim Historici antiquiores, qui aliàs non convenirent, facillime conciliantur. Maneti à Persârum rege cutis vivo detracta est arundinibus, in quibus superstitiosa religione

Ma-

Manichæi hac de causa cubabant. Alios Manetis errores, præter duo rerum principia, ad hunc referre locum instituti ratio non postulat. Scripsêre contra Marcionem Clemens Alexandr. lib. III. Strom. Irenæus lib. IV. adversus Hæres. cap. 14. Tertullianus integris libris quinque. Oppugnârunt vero Manichæos Titus Bostrensis, Epiphanius, Theodoretus, & alii; sed omnium luculentissime S. P. Augustinus pluribus contra eos Operibus editis: hunc autem errorem in libro præsertim de natura boni, & XXI. contra Faustum. Hæc est brevissima Marcionitarum ac Manichæorum historia, quorum error manavit à falsa opinione, quod malum substantia esset atque natura, non boni deficientia. In his videntur omnes consentire; sed non à Manete, non à Marcione, non à Cerdone, aut Valentino exortus est error iste, ut communiter traditur. Antiquiorem habuit originem, qua patefacta perversum dogma oppugnabo.

2. Propositio I. Propositio I. Opinio de duobus Diis bono, ac malo una cum idololatria à posteris Cham cœpit disseminari.

Explicatio, ac probatio. Explicatur simul propositio, ac probatur. Vetustissimam apud Ægyptios idololatriam colligimus, ex dictis cap. V. Prob. III. quod Isidem, & Osiridem reges suos principes Deos habuerunt; primos autem Ægyptiorum Reges ad tempora filiorum Misraim, qui & Ægyptus, esse referendos satis constat. Atqui in Iside, & Osiride Ægyptii duo contraria principia venerabantur, scribente Plutarcho in Iside, & Osiride existimâsse priscos Ægyptios, *non unam esse rationem, quæ universa contineat, & dirigat, sed cum multa è bonis juxta malisque sint confusa, imo nihil natura hæc sincerum proferat, non esse unum aliquem promum, qui è duobus doliis res nobis, veluti aliquem liquorem, distribuat, ac misceat; sed à duobus principiis contrariis, adversisque duabus facultatibus, quarum altera ad dexteram, altera retrorsum avertatur, atque reflectat, cum vitam esse mixtam, tum ipsum mundum circumferri, variisque, & omnis generis motibus agitari.* Igitur apud Ægyptios una cum Polytheismo error Marcionitarum invaluit. Hinc ad Chaldæos & Persas propagatum. Magi enim Persarum, quorum princeps est Zoroaster, quem Ammianus Marcellinus lib. XXXIII. asserit vixisse sæculis priscis, ac longe ante Cyrum, scriptor autem Recognitionum, aut si Clemens Alex. aut quisvis alius, lib. IV. putat eumdem esse cum Misraim filio Cham, neque ipse Huetius saltem Moyse facit posteriorem: Magi, inquam, seu Persæ ab initio agnoverunt Deum Oromasdem causam boni, & Arimanium causam mali, auctore eodem Plutarcho cit. loco, nec non Aristotele, Hermippo, ac Laërtio. Propagatus ergo est unà cum idololatria error Manichæorum. Transiit præterea Polytheismus ad Græcos, inter quos emergentibus Philosophorum sectis floruerunt Platonici & Stoici, ac inter hos Democritus primum & Chrysippus. Qui & fati necessitatem, & incompositam materiam adversariam, reluctantem naturæ beneficæ agnoverunt, ut colligitur ex Platone in lib. de legibus. Hauserunt ergo hi à Chaldæis duorum principiorum perversum dogma. A Stoicis exorti Gnostici; quorum princeps fuit Simon Magus primus omnium hæreticorum, ut ait lib. 2. contra adverss. legis ac Prophet. magnus August. quamquam Epiphanius Gnosticorum originem arcessit Hæresi XXVI. à Nicolaitis. Simon anno à Christo passo VI. cœpit hæresin spargere: discipulum habuit Menandrum, Menander Basilidem, quem Eusebius in Chron. ad annum Ch. 134. Gnosticorum fecit auctorem, Basilides Cerdonem, de quo Tertullianus de Præscription. cap. II., *Accedit his Cerdon quidam. Hic introducit initia duo, id est duos Deos, unum bonum, & alterum sævum: bonum superiorem; sævum mundi creatorem.* Cerdonis, ut diximus, auditor fuit Marcion; quem proinde idem Tertullianus lib. V. cap. penult. Stoicum jure dicit, collocantem *cum Deo creatore materiam de porticu Stoicorum.* Ea propter Marcionitæ cum Stoicis fati necessitatem adstruxerunt, liberumque negaverunt arbitrium ad peccandum, existimantes quodcunque malum necessitate quadam à principio malo pendere. Itaque talis est, ut arbitror, hujus insaniæ origo, ac progressus: Esse Deum bonum ac Deum malum Manichæi acceperunt à Marcionitis, Marcionitæ à Gnosticis, Gnostici à Stoicis, Stoici à Chaldæis & Persis, Persæ ab Ægyptiis, Ægyptii autem à filiis Cham, à quibus omnis idololatria. Si quis vero contendat cum Natali Alexandro Dissert. XIV. Sæc. II. Art. I. Deum Marcionis fuisse ante Christum penitus inauditum, eo quod Tertullianus lib. I. cap. VIII. novum appellat; sequatur, si placet, virum doctissimum. Ego Tertulliani argumentum probando dicam, Marcionis Deum

Deum fictitium esse, quia novus: sed novus, quia illum novitas aliquando produxit cum primum consecravit, ut de Saturno ait ibidem Tertullianus. At novum esse, & post passionem Christi confictum non tanta facilitate affirmaverim.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Malum non est aliqua substantia, quam necesse sit ab efficiente summa causa produci.

Probatur 1. Id asserunt omnes Ecclesiæ PP. omnesque Theologi, inter quos distincte hanc propositionem propugnant D. Thomas Quæst. XLVIII. art. 1. noster Ægidius in 2. Sent. dist. 1. Sylvius in præcitatam D. Thomæ Quæstionem, Thomassinus lib. 2. Theol. dogmat. cap. x. & xi. & alii, quos memorare non vacat. Ac 1. probatur ex sacris literis. Quidquid à prima causa productum est, bonum est, siquidem Gen. 1. legitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & in priori ad Timoth. cap. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ergo malum non est à prima causa productum.

4. Probatur 2. Deinde probatur Sanctorum PP. auctoritate: ait namque scriptor de Divinis Nom. cap. 4. *Privatio est malum.* Ath. in Orat. contra gentes: *Necessum est veritatem Ecclesiastici dogmatis explendescere: nullum malum nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse: neque ullam esse ejus substantiam.* Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 7. *Quid est aliud quod malum dicitur, quàm privatio boni?* Damascenus lib. 2. de Fide cap. 4. *Neque aliud quidquam est malum, quàm boni privatio.* Augustinus lib. XI. de civit. Dei cap. 22. *Omnino natura nulla est malum, nomenque hoc non est nisi privationis boni.* Plura habet consimilia Augustinus in lib. de Nat. boni, in lib. 1. conta Adv. legis, in VII. Confess. cap. XII. in III. de lib. arbitrio cap. 13. &c. Ludovicus Thomas. demonstrat, eamdem fuisse veterum Philosophorum sententiam, quod de omnibus propter ea, quæ dixi in præced. Propositione, non ausim proferre.

5. Probatur 3. Probatur tandem traditis ab Augustino rationibus. Primo quidem; nam substantia mali aut incorruptibilis est, aut corruptibilis: si incorruptibilis, est summe bona: si autem corruptibilis, corrumpi ac vitiari non posset, nisi bona esset. Ergo substantia mali nulla est. Ita S. P. lib. VII. Confess. cap. nuper laudato. Ulterius: Quælibet natura, in quantum est, bona est, quippe bonum est existere & esse; malum ergo non est natura aliqua, sed naturæ defectus. Ita in lib. de Nat. boni cap. 3. Præterea: malum vel extra naturas rationales reperitur, quale est elementorum pugna, animantium interitus, temporum fluxus, exitium ac solutio corporum; vel situm est in naturis ratione præditis, ac liberis, cujusmodi est peccatum angelorum, hominum lapsus, mentis ignorantia, anxietas cordis, voluntatis flexibilitas: Neque illud, neque istud malum aliud est quàm bonitatis privatio; Ergo nullum malum substantia sive natura dicendum est. Minor probatur, & primo de malo existente extra liberas creaturas: Deus bonus debuit constituere bona creata mutabilia, ut possint fluere, decedere, interire, ac sese à summa bonitate deflectere; si enim creaturæ immutabiles omnino forent, essent bonum incommutabile, & Deus ipse: Igitur quod creaturæ defluant, pereant, pugnent invicem, non est quædam proprietas substantiæ malæ, sed deflexio naturæ bonæ, deficientis ab ea incommutabili bonitate, à qua producta est flexibilis, & mutabilis. Vide Augustinum lib. XII. de civit. Dei cap. 4. Probatur quoque de malo, quo creatura rationalis liberè afficitur: Rectissime Deus condidit cum angelum, tum hominem ea libertate, ut, si nollent, mali esse non possent, libere auctorem suum diligendo, & libere præceptis ejus obtemperando: si vellent, miserrimi fierent libere peccando, & libere mutabili bono adhærendo, proposito præmio ut liberaliter Deo servirent, indicto supplicio ut humiliter Deum timerent: Ergo malum culpæ, in quam labitur creatura rationalis & libera, non est natura ac substantia per se mala, sed deficientia ipsius creaturæ ab illa sempiterna bonitate, à qua libera producta est. Videsis Augustinum lib. III. de lib. arbitrio cap. 11. lib. 5. Operis ultimi contra Julianum n. 60. & lib. XII. de civit. Dei cap. 9. & 10. &c.

6. Propositio 3. PROPOSITIO III. Non dantur duæ summæ ac principes causæ, quarum una sit cujusque boni, altera malorum omnium effectrix.

Probatur. 1. Consequitur propositio ista ex præmissis, eam vero totis nervis propugnant omnes Patres, omnes Scholastici, omnes Dogmatistæ: sed ex Patribus præcipue Tertullianus contra Marcionem, & Augustinus contra Manichæos; ex Scholasticis D. Thomas 49. art. III. & noster Argentina lib. 1. Sent. dist. 2. quæst. 1. Concl. IV., ex Dogmatistis Petavius lib. 1. cap. 3. Thomassinus lib. 2. cap. IX. X. XI. & XII. Natalis Alexan-

Alexander in historiam Ecclesiasticam SÆC. II. dissert. 2. artic. 2. Non male etiam aliqui, tametsi falsæ religionis, ut Grotius lib. 1. de Verit. Relig. Christ., Vossius in priori de Idololatriæ origine, & Clericus in Hist. Eccles. ad annum CXLI. n. VII. & seq. Hanc propositionem confirmant omnia momenta Capitis sexti: Marcionitarum vero Manetæorumque fundamentum subvertit assertio præcedens. Addo tamen proximas argumentationes. Principium summe malum aut vivit, & intelligit, aut non: si neque vivit, neque intelligit, fatentibus Manichæis, operari non potest: neque universa mala producere: si est atque intelligit, nequit esse principium summe malum, quandoquidem in eo reperitur aliquod bonum, existentia scilicet, vita, & vis intelligentiæ: Principium ergo summe malum fictitium est ac repugnans. *Ita errantes Manichæi, ita delirantes, imo vero ita insanientes, ut non videant in eo, quod dicunt naturam summi mali, ponere se tanta bona, ubi ponunt vitam, potentiam, salutem, memoriam, intellectum, temperiem, virtutem, copiam, sensum, lumen, suavitatem, mensuram, numerum, pacem, modum, speciem, ordinem. Principes enim tenebrarum & vixisse in sua natura dicunt, & in suo regno salvos fuisse, & meminisse, & intellexisse, &c.* S. P. A. de nat. boni cap. 41.

7. Probatur 2. Præterea ita argumentamur. Illi duo Marcionitarum Dii aut æquam vim ac potestatem habebunt, aut unus erit præstantior altero: Si æqua sit amborum potestas, Deus bonus nihil operabitur renitente malo, Deus malus nihil efficiet contradicente bono. Nullum ergo extabit unquam aut bonum aut malum. Si autem unus præcellat alterum, non erunt ergo hi Dii pares potestate ac virtute, neque ambo summi, ut Marcionitæ contendunt. Si reponant Deum bonum aliquando permittere, ut operetur malus, ac vicissim; occurrit illico vulgatissimum illud dilemma: Aut Deus bonus potest arcere mala opera Dei mali, aut non potest: Si non potest, erit impos, & imbecillis, non summe potens: Si potest, neque malum impedit, erit malignus: *Quid enim tam malignum, quàm nolle prodesse cum possis?* inquit Tertullianus lib. 2. adverf. Marcionem cap. 22. Et si instent valere hoc dilemma etiam contra Unum Deum, quem nos profitemur summe bonum; in promptu est responsio, quoniam Deus noster, quamquam summe bonus, non debet avertere mala. I. Quia non tenetur condere rationalem creaturam impeccabilem; quin cum sit bonus, delectari debet libera obedientia, quam præmio possit compensare. II. Quia cum sit misericors rationabiliter permittit mala, quorum duntaxat occasione misericordiam exercet. III. Quia si Deus est summe bonus, est etiam justus, & ad justitiam pertinet punire peccata, quæ si non essent, hominibus justitia non innotesceret. IV. Denique quia mala non habent causam efficientem, sed deficientem, ideoque non in Deum refundi debent si ea permittat, sed in solam rationalis creaturæ libertatem. Quæ omnia affirmare nequeunt Marcionitæ, qui arbitrantur, malum à Deo malo contra mentem ac dispositionem Dei boni efficienter produci, & idcirco hunc Deum bonum, aut impotentem existimant, aut malignum.

8. Probatur 3. Ultimo probatur propositio: Hæc duo principia omnino contraria aut separantur invicem, aut simul existunt. Non consistunt simul, neque unum in altero, quia summi boni, & summi mali natura dissimilis est, & insociabilis, atque sese mutuo extinguendi vim habent. Ergo disjuncta sunt ac separata, atque unum quiddam tertium erit, quod illa dirimat. Est ergo inter Deum bonum, & Deum malum principium tertium dividens unum ab alio. Atque hoc tertium principium aut bonum erit, aut malum, utriusque enim naturæ simul esse nequit. Si bonum, quonam pacto segregatum erit à malo? Si malum, quomodo disjunctum erit à bono? Recurrendum erit ad aliud principium tertium: & sic in infinitum. Existit ergo una summa causa, à qua efficiuntur omnia bona, & à qua permittuntur omnia mala; quæ propterea mala sunt, quod ab illius summæ causæ bonitate deflectunt. Argumenta, quæ contra Marcionitas, & Manichæos probant veterem quoque legem esse à Deo bono, erunt, ubi de hac lege disputabitur, proferenda.

OBJECTA SOLVUNTUR.

9. Objectio 1. Non erit operosum Manichæorum diluere argumentationes. Quarum prima ita ex sacris literis proponi potest. Is. 45. v. 7. legitur: *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus.* Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* II. ad Corint 4. v. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Joan. XII. v. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Est ergo Deus malus creator tenebrarum ac mortis, princeps sæculi, & auctor spiritualis cæcitatis.

Solutio. Resp. Isaiam, & Amosum loqui de malo pœnæ, suppliciis nempe, quæ à Deo justo peccatoribus immittuntur. *Malum hoc loco non peccatorum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum; unum quod homo facit, alterum quod homo patitur*, ait S. P. lib. contra Adimantum Manichæum cap. 26. Revera Esaias Medorum, Lydiorum, ac Babyloniorum eversionem, & Amos justas animadversiones in Judæorum iniquitatem prænunciant. Retorqueri etiam potest Esaiæ textus; si enim idem Dominus format lucem, & creat tenebras, facit pacem & creat malum: non differt creator lucis, & auctor pacis ab illo Deo, qui permittit malum, & dividit tenebras. Locum Apostoli explicat Chrysostomus dicens: *Quomodo excæcavit? numquid efficacia sua ad hoc impellens? absit. Sed permittens.* Respondent Tertullianus, Cyrillus, & S. P. lib. 21. contra Faustum cap. 9. Deum hujus sæculi posse hoc loco commode intelligi ipsum diabolum. Recte quidem; nam ita verba Apostoli consonant cum iis, quæ habet Joannes, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Itaque diabolus dicitur Deus, quomodo ad Philipp. III. 19. *Venter*, qui Dei vice colitur: atque videtur mihi Apostolus sese explicare in Epist. ad Ephes. cap. 11. v. 2. ubi deditos olim vitiis ac magicis artibus sic alloquitur: *In quibus aliquando ambulâstis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ*: Joannis vero XII. asserebat Christus ejiciendum hunc principem, id est, expellendam à mundo idololatriam, & magnam illam Deorum turbam, cui addicta erat gentilitas; tum septem illos dæmonas, quos memorante Origene Celsus appellabat ἑπτὰ ἄρχοντας, *septem principes*: hunc denique ipsum Manichæorum malum Deum dictum Psello ἄρχων τῶν ἐπιγείων, *principem terrestrium.* Quibus expositis, dist. consequens. Est aliquis Deus princeps sæculi, & creator malorum, malorum pœnæ, concedo: malorum culpæ; subdistinguo, Deus ac princeps in existimatione idololatrarum, concedo: Deus ac princeps suamet natura, qui hæc mala permittat, esto; qui hæc mala efficiat, nego.

10. Urgetur. Urgebis: Verus Deus, qui sit bonus, non potuit hominem constituere labilem, neque mala culpa, id est, peccata permittere: ergo hæc & efficiuntur & permittuntur à Deo malo.

Solvitur. Resp. nego ant. Sapientissime enim Deus condidit creaturam rationalem cum libertate, ut ostendi Prop. II. argument. ultimo, & in hac III. prob. 2. Hinc enim in laudem creatoris sui & bona necessaria, & bona libera apparuerunt: hinc innotuit rationalis creaturæ conditio: hinc manifestata est rectitudo justitiæ: hinc infinita misericordia perditum hominem redimendi occasionem arripuit. Neque ipse Deus impulit Adam ad peccandum; neque præcepit Evæ, ut assentiretur serpenti; neque condidit hominem ut perderet creaturam suam: sed reliquit illum in manu consilii sui, quia bonus est, nec libertatem interimit: permisit tentationem & lapsum, quia bonus est, & novit de malis bona facere, atque de tenebris lucem splendentem; præscius erat, neque culpam Angelorum, hominumque impedivit, quia bonus est, & servat imperturbabili voluntate justitiam simul ac pacem.

II. Objectio 2. Opp. 2. Existit summum bonum: ergo & summum malum. Probatur consequentia: Sunt in rebus creatis quæ bonitatem participant, & quæ malitiam: Quæ participant bonitatem demonstrant extare aliquod summum bonum: Ergo quæ malitiam participant ostendunt existere aliquod summum malum. Et confirmatur I. Ubicunque datur magis, ac minus, datur quoque summum ac plenissimum esse: Datur magis, minusve malum: Ergo datur malum summum, plenissimumque. Corroboratur II. Unum contrarium infert necessario existentiam alterius, cui adversatur: Summum bonum ac summum malum contraria sunt invicem: Ergo summum bonum infert summi, atque infiniti mali existentiam.

Solutio. Resp. nego conseq. Etenim summum malum, ut supra demonstratum est, cum in idea sui cujusque perfectionis importet deficientiam, nullatenus potest subsistere; & consequenter substantia undequaque mala repugnat, & nihil est. Ad prob. nego paritatem; quando quidem bonum dicitur per aliquam participationem bonitatis, quæ res est, & aliquid; dicuntur enim bonum, res aliquid ad convertentiam, malum vero appellatur ob participationem malitiæ, quæ non est substantia aut res aliqua, sed privatio ac defectus, ut constat ex Prop. II. Quapropter bonum infert existentiam causæ efficientis; malum vero causam deficientem tantummodo: *Nemo ergo quærat efficientem causam mali, non enim est efficiens, sed deficiens*: ait lib. XII. de civit. Dei cap. VII. D. P. Augustinus. Ad primam confirmat. dist. majorem: Si illud sit aliquid positivum,

co.

ce: si privatio ac defectus, nego; nam Deus optimus maximus est summum bonum, cujus majori aut minori participatione res creatæ efficiuntur magis aut minus bonæ, cujus majori, vel minori privatione evadunt magis, vel minus malæ. *Satis est* (inquit S. P. lib. 2. de Mor. Manich. cap. 7.) *Satis est, ut videatis, nullum esse de bono, & malo religiosæ disputationis exitum, nisi quidquid est, in quantum est, ex Deo sit: in quantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo, &c.* Ad ultimum dist. ma. Si opponantur contrarie, concedo: si privative, nego. Et quoniam ex dictis responsio redditur manifesta, huic dissertationi finem præscribo verbis ejusdem Augustini ita Deum adloquentis in VII. Confess. cap. XII. *Itaque vidi, & manifestatum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ substantiæ sunt, quas tu non fecisti.*

CAPUT IX.

Quid constituat Essentiam Dei, & quo potissimum exprimi possit vocabulo.

SUMMARIUM.

1. Dei natura physicè, & metaphysicè spectari potest.
2. Naturam Dei metaphysicam constituunt aliqui in infinitate.
3. 4. 5. Dei natura constituitur metaphysicè per esse à se.
6. 7. 8. 9. 10 11. 12. Afferuntur, & solvuntur objectiones.
13. Quo vocabulo magis proprio, ac idoneo explicari possit divina essentia?

1. Physicè, & metaphysicè spectari potest Dei Natura.

DIVINAM NATURAM, si physicè spectetur, omnium perfectionum esse cumulum, vel potius rem unam summam ac perfectissimam, & summi boni notitia, & communi consensione probatur. De ipsa igitur, prout concipitur metaphysicè, videlicet de re, quæ in Deo primùm ab humana mente percipitur, atque intellectione nostra est divinarum proprietatum fons & origo, distincta quidem ratione nostra, nedum à rebus creatis, ab attributis quoque divinis, & relationibus, perfectissima tamen, ac Deo digna: de ipsa, inquam, natura nonnulla juxta scholarum consuetudinem occurrunt definienda. Quæ statim ac proponuntur, ingerunt animo quantum infirmitati nostræ sit indulgendum, dum undequaque maximam perfectissimamque naturam in has coarctamus angustias: & quàm recte nos S. Pater commonefaciat, dum in Psalmum LXXXV. num 12. ait: *Intendat caritas vestra, Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit.*

2. Aliqui constituunt Dei naturam in infinitate.

Hanc Dei naturam sic acceptam Scotistæ aliqui in infinitate constituunt, eorumque sententiæ ex nostris adhærent Toletanus, & Argentina. Collocant alii cum Suaresio, Okamo, pluribusque Scotistis in omnium attributorum aggregatione. Longè plurimi, præsertim Ægidiani ac Thomistæ, ut Gonet, Joannes à S. Thoma, Salmanticenses, Gavardi, Gibbon, aliique eam statuunt in actuali intellectione. Quidam reponunt in spirituali substantia, quæ sit facultas intelligendi, ut noster Fulgentius Tolosanus, & Godoy. Multi denique, quibus subscribo, constituendam putant in *Esse à se*: & hanc sententiam recentiores Theologi communiter amplectuntur, Nicolaus L'Hermenier, Habert, Du-Hamel, Boucat, Juenin, Tournely, Petavius quoque lib. 1. Theol. dogmat. cap. VI. Atque eam pertractant brevi, & clara methodo Honoratus Fabri, Bancel, Gotti, Arpe part. 1. quæst. XIII., De Comitibus.

3. Propositio 1. Probatur ex S Scriptura

PROPOSITIO I. Constituitur metaphysicè Dei natura per esse à se.

Ex sacris literis, Patribus, ac ratione brevissime id ostenditur. Exodi III. v. 14. Deus interroganti Moysi quis esset, respondit: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos.* Job. cap. 23. v. 14. *Ipse solus est.* Apocalyps. 1. v. 4. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Præcipuum ergo Dei nomen est illud, quod significat perpetuo ac immutabiliter esse; neque aliud est prius ac præstantius, quo Divina explicari possit essentia.

4. Probatur ex SS. Patribus.

Consentiunt Patres. Hilarius lib 1. de Trinit. *Non enim* (inquit) *aliud prius magis Deo, quam* Esse *intelligitur.* Hieronymus in Epist. ad Damasum. *Una est, & sola natura, quæ vere est. Id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est.* Gregorius Nazianzenus Orat. VII. Ὁ μὲν ὢν, καὶ ὁ Θεὸς μᾶλλον πῶς τῆς οὐσίας ὀνόματα: *Ens, & Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt.* S. P. Augustinus in Psalmum 134. num. 4. *Ego sum, qui sum, qui est misit me ad eos. Non dixit, Dominus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset, & dici Deus:*

Deus: *ipsum* Esse *se vocari respondit*: *& tanquam hoc esset Dei nomen, hoc dices eis, inquit*: *Qui est misit me. Ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sint.* Si plura SS. PP. testimonia expetas, vide loco citato Petavium.

5. Probatur ratione.

Probatur ultimo ratione, ac simul propositio explicatur. Quod metaphysice essentiam constituit illud est, quod primo in re aliqua percipitur: id vero competit *enti à se*; dicente Dionysio de Divinis nominibus: *Est ipsum per se esse antiquius quam ipsissimam esse vitam, & ipsissimam esse sapientiam, & ipsissimam esse similitudinem Divinam, & cætera quæ sic esse participant, ut ante omnia ipsum esse participent. Imo vero illa per se omnia, quæ entia participant, ipsum per se esse participant, neque ullum est ens, cujus non sit essentia, & duratio ipsum esse.* Et revera quid potest prius excogitari, quam *Esse*? Deinde requiritur, quod essentiæ Divinæ constitutivum perfectissimæ substantiæ ideam exhibeat: quod competere *enti à se* ita demonstrat Bernardus lib. 1. de Consolat. cap. 6. *Quis est? non sane occurrit melius, quam qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit dicente Moyse ad populum ipso quidem injungente, qui est misit me ad vos. Merito quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si centum & talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti. Si non dixeris, nihil minuisti, &c.* Præterea necesse est, ut essentia rem à qualibet alia secernat. At *esse à se* primo distinguit Deum à creaturis, quæ mutabiliter sunt: *Quod autem vocatur, & non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est; semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur.* Ait August. Tract. 4. in cap. III. Epist. 1. Joannis. II. Distinguit, ratione tamen, Dei naturam à Divinis Personis, ac proprietatibus, quæ ab *esse* concipiuntur promanare, eique advenire; *In hoc enim primo statim incubitu mens intendit, ac primo cogitat ipsum esse, deinde sic quodammodo esse ista considerat.* Inquit Maximus martyr apud Petav. loc. cit. n. VIII.

Hinc vero probatur assertum, aliorumque rejiciuntur sententiæ. Infinitas, sapientia, & quæcumque perfectio consequitur ratione nostra ad *esse à se*, istud vero perfectissimam naturam, omniumque Divinarum perfectionum fontem significat atque originem: Essentia metaphysice inspecta id est, quod primo percipitur, & unde cætera intelliguntur profluere: Ergo Essentia Dei metaphysice spectata in *esse à se* videtur constituenda.

6. Oppositio 1.

Opp. 1. cum nostro La-Fosse: Superior sententia in eo deprehenditur minus vera, quod Deum definiat per genus remotissimum, non autem proximum; sicut peccaret, qui definiret hominem per ens rationale, non autem per animal rationale. Ergo Divina essentia per substantiam spiritualem à se, non præcise per *esse à se* metaphysice constituitur.

Solutio.

Resp. nego antecedens. Ratio enim *entis à se* ac per essentiam non est Deo remota, sed proxima ac purissima, nam in Deo concipere nequaquam possumus *esse à se* absque substantia, ac tota plenitudine essendi: quippe quod est à se, est per se, est in se, est ipsa essentia, ipsa existentia, ipsa substantia. Hanc ego entis à se ideam habeo. Profecto qui definiret hominem *ens rationale*, illum non distingueret ab Angelo, ideoque opus est, utatur genere magis limitato, & coarctato. At Deus per hoc, quod *sit à se*, ab omni re distinguitur, quæ non est Deus. Nolumus tamen de nomine pertinaciter pugnare: *Nam & ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine abeo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque* substantiam *etiam nominamus: ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia, & substantia naturam vocabant.* S. P. August lib. 2. de Morib. Manichæorum cap. 2. quo magistro *essentiam* ac *substantiam* indiscriminatim accepimus. Quod si aliqui concipiant *esse* veluti supremum genus, ac substantiam præcedens; liceat per me quidem in illo *ente* essentiam collocare, substantiam vero ita apprehendere, quasi sit perfectio adveniens, non constitutivum essentiæ. Ita videtur loqui Epiphanius Hæresi 69. Οὐσία οὖν ἐστι ἐχὶ περιουσία, ἀλλὰ αὐτὸ τοῦτο ὄν. ὡς φησί Μοῦσης. ὁ ὢν ἀπέσταλκε με, εἰπὼν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. ὁ ὢν οὖν ἐστὶ τὸ ὂν ἡ οὐσία τυγχάνει *Usia est, non periusia Sed illud idem quod est, ut ait Moyses: Qui est misit me. Dic filiis Israël. Qui est igitur, est ens. Ens autem ipsa est* ESSENTIA, *quæ est.*

7. Oppositio 2.

Opp. 2. Infinitas Deum à creaturis distinguit: Ergo infinitas Divinam constituit essentiam.

Solutio.

Resp. dist. ant. Infinitas distinguit Deum à creaturis primario, ut rationalitas distinguit à brutis hominem, nego: secundario, ut à brutis distinguit hominem risibilitas, concedo. Infinitas concipitur ratione nostra tanquam modus aut proprietas essentiæ à se subsistentis, quemadmodum & finitas intelligitur vel, uti modus *essendi* ab alio, ideoque neque

que illa Dei, neque ista creaturarum erit primum metaphysicum constitutivum. Adde infinitatem cum essentiæ, tum Divinis proprietatibus convenire, & fortasse præter essendi amplitudinem nihil positivum in idea infinitatis deprehendi: infinitum est enim, quod caret fine. Essentia vero nunquam in sola negatione constituitur.

8. Dicitur. Dices: Erit ergo constitutivum Divinæ naturæ illa infinitas, quæ in se omnem perfectionem complectitur, scilicet ens perfectissimum, de quo cap. 1. diximus esse incommutabilem essentiam, cujus regula judicamus de re quacunque finita: atque ita sita erit Divina essentia in cumulo perfectionum.

Solvitur. Resp. ita est; si de essentia secundum rem spectata oratio instituitur: at modò considerabamus omnes perfectiones Dei ad instar facultatum, ac proprietatum à suo principio emanantium. Enimvero primo intelligimus rem aliquam esse, deinde autem esse perfectam. Igitur sapientia, justitia, immensitas & quidquid de summo bono enunciatur, sunt quidem secundum rem idem Deus, at ratione nostra sunt veluti adventitia substantiæ: ac præterea hæc omnia jure ac merito infinita dicuntur, neque propriam exhibent notionem naturæ, sed quamdam rebus omnibus Divinis communem.

9. Instantia. Insurges: Non ergo erit constitutivum Divinæ essentiæ ipsum existere *à se*, quoniam ex æquo commune est essentiæ, atque attributis.

Solutio. Resp. nego propositionem; Attributa enim non sunt à se, omnimoda (ut Scholæ utar vocabulo) *asseitate;* & quamquam causam non habent proprie dictam, habent tamen late acceptam, naturam scilicet, à qua concipiuntur effluere. Ita dicendum est de Divinis Personis; quæ, si Patrem excipias, habent originem, neque sunt à se penitus. Ipsa vero paternitas naturam subsistentem supponit, ideoque essentiam jam constitutam.

10. Urgetur. Urgebis adhuc: Filius, & Spiritus Sanctus non sunt à se, ut dictum est modo: ergo si Divina natura constituitur per *esse à se;* neque Filius, neque Spiritus Sanctus est Deus.

Respondetur. Resp. dist. ant. Filius, & Spiritus Sanctus non sunt à se ratione personæ, quæ aut generatur, aut procedit, conc. ratione naturæ atque essentiæ, nego antecedens, & suppositum; quippe essentia neque generat, neque procedit; ut dicam alibi.

11. Oppositio 3. Opp. 3. Idea substantiæ intelligentis exprimit summum ac perfectissimum gradum vitæ: Ergo intellectio est ultimum Divinæ naturæ constitutivum.

Resp. dist. antecedens: idea substantiæ intelligentis exprimit perfectissimum vitæ genus, & vita ac intelligentia est illud primum, quod in Deo concipitur tanquam fons Divinarum perfectionum, nego: & est perfectio quædam ratione nostra à primo Divinæ naturæ constitutivo dimanans; concedo. Et quoniam istud præcipuum est plurium Thomistarum argumentum, peto, num velint essentialem naturæ Dei differentiam consistere in intelligendi vi ac facultate, an in ipsa intellectione actuali; non in actuali intellectione; tum quia hæc est aliqua operatio; omnis vero operatio principium habet ac supponit subsistentem naturam: tum quia Angelicus Doctor 1. parte q. 14. art. 1. demonstrat esse in Deo plenissimam ac summam intellectionem, eo quod in ipso est *ens à se* omni prorsus expers materia; & q. 18. art. 3. demonstrat esse in Deo perfectissimam vitam ex intellectione: quare, tametsi Divina essentia physice sit ipsa vita ipsumque summum *intelligere;* metaphysice tamen vita intellectionem, intellectio, naturam, videlicet *esse à se*, præsupponit. Ita contra Domesticos suos ratiocinatur Eminentissimus Gotti q. 111. dub. 111. part. 111. num. x111. Si vero constitui velint Divinam essentiam per vim atque facultatem intelligendi; primo omnis potentia & facultas ab essentia intelligitur proficisci; deinde potentia ejusmodi convenit quoque rationalibus creaturis, homini & Angelo: postremo non est radix omnium perfectionum Divinarum, nam quænam est ista consecutio, Deus intelligit; ergo est omnipotens, immensus, bonus, &c.? Contra vero hæc omnia ab *esse à se*, ut ait laudato loco Bernardus, dimanant. Quamobrem falluntur, qui affirmant intelligendi potentiam esse perfectiorem quemdam gradum ipsomet *esse à se;* cum potius intellectio Dei sit perfectissima, quoniam & ipsa est *à se*, in quo verbo omnia perficiuntur atque instaurantur.

Solutio.

Quæ cum ita sint, acerrimus ille propugnator doctrinæ Thomisticæ Joannes Baptista Gonetus disp. 2. art. 1. §. v. fatetur neque potentiam, neque actum intelligendi constitutivum esse naturæ Dei, quoniam illa nequaquam est actus purus cujusque potentialitatis expers; hæc vero, cum sit operatio, habet, à quo efficiatur, principium. Quid ergo? Sita est, inquit, Divina essentia in intelligere, non quatenus est operatio, sed prout est ultima formalis, completa, & subsistens actualitas; nam & D. Thomas affirmat sentire, & intelligere quandoque accipi pro quibusdam operationibus, quando-

Joannes Baptista Gonetus refutatur.

que autem pro ipso *esse* operantium. Quam sententiam amplectitur Magister Henricus Florez, qui pro Hispaniarum Provinciis exornandæ Scholasticæ Theologiæ novissimam impendit operam. Recte hi quidem, si intellectionem absque ratione potentiæ, & operationis percipiunt. At, quæso, quid est hæc subsistens intellectio, quæ ratione nostra à potentia atque ab operatione secernitur? Ego si ab omni facultate, & ab omni operatione mentem retraho, nihil quidem apprehendo quam *esse à se*, quod est quidem re ipsa & intellectio, & bonitas, & immensitas, & quidquid Deus est, ut optime S. Thomas. Ac præterea si intellectio ab operatione quomodolibet præscindatur, quod nescio num fieri possit, quomodo erit *ultima actualitas*, si concipitur absque operatione sibi propria? Hæc poterant prætermitti, sed Adversariorum dignitas ac doctrina me reddiderunt molestiorem.

12. Instantia. Insistes: Verbum ex vi originis suæ ac per æternam generationem recipit naturam Divinam, aliàs non esset Filius, ut docent Theologi: Atqui recipit intellectionem, cum procedat per modum verbi, & nihil sit aliud quam Patris sapientia: Ergo ipsa intellectio ac natura sunt prorsus idem.

Solutio. Hoc argumento suadere conantur prælaudati Thomistæ sententiam suam, ad explicandum Trinitatis mysterium longè videri opportuniorem, & commodiorem. At D. Thomæ, omniumque Thomistarum doctrinæ videtur potius contraria. Docent hi nomen Verbi ac Filii nullo modo esse nomen essentiæ, sed personæ tantummodo: ita S. Thoma quæst. XXXIV. art. I. docent, processionem Filii esse generationem, quia procedit per intellectionem Patris, quæ est operatio vitæ, & à principio conjuncto in similitudinem naturæ: ita S. Thomas quæst. XXVI. art. II. Docent, intellectionem, per quam procedit Verbum, esse actum notionalem, quæ est operatio nedum Divina essentia, sed etiam paternitate secundum intellectum posterior. Ita S. Thoma quæst. XL. art. IV. Quomodo ergo hi Thomistæ intellectionem cum natura, nomina personalia cum essentialibus contra apertissimam Angelici sui Præceptoris doctrinam confundunt, affirmando Divinum Verbum esse natura sua intellectionem, ideoque in intellectione Divinam naturam constitui, quasi nomen Verbi esset nomen essentiæ, intelligere Patris esset natura, & non actus notionalis; atque principium Divinæ generationis proximum, ut inquiunt, ac formale, idem esset ac differentia essentialis constitutiva Dei? Profecto si aliqua vis esset præfatæ argumentationis, ita in gratiam Socinianorum posset quis argutari: Natura Divina est intellectio per quam verbum procedit: intellectio, per quam Verbum procedit, est in solo Patre: Ergo in solo Patre erit natura Divina. Itaque juxta D. Thomæ doctrinam dist. minorem: Verbum Divinum procedit per intellectionem atque in similitudinem naturæ; per intellectionem *essentialem*, nego minorem; quippe hæc tribus personis ex æquo communis est, & principium formale, ac proximæ Divinæ generationis uni, non alteri personæ convenit: per intellectionem *notionalem*, concedo min. sed hæc est operatio, non solum naturam verum etiam paternitatem supponens. Dixi juxta D. Thomæ doctrinam: nam cur Verbi Divini processio sit generatio, non est fortasse adhuc compertum, neque ad definiendum facile, ut quamplures existimant.

Propositio II. Divina essentia explicari non potest magis proprio atque ideo neo vocabulo, quam Hebraico יהוה *Jehova*, aut אשר אהיה *Escer Eheie*, aut Græco ὁ ὤν, aut Latino, *Qui est*. 13. Propositio 2.

Probatur. Sequitur ex dictis: atque inde infertur, soli Deo competere incommutabiliter, & essentialiter, ut sit. *Est enim vere solus, quia incommutabilis est*, ait S. P. Augustinus lib. VII. de Trinit. cap. 5. Infertur quoque substantiam creatam esse in Dei comparatione, *tanquam nihilum*, ut habetur in Psalmo XXXVIII. v. 6. quod ita idem Augustinus num. 9. exponit: *Quid enim dicam? Quibus verbis ostendam, nihil esse quod sum in comparatione ejus quod est?* Infertur tertiò in Deo, cum sit esse incommutabile, nullum accidens physicum reperiri: quod Augustinus asserit lib. V. de Trinitate cap. 2. *Aliæ, quæ dicuntur substantiæ, vel essentiæ capiunt accidentia, quibus in ea fiat vel magna, vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest; & ideo sola est incommutabilis essentia, vel substantia, quæ Deus est: cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit.* Infertur quartò essentiam, quam de summo Deo enunciamus, omnem in se comprehendere plenitudinem, & quidquid percipitur sensu longe imparem Divinæ substantiæ nobis exhibere rationem: unde S. P. Enarrat. 2. in Psalm 26. ait: *Totum ab animo rejicite; & quidquid occurrerit quod cogitare possitis, dicite, non est illud.* An vero præfata nomina, aliaque plura, adæquate Divinam Essentiam significent, & quænam sit singulorum notio, & origo, in eo, qui consequitur, libro conabimur explicare.

❀ ❀ ❀

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SECUNDUS

In quo de Divinis attributis universe, ac singillatim disseritur.

De Divinis Attributis

INVESTIGATA DEI EXISTENTIA AC NATURA, ejus proprietates, quæ usitatissimo vocabulo Attributa appellantur, sese offerunt examinandæ. Sunt autem hæc attributa perfectiones quædam, quæ ratione nostra Dei consequuntur naturam. Quarum aliqua absoluta dicuntur, & communia tribus Personis, alia autem relativa, quibus Personæ Divinæ ad invicem referuntur. Ex illis vero, in quibus tantummodo hoc præsenti libro versabimur, præter unitatem, de qua disputatum est hactenus, duodecim connumerantur à Scholasticis, viginti duo à Boëtio, neque pauciora sunt Ἐπινοίαις, videlicet mentis nostræ excursionibus, quibus aliquid non indecorum, neque indignum de supremo Numine excogitamus. Potiora autem sunt ineffabilitas, simplicitas, infinitas, æternitas, immutabilitas, immensitas, veracitas, omnipotentia, pulchritudo ac perfectio; & quæ quæ particularem postulant dissertationem, invisibilitas, scientia, voluntas ac libertas, providentia, prædestinatio. Horum itaque notitiam tradam ea methodo, quæ præseferat amorem sapientiæ moderatum.

CAPUT I.

De ineffabilitate Dei, atque de Divinis nominibus.

SUMMARIUM.

1. Deus est ineffabilis.
2. Objectio, & ejus solutio.
3. Divinorum Nominum alia Divinam naturam ac substantiam significant, alia attributa.
4. Objectio ex S. Athanasio, illiúsque solutio.
5. Quænam præcipua sint Dei Nomina.
6. De Sanctissimo Nomine Jesu.

De Divinis nominibus, & ineffabilitate Dei.

ARbitrabatur impius hæreticus Eunomius, quem Nyssenus lib. XII. cavillatorem, nominumque aucupem appellabat, Deum pluribus significari nominibus, quorum singula Divinam naturam quatenus in se subsistit exprimerent. Ad confutandum versipellem hominem sat est, si duo brevissime præstentur, nimirum probetur nullo simplici vocabulo designari posse reconditam divinitatem, nisi prout mente nostra inadæquate concipitur; ac diversa nomina Dei, sive substantiva sint, sive adjectiva, varias mentis ignorantiæ tenebris involutæ exhibere perceptiones.

PROPOSITIO I. Deus est ineffabilis, id est, licèt plura vocabula significent

I. Propositio I.

cent Divinam essentiam, aut attributa, prout à nobis percipiuntur, nulla excitant ideam Divinæ naturæ, prout est in se.

Probatur. Probatur I. ex libro Prov. cap. xxx. v. 4. *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* II. Sanctorum Patrum sententiis, quos inter Justinus in Cohortatione ad gentes ait: *Fieri non potest, ut proprium aliquod Dei nomen attribuatur.* Lactantius lib. 1. divin. Instit. cap. 6. *Deo nomen non est.* Novatianus lib. 1. de Trinit. cap. 4. *Nomen Dei proprium edici non potest, quoniam non potest nec concipi.* S. P. Augustinus in Psal. LXXXV. n. 12. *Deus ineffabilis est.* Et ibidem: *Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Tertio probatur communi Philosophorum consensu. Ita namque scribit Plato in Parmenide, & de Republ. VI. Plotinus Ænead. lib. 5. cap. 16. Proclus Th. Platon. lib. 2. cap. 4. Jamblichus Segm. VII. quos citat, & longiori explicatione persequitur Thomassinus lib. VI. Th. Dogm. cap. V. Addere possum Alcinoum, ac Maximum Tyrium, quorum loca refert Petavius lib. VIII. cap. VI. n. 6. Addit Huetius Alnetan. Quæst. lib. II. n. XV. Simplicium, & Philemonem Poëtam, qui ait, terribile esse nomen Dei, nec à quoquam proferri posse. Accedunt cum Hebræi, qui in hodiernam diem nomen Dei Tetragrammaton, cujus etiamnum ignoratur pronunciatio, efferre nesciunt, tum Samaritani, qui Garizimitanum templum Deo sacrum omni carere vocabulo dixerunt Antiocho illustri, ut libro XII. Antiquit. cap. 7. scribit Josippus. Denique probatur ratione: Nomina sunt signa conceptuum nostrorum: Essentiam Divinam non possumus in hac vita perfecte cognoscere: Ergo neque perfecte possumus aliquo nomine exprimere.

2. Objicitur. Oppones: Aliqua Dei nomina non pendent ab hominum instituto, sed Deum ipsum, qui ea Moysi revelavit, habent auctorem. Ergo hæc saltem plane ac digne exprimere poterunt Dei naturam.

Solvitur Resp. nego consequentiam. Etenim, quemadmodum Deus cum esset invisibilis in assumpta creatura dignatus est apparere, ut nos misericorditer visitaret; ita, cum sit ineffabilis, congruum existimavit se aliquo vocis sono nominare, quia admittens humanæ vocis obsequium, *verbis nostris in sua laude gaudere nos voluit.* S. P. Augustinus lib. 1. de Doct. Christiana cap. 6.

PROPOSITIO II. Divinorum nominum alia Divinam naturam ac substantiam significant, alia attributa. 3. Propositio 2.

Sequitur ex dictis, & probatur: Tametsi nihil Divinæ naturæ adveniat, indulgetur tamen imbecillitati rationis nostræ, ut concipiamus *esse à se* tanquam naturam; justitiam, misericordiam, & alia quæ habent quamdam connotationem, veluti proprietates consequentes essentiam: imo sunt Divina nomina personalia, quæ de natura & essentia enunciari non possunt, nisi, ut Scholæ loquuntur, *in concreto*: Atqui nomina significant res prout mente nostra percipiuntur: Ergo alia Dei nomina significant essentiam, ut istud *Ens à se*, alia vero attributa, aut personas, ut, *justitia, Pater, &c.* Probatur.

Opp. Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi, Cyrillus in lib. Thesauri cap. 19. atque alii Patres affirmant tam nomen Dei, quàm nomen Filii, ac Patris, (quod asserendum est de quocunque alio nomine) Divinam significare substantiam, cum in Deo nihil sit eorum, quæ naturam sequuntur. Ergo qualecunque Divinum nomen Essentiam significat. 4. Oppositio.

Resp. Athanasium ac Cyrillum Alexandrinum disputare contra Arianos, qui asserebant Verbum natura ac substantia realiter distinctum à Patre, excogitantes Divinam generationem ad instar humanæ, quæ fit cum propagatione ac decisione naturæ. Augustinus autem in VII. de Trinit. cap. 1. aliique Patres docent nomen Filii, Verbi, Imaginis, & id genus plurima, relationem, non substantiam significare. Quæ in libris de Trinitate data opera explicabuntur. Dist. itaque ant. Nomina Divina, quæcunque sint, significant substantiam, si accipiantur secundum rem, & absolute, concedo: si spectentur secundum rationem intelligentiæ nostræ, & connotative; nego: nam etiamsi Essentia Dei, hypostasis, atque attributum sint una eademque substantia; hanc tamen nos appellamus *naturam* prout sola ac simplex per se spectatur, *personam* quatenus ad aliam refertur; *proprietatem* propter connotationem ad aliquem terminum, ut in sequentibus explanabitur. Resp.

Si vero quæras, quænam præcipua sint Dei nomina, respondeo decem apud Hebræos, (prætermissis quæ Thalmudistæ ac Rabbini, necnon Cornelius Agrippa vir superstitiosissimus, aliique malefici excogitârunt,) in sacris literis 5. Decem sunt Dei Nomina. I. Ineffabile.

cor-

connumerari. Quorum primum est ineffabile nomen יהוה dictum Hebræis שם־בן ארבע אותיות *Nomen filius quatuor literarum*, Græcis, quod idem est, Τετραγράμματον. Atque hunc literarum numerum in Deum nominando observant etiamnum Græci, Latini, Hispani, Galli, Theutones, Turcæ quoque ac Arabes, qui Dei nomen sic efferunt, ΘΕΟΣ, DEUS, DIOS, DIEU, GOTT, ALLA, unde & imitatione digni videntur Itali, qui omnium gentium exemplo scripserunt IDIO, consona non geminata. Nomen illud vel à radice היה, vel ab הוה, quod est *Fuit*, creditur derivatum, unde ejus etymon exponitur in Exodo III. v. 4. אהיה אשר אהיה, *Sum qui sum*. Certa hujus nominis pronunciatio nondum innotuit, *Jaho* effert Clemens Alex. Stromm. V. *Javé* Theodoretus quæst. xv. in Exodum, *Jehue*, Genebrardus in Psalm. LXXXII. *Jova* Angelus Caninius lib. de locis Hebraicis cap. I. Post Galatinum communiter omnes *Jehova*. Quidam, auctore Hieronymo Epist. 136. propter elementorum similitudinem, scilicet inter Hebræum ה & Græcum Π, atque inter י, & ι., legere consueverunt Pipi, Pipiones non illepide dicti. De his recte Exodi VI. v. 3. וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם *Et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Ex hoc loco comprobatur pronunciatio יְהוָה, quam reprehendit Genebrardus: nam Hebræi, Septuaginta, necnon Vulgata nostra vertunt nedum hoc loco, sed ubique pro יהוה Adonai, κύριον, *Dominum*. Ergo non male inscriptum est nomen tetragrammaton punctis vocalibus nominis *Adonai*, mutata tantum priori vocali propter literam gutturalem א, quæ nusquam patitur simplex Sceva. Hæc non absque magna utilitate Theologi dicta sunt; etenim ubicunque in novo, ac veteri Testamento legeris *Dominum* subsitutum loco Hebraici nominis יהוה, certissime inferes ibi de vero Deo sermonem institui.

2. Est. II. Est יה *Ja* ab eodem Themate. Hinc Alleluja, *laudate Deum*.

3. El. III. אל, *El* à radice איל *fortem esse*, unde Latine *Fortis*, Græce ἰσχυρὸς, Deus in publicis Ecclesiæ precibus Feria sexta majoris hebdomadæ appellatur.

4. Eloah. IV. אלוה. *Eloah.*

5. Utrumque. V. אלהים. Utrumque ab אלה *Juravit*, Latine, *Princeps*, *Judex* Græce δικαστὴς, ἄρχος: Aliqui derivare putant ex Arabismo, in quo אלה significat *adorare*. Hieronymus hæc duo nomina distinguit; sed diversa sunt solo regiminis statu.

6. Saddai. VI. שרי *Saddai*, à relativo ש *Qui*, & דַּי *sufficere*, Latine reddi potest sibi *sufficiens*, *omnipotens*, *neque indigens nostri*, Græce ἄκλιμος, παντοκράτωρ, αὐτάρκης. Aliqui in caput LXIII. Esaiæ v. 9. observant hoc nomen tribui aliquando Archangelo Michaeli, fortasse, quod sit ad salvandum pronus, atque præpotens ad bellandum.

7. Adonai. VII. ארני אדון *Adonai*, *Adon*, κύριος, δεσπότης, *Dominus*, ut diximus supra. Hujusmodi nomen connotat creaturas, in quibus Deus dominatur; & quoniam non semper creaturæ fuerunt, Tertullianus disputans contra Hermogenem, qui putabat materiam esse Deo coæternam, cap. 3. ait: *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, Dominum vero non semper.*

8. Qui est. VIII. אשר יהוה Græce ὁ ὤν, Latine *Qui est*, de quo in I., ex relativo, ac verbo היה *esse*.

9. Dominus Deus Sabaoth. IX. יהוה אלהים צבאות *Dominus Deus Sabaoth*, id est, *Exercituum*: à radice צבא *Exercitus*: quo nomine intelliguntur nedum Angelicæ potestates, sed etiam Danielis VIII. v. 10. Sacerdotes, qui Regi cælorum militantes excubias agunt in templo. Ob utramque significationem commemoratur in Præfatione Missæ, *Dominus Deus Sabaoth.*

10. Elion X. עליון *Elion*, ὕψιστος, *excelsus*, *supremus*, à th. עלה *ascendere*, *præesse*. Ex quo autem Deus maximus sit, & summe excelsus, animadverterat Salomon Glassius vir hæreticus quidem, apprime tamen eruditus, Dei nomen loco Epitheti dici de rebus excellentissimis, ut Ps. LXXIX. v. 11. *Cedri Dei* dicuntur arbores procerissimæ; *plaga Domini* II. Paralipp. XXVI. v. 20. lepra Oziæ: ut mittam exempla Glassii lib. III. Philolog. sacræ Tract. I. Can. XVII. n. 3. Atque de his Dei nominibus, præter Hebraicarum dictionum Interpretes, ut Buxtorfius, Pagninus, & alii, vide citata Epistola Hieronymum,

ronymum, Isidorum Hispalensem lib. VII. Originum cap. 1. Angelum Caninium de locis Hebraicis cap. 2. Petavium lib. VIII. cap. IX. nonnulla etiam apud Scholasticos, præsertim Ludovicum Habert. Tract. de Deo uno cap. 1. & Contenson dissert. V. cap. II. spec. III.

Quid nomen Deus significet.

Satis de Hebraicis nominibus summi Dei, qui Græcis dicitur Θεὸς unde Latinum, *Deus;* vel à verbo θεωμαι, *videre*, atque *contemplari*, quoniam θεῖ διὰ πάντων, *inspicit omnia*: vel à, θεῖν, *currere*, *ponere*, *facere*, quod omnibus præsto sit, omnia disponat, omnium sit artifex; vel ἀπὸ τῦ αἴθειν, *urere* ac *fulgere*, non quod ignis sit, ut Persis Ægyptiisque Deus *Phtha*, sed propter vim cupiditatum consumptricem, aut inaccessibilem gloriæ lucem. Eo nomine significari substantiam docent Latini Patres, Tertullianus in primis adversus Hermogenem cap. 3. Græci fere omnes, efficientiam & energiam. Facile conciliantur; nam si istud nomen referas ad ideam proferentis, significat Dei naturam, si ad vocis etymologiam, operationem aut facultatem. Idem assero de nominibus Æthiopicis אמלך *Emlah*, forte ab Hebræo מלך *Rex;* אגזיא, vel, אגזיאבר *Eghzia*, *Eghziaber*, *Dominus bonus*. Omnia ferme penes cæteras nationes Divina nomina eamdem habent cum expositis significationem.

6. De Ss. Nomine Jesu.

Loquamur pauca, quandoquidem huc deducta est oratio, de dulcissimo nomine JESU. Derivatum est à ישע *Salus:* unde Jesus idem est ac Σωθὴρ, *Salvator*. Negant aliqui, inter quos Caninius numerat Osiandrum, istam originem, quoniam alicubi scriptum reperitur ישׁע *Josciu* absque radicali litera ע *Ajin*, unde dictum putant, inquit Listrius, à verbo substantivo *Est*, ישׁה יש. At insulsa nimium argutatio. Moysis tempore scribebatur, ut constat ex libro Josue, יהושוע *Jehosuah;* post Babylonicum exilium, ut reperimus apud Esdram, & Nehemiam, scriptum est producta sub Jod vocali paucioribus literis ישוע *Josuah*, etsi antiquiorem scripturam retinuerint Aggæus, & Zaccharias. Ex Syrorum, Arabumque commercio desuescere cœpit postrema litera ע, quod Caninius in I. demonstrat ex שבע *septem*, quod scriptum aliquando in Thalmud שב absque *Ajin*, & Hugo Grotius ad caput I. Lucæ v. 5. ex nomine אלישבע *Elisabah*, unde abrasa finali, & substituta ת, T, Syrorum exemplo, Græci ac Latini fecerunt *Elisabeth*. Satis hinc refutatur hallucinatio Osiandri, & manifesta redditur nominis JESU recepta fere ab omnibus interpretatio: de qua Matthæi I. v. 21. *Vocabis nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Χριστὸς, *Christus* à verbo χρίω, *ungo* idem est ac מָשִׁיחַ, *Messias*, à משׁח, *ungit*.

Fertur Reparatoris nostri nomen ita prædixisse Sibyllam Cumanam:

Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Namque octo monades, totidem decades super istas,
Atque hecatontadas octo, insidis significabit
Hominibus nomen: tu vero mente teneto.

De Sibyllarum carminibus dicam alibi. Oraculum, qualecunque sit, nunc expono. Octo monades sunt unitates 8. Octo decades 80. Octo hecatontades 800. totius numeri summa, 888. Nomen ΙΗΣΟΥΣ, *Jesus*, eumdem continet numerum, nam I. valet 10. H 8. Σ 200. O 70. Υ 400. Σ 200. Supputa, num resultent 888., & *protegat te nomen Dei Jacob.* Psalm. XIX. V. 2.

CAPUT II.

De simplicitate Dei.

SUMMARIUM.

1. Quinam male senserint de simplicitate Dei.
2. 3. 4. Melito Asianus Sardensis Episcopus vix ab errore Anthropomorphitarum potest excusari.
5. 6. 7. 8. Propior fuit Anthropomorphitarum errori Tertullianus, nec certis argumentis defenditur.
9. 10. 11. Nec, S. Epiphanius nec Audius Deum esse Anthropomorphon existimârunt.
12. 13. 14. 15. Deus est purus, ac simplex spiritus qualicunque corpore expers.
16. Objectio facta ex S. Scriptura solvitur.

PRÆ-

Quinam male senserint de simplicitate Dei.

PRÆTER memoratos præcedenti libro gentiles, qui Deos humanis membris præditos cogitârunt, hominemque impiissimum Spinosam, qui materiam ac naturam Deum esse commentus est, haud recte de divina simplicitate senserunt IV. Ecclesiæ sæculo Ægyptii Monachi, qui turmatim in eum errorem descivêre, quod Deus sit Anthropomorphos, formæ scilicet humanæ & corporeæ. Quibus dubitari potest an præluserint secundo sæculo Melito Sardensis, qui anno 169. misit pro Christianis ad M. Aurelium Apologiam; qua creditur permotus ad vetandum, ne quisquam in posterum religionis causa Christianos calumniaretur. In eamdem hæreseos suspicionem inducitur Tertullianus, Audius, à quo fertur Anthropomorphitas dictos fuisse Audianos, & quod gravius est, à Socrate, & Sozomero etiam Epiphanius. Plures item, etiamsi his telis non ausi sint divinam impetere simplicitatem, in eo tamen peccârunt, quod in ea indivisa natura intrinsecam distinctionem admiserint, Gilbertus Porretanus Pictavorum Episcopus sæculo XII. de cujus errore non idem sentiunt Theologi, Gregorius Palamas, & Græculi quidam Monachi, qui imperante Joanne Cantacuzeno increatum æternumque lumen reapse à Deo separârunt, & Abbas Joachimus, qui à divinis Personis visus est realiter distinguere essentiam. At de Græcorum, & Ab. Joachimi erroribus, ne longior evadat disputatio, alibi est differendum. Modo postquam critica quædam, & apologetica fuerint expedita, demonstrabo neque Deum esse corporeum, neque in eo intrinsecam ac realem distinctionem aliquam reperiri: quæ prætermitti non debent eo quod ad istud revera simplicitatis attributum propius attineant, sed in cæteris quoque disputationibus usum habeant frequentissimum. Qua in re declinabo quidem aliquantulum in Gregorii nostri, aliorumque Nominalium veram, ut puto, sententiam, sed eam cum asserta asserta à D. Thoma, & Ægidio virtuali distinctione temperabo. De Scotistarum doctrina, qua propugnant distinctionem *formalem ex natura rei*, gravissimi Theologi Ludovici Thomassini lib. IV. de Deo cap. I. num. VIII. judicium erat; quod Scotus ejusmodi distinctione, *Non hostiliter quidem divinæ insultavit simplicitati, sed minus forsitan reverenter ingenii sui acumen illi inseruit.* Sit tamen Auctoris sui patrocinio satis valida. Forte plura obscurioribus verbis implicantur; neque cum Adversariis frequenter altercaremur, si fas esset illorum mentem inspicere.

PROPOSITIO I. Melito Asianus Sardensis Episcopus vix ab errore Anthropomorphitarum potest excusari. 1. Propositio I.

Hæc propositio est Origenis, & Theodoreti quæst. XX. in Exodum, Gennadii lib. de Dogmat. cap. 4. Petavii lib. II. cap. I. Guilelmi Cave Hist. Eccl. sæcul. II. ad an. 170. Joannis Clerici ad annum 149. num. IX. in eamque pronior est Thomassinus lib. IV. cap. I. num. 2. Ac probatur: Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, & quotquot Melitonis recensent opera, & sanctissimi scriptoris meminerunt, exscripsêre omnia ex Origene suppare Melitonis ætati; atqui Origenes loco citato apud Theodoretum, apertissime tradidit, Melitonem existimâsse Deum corporeum: Ergo Melito vix ab hujus erroris nævo purgari potest. Probo minorem: Origenes apud Theodoretum ait: *Ante omnia disceptandum illud est, ubinam consistat istud:* Ad imaginem: *in corpore, an in anima. Videamus porro quibus utantur qui prius asserunt. E quorum numero est Melito, qui scripta reliquit de eo argumento, Deum esse corporeum.* 2. Probatur errâsse Melitonem Asianum.

Respondent L'Herminier, Tournely, Boucat, aliique clarissimi recentiores Theologi hæc facile dispungi. I. Quia neque Eusebius, neque Hieronymus, neque ipse Theodoretus Melitonem accusant. II. Inquiunt Origenis textum sic vertendum esse cum Sixto Sen. lib. V. Biblioth. annot. 18. *Melito scripta reliquit de eo argumento, quod dicitur Deo corpus inesse.* III. Falsam suspicionem ortam esse ex inscriptione libri περὶ ἐνσωμάτῳ Θεῷ, quam Rufinus vertit *de Deo corpore induto.* IV. Gennadium virum fuisse judicio præcipiti, utpote qui postulavit Dionysium Alexandrinum Arianæ impietatis, novitatis vero Augustinum. 3. Defensio ejus.

Verum hi comiter à Melitone errorem conantur abstergere. At ad I. respondetur, Eusebium ex Origene, Hieronymum ex Eusebio de Melitone exscripsisse: librosque Sardensis Episcopi, non errores connumerâsse. Imo ne hæretici abuterentur præstantissimi Præsulis auctoritate, Rufinus & Hieronymus quædam dissimulârunt: librum enim scriptum περὶ κτίσεως, ἢ γενέσεως Χριστοῦ, *de creatione, ac generatione Christi,* propter ambiguam vocem τῆς κτίσεως, reddiderunt alter, *de Incarnatione* Chri- 4. Refutatio defensionis.

Christi, alter vero *de fide & generatione Christi*, idque habent & nonnulli Eusebiani Codices περὶ πίστεως, καὶ γενέσεως χριστοῦ. Sixtus autem Senensis aperte fallitur, & immerito reprehendit interpretationem Joannis Pici; nam revera in emendatissimis Theodoreti Codicibus legitur, ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεὸν, *corporeum esse Deum*. Inscriptionem libri περὶ ἐνσωμάτε Θεοῦ *de corporeo Deo* referens Hieronymus Græcam Eusebii vocem retinuit, Rufinus reddidit, *de Deo induto corpore*, Christophorsonus, *de Deo incarnato*, Henricus Valesius, *de incarnatione Dei*; ita quoque Natalis Alexander sæc. II. cap. IV. art. III. sed liber περὶ ἐνσωμάτε Θεοῦ diversus est à libro *de Dei incarnatione*, qui inscribitur apud Anastasium Sinaitam cap. XXXIII. περὶ σαρκωσεως χριστοῦ. Quæ diversa inscriptio & litem dirimit, & in contrariam sententiam traxit doctissimos viros, qui prius erant defensores Melitonis. Postremo Gennadius contra antiquissimum scriptorem non potuit studere partibus, quemadmodum Semipelagianis fortasse addictus iniquus fuit Augustini expostulator: at de Melitone consentientes habet gravissimos, ac synchronos auctores, quos neque ex scriptis Melitonis, quæ perierunt, neque ullo veterum redarguere possumus testimonio.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Propior fuit Anthropomorphitarum errori Tertullianus, nec certis argumentis defenditur.

Probatur errâsse Tertullianum. Illius Patroni sunt Natalis Alexander dissert. IX. sæc. II. art. II. Honoratus Tournely de Divin. Attrib. quæst. v. L' Herminier de Simpl. Dei, Boucat dissert. III. art. III. & alii. At majorem esse de eo, gravissimamque suspicionem docet S. Thomas I. contra Gentes cap. 20. Petavius lib. II. cap. I. num. v. & seqq. Petrus Annatus lib. IV. art. XII. Huetius in Origenianis lib. II. q. I. num. VIII. Pamelius in Paradoxis cap. 15. noster Gavardi quæst. de Simpl. Dei art. I. & Critici fere omnes. Probatur I. S. P. Augustini apertissimo testimonio: ait enim Ep. 190. ad Optatum: *Mirandum non est hoc somniâsse Tertullianum, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur.* Et lib. 2. de origine animæ cap. v. *Tertullianus*, inquit, *sicut animam, ita etiam Deum corporeum esse contendit*, S. Thomas quoque loco citato: *His rationibus*, inquit, *excluduntur deliramenta simplicium Judæorum, Tertulliani, Audianorum, seu Anthropomorphitarum, qui Deum corporalibus lineamentis figurabant.* II. Probatur ex eodem Tertulliano, qui lib. de Anima cap. 7. ait: *Nihil enim si non corpus.* Item libro de Carne Christi cap. 11. *Quum autem sit, habeat necesse est aliquid per quod est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit, corpus ejus: omne, quod est corpus, est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Lib. etiam contra Praxeam cap. 2. *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi spiritus sit? spiritus corpus sui generis in sua effigie.* Et lib. 2. adv. Marcionem cap. 16. *Nam dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur.* His verbis, inquit Pamelius, satis se explicat.

6. Defensio I. Tertulliani. Attamen reponunt viri doctissimi, atque erga Tertullianum humaniores I. Augustinum lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hær. 86. asserere, quod Tertullianus *Corpus* pro qualicumque substantia usurpavit. II. Tertullianum in lib. de anima vel loqui de solo ente creato, vel de corpore late accepto. III. In lib. de Carne Christi sese explicare, dum ait *omne quod est, esse corpus sui generis.* IV. In libris contra Marcionem Deo tribuere membra metaphoricè, juxta Divinarum Scripturarum consuetudinem.

7. Refutatio. Utinam hæc invicta essent pro Tertulliano argumenta; Sed primo Augustinus in ejus patrocinium loco citato, ait: *Posset enim quoquo modo putari;* dum verò ipsius errores recenset, definitè, neque uno in loco, Tertullianum redarguit. Vellem ego non benignam, ac liberalem excusationem, sed certam, qualem viri alioquin docti spondent, Apologiam. Quod in libro de anima loquatur de solo ente creato me certiorem non reddunt ea verba, *Nihil enim si non corpus;* ac similia in libro de carne Christi, *Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Ait quidem contra Praxeam cap. 2. *Spiritus est corpus sui generis;* sed eo sensu, quod spiritus sit corpus in comparatione horum terrenorum tenuissimum, ac præditum sua effigie ac membris, quæ saltem Deus intuetur; sequitur enim immediatè: *Sed invisibilia illa quæcunque sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt.* Ajunt observandum esse, loqui Tertullianum contra Praxeam, qui existimabat Verbum Divinum esse rem vacuam, & inanem. Illud animadverti, sed quare ad Praxeam confutandum, vir haud

haud impos latini sermonis, & florentissimus novorum verborum inventor *Corporis* nomine non vacuam rem significaverit, id non satis percipio: poterat enim uti non sibi ignotis vocabulis *Spiritus*, *substantiæ*, *essentiæ*, *personæ*, &c. Atque non contra Praxeam tantummodo, sed ubique scribit, *nil esse præterquam Corpus*, & audivimus repetitam sæpe cantionem. Denique adversus Marcionem non metaphoricè corporeas partes tribuit Deo, sed veras: distinguit enim sicut duplex genus animi, ita duplex genus corporis, & duplex genus sensuum. Tum inquit: *Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit animi divini, & humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quàm incorruptorios efficit in Deo incorruptibilitas substantiæ divinæ.* Quo in loco si Tertullianus nequaquam Deo negat veram rationem animi, neque denegat veram rationem corporis, licet diversi generis ab humano passibili, & corruptibili.

8. Defensio 2. Oppones: Tertullianus cap. xx. Apologetici ait, Deum esse *Spiritum*: lib. de Anima cap. 7. *Incorporalitatem* nihil pati, è contra lib. adversus Praxeam cap. 29. Deum *esse impassibilem*; quæ ponderans Augustinus lib. x. de Genes. ad lit. cap. 25. affirmat, Tertullianum priorem revocâsse sententiam. Denique lib. de Baptismo cap. 11. fatetur Dei propriam esse *simplicitatem.*

Solutio. Resp. hæc omnia, si prædictis comparentur, parum Tertulliani causam juvare. Ille enim spiritum contra corpus distinguit non per negationem materiæ, sed per intractabilem tenuissimamque corpoream effigiem; ait enim contra Praxeam cap. 2. *Spiritus corpus est sui generis in sua effigie.* In anima vero passibilitatem affirmat, quam negat in Deo: sed loquitur de passione, quæ suapte natura dolorem infert, quam non audet asserere in Deo, cui tribuit passionem aliquam ac sensus generis sui, videlicet, *incorruptorios.* Augustinus, si eum attente legas, non ait, Tertullianum priorem revocâsse sententiam, sed eum potius arguit antilogiæ. *Denique*, inquit, *Tertullianus quia corpus esse animam credidit non ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere: qui sane, quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco, omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam, qui paulo superius dixerat, etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet. &c.* Quorum verborum sensus est: Tertullianum non solum animam hominis cogitâsse corpoream, sed etiam Deum, quia non *valuit sapere*, quod aliquid existeret incorporeum, non tamen constare sibi, sed *contra opinionem suam* manifestissime superari, si enim credidit omne *corporale passibile*, neque adeo desipuit, ut naturam quoque Dei passibilem crederet: Ergo, ut sibi constaret, *debuit mutare sententiam.* At quod reapse pristinam sententiam revocaverit, aperte Augustinus non asserit. In libro demum de Baptismo Tertullianus Deo tribuit simplicitatem, quæ opponitur corpori nostri generis, non spiritui quem putat esse corpus generis sui. Dicunt appellavisse Deum *Corpus generis sui* etiam Clarissimum Agenni Episcopum Phœbadium, de quo Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ sacræ, in Tractatu adversus alteram Formulam Sirmiensem à Potamio Olyssiponensi conscriptam, nec tamen venisse unquam in suspicionem hæreseos. Soebadium alii, alii Fygadium, aut Fœgadium nominaverunt. At is neque Deo effigiem, neque membra, neque sensus tribuit, uti Tertullianus: de quo gravis exoritur suspicio; eaque non omnino benignis his interpretamentis extergitur.

9. Propositio 3. PROPOSITIO III. Neque Sanctus Epiphanius, neque Audius Deum esse anthropomorphon existimaverunt.

Probatur, nec Epiphanium, nec Audium errâsse. De Sancto Epiphanio Eruditi omnes conveniunt. Et probatur; nam Hæresi LXX. rusticam simplicitatem Audianorum redarguens, qui in humano corpore divinam statuebant imaginem, pag. 815. Petavianæ edit. Paris. ait: *Qui fieri potest, ut quod aspectabile est ei simile sit, quod videri non potest, aut corporeum corpore experti?* & infra: *Penes Deum neque affectio ulla, neque defectio est: sed undecunque lumen est: Spiritus enim Deus est, qui omnem Spiritum exsuperat.* Ubi differte in Græco Deus appellatur ab Epiphanio ἀσώματος, ἀόρατος, ἡ πνεῦμα ὑπὲρ πνεῦμα *incorporeus, invisibilis, spiritus supra spiritum.* Deinde, auctore Hieronymo Epist. 61. cum Joannes Hierosolymitanus anno Christi 393. contra Anthropomorphitas coram populo, qui ad audiendum Epiphanium convenerat, concitatam

haberet concionem, atque manu, oculis, totiusque corporis trunco sanctissimum Senem vellet suspectum facere stultissimæ hæreseos; ille contra, salutata Ecclesia: *Cuncta*, inquit, *quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus contra anthropomorphitarum hæresin, bene & fideliter loquutus est: quæ mea quoque damnatur voce: sed æquum est, ut quomodo hanc hæresim condemnamus, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus.* Ille ergo non est inter Anthropomorphitas connumerandus, qui illorum hæresim voce ac scripto damnavit: Epiphanius voce ac scripto damnavit hæresim Anthropomorphitarum: Ergo. &c.

10. Confirmatur. Neque obstat, Epiphanium in hæreseos suspicionem à Joanne Jerosolymitano fuisse adductum. Nam Joannes maximo odio prosequebatur S. Epiphanium, à quo fuerat accusatus, quod errores foveret Origenis: unde magnum exortum est an. 391. Joannem inter ac Epiphanium dissidium. Socrates quoque lib. VI. cap. 10. & Sozomenus lib. VIII. cap. 14. male de Epiphanio sentiunt. At de his minus curandum. I. Quia nimiam præbent fidem accusationi Joannis viri Origenistæ, hostisque in Sanctum Salaminæ Antistitem infensissimi. II. Quia etiam historiam pervertunt, & Paulinianum fratrem Hieronymi, quem Epiphanius ordinavit Diaconum ac Presbyterum in quodam Monasterio Palestinæ, ordinatum scribunt prope urbem Constantinopolitanam, & in Ecclesia, quæ sub Jurisdictione esset Joannis Chrysostomi. III. Quoniam Socratem, & Sozomenum offendit consuetudo Epiphanii cum Theophilo Alexandrino, qui cum Ægyptiis Monachis hac infectis hæresi communicavit. Sed & Monachi illi rusticana potius simplicitate, quam pervicacia ac malitia peccaverant, neque hac de causa communiter insimulabantur hæreseos, ut animadvertit etiam Augustinus in libro ad Quodvultdeum de Vadianis: &, quidquid sit de Fidei Theophili, cum eo tantum convenit Epiphanius circa damnationem librorum Origenis, eumque in suas partes trahere conatus est etiam Joannes Hierosolymitanus. Neque credibile est, Theophilum accusâsse Ephiphanium de hæresi Anthropomorphitanem, ut scribit Socrates, in eamdem hæresim ipse Theophilus consentiret. Quod si tam callidum velimus dicere ac versutum, ut hæresin propriam fraudolenter insectaretur; jam excusatione dignus erit quisquis cum illo aliquandiu communicavit.

11. Probatur de Audio. Altera pars propositionis de Audio probatur. Nam, ut scribit eadem hæresi LXX. Epiphanius, ille nulla in re à Catholica dissentit Ecclesia: præfracte tantum interpretabatur verba Scripturæ, quæ hominem conditum ad *imaginem Dei* significant, propugnans talem imaginem in Corpore sitam esse: quod male intelligentes illiterati absurdam de Deo conceperunt sententiam, quasi humanis membris constaret, de viri clarissimi nomine, cujus abutebantur doctrina, appellati *Audiani*. At etiamsi Audius putaverit, Divinam imaginem in humano corpore expressam, non consequitur, Deum fecisse corporeum, potuit namque credere, Deum, ut hominem fingeret, humanam ad tempus sumpsisse formam, tanquam efformandi hominis typum, ut scribit Prudentius sub finem Apotheosis, & Eugubinus in cosmopoeja; vel asserere hominem factum ad imaginem Verbi Incarnati, jam prævisi, ut aliqui exponunt quædam testimonia Tertulliani. Dissimulandum tamen non est, Audium edicto Constantini relegatum fuisse in Scythiam, *quod populos ab Ecclesiæ obsequio retraheret*, ut refert idem Epiphanius: sed hæc schisma quidem redolent, non hæresim; aut si hæresim, fuerit hæc Quartadecimanorum, non Anthropomorphitarum. Vide S. Epiphanii Panarium hæresi LXX.

12. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Utut sit de Audio, Tertulliano, ac Melitone; Deus est purus ac simplex spiritus qualicunque corpore expers.

Probatur 1. ex Scriptura. Spectat hæc propositio ad fidem, & probatur. I. Ex Sacris literis; nam Jo. IV. v. 24. habetur: *Spiritus est Deus*, id est animus solutus ac liber, segregatus ab omni concretione mortali. Ibi namque Christus Samaritidem mulierem adloquitur, docetque Deum adorandum in *spiritu* & *veritate*, id est non corporeo cultu, vel uno tantum in templo, sed mente, & ubique, ideoque significat *Spiritus* hoc loco Animum nullo corpore, aut termino circumscriptum.

13. Probatur 2. ex Patribus. II. Probatur ex Patribus. Gregorius Nazianz. orat. XXXIV. *An corpus*, inquit, *eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figuræ expers, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat?* Hilarius in Psalm. CXXIX. *Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere.* S. P. Augustinus lib. 8. de civit. Dei cap.

cap. 5. *Porro si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est?* Joannes Damascenus lib. 1. de Fide Orthodox. c. 4. *Quo etenim modo corpus esse queat, quod infinitum, & interminatum est, quod figura caret . . . quod denique simplex est, nec compositum?* Lege Petavium lib. II. cap. 1. & 2. Thomassinum lib. IV. cap. 1. & 3. Tournely Quæst. V. art. 1. concl. 2., &c.

14. Probatur 3. auctoritate Philosophorum.

Tertio probatur à doctissimo Huetio lib. 2. Quæst. Alnetan. n. 11. veterum Philosophorum testimonio; Deum namque expertem quocunque corpore, ac simplicissimum docuerunt Pythagoras apud Lactantium de ira Dei, Xenophanes apud Clementem Alexandrinum V. Stromat. Plato apud Augustinum lib. VIII. de civit. Dei cap. 9. Assertum idem ab Aristotele, à Simplicio, à Sallustio Cynico, ab ipso quoque Epicuro, qui dicebat, Deos non habere corpus, sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sanguinem. Prætermitto Proclum, Alcinoum, Apulejum, Plotinum, & alios plurimos.

15. Probatur ultimo rationibus.

Ultimo probatur rationibus, primo: Quocunque excogitato corpore, majus & majus sine fine poterit cogitari: id enim postulat quælibet, ingentissima licet, moles corporea, ut amplior magnitudo possit ei superaddi: Deo, ut omnibus persuasissimum est, nihil majus potest excogitari: Ergo Deus frustra quæritur inter corpora. Argumentum est Augustini Serm. XIV. ex additis à Parisiensibus. Rursus: Quidquid constat corporeis membris, non est totum ubique: Deus totus ubique est: Ergo Deus non constat corporeis membris. Idem Augustinus lib. VII. Confess. cap. 7. n. XII. Præterea rationalis anima potentiæ vivacitate quodcunque corpus excedit; nam judicat cuique corpori inesse partes majores ac minores, easque invicem sua dividit cogitatione: Deus super omnes rationales animas incommutabilis permanet: Ergo virtute ac potentia sua Deus qualecunque corpus excedit. Ex eodem Augustino contra Epistolam Fundamenti cap. XVI.

16. Objectio 1.

Oppones: Ex sacris Scripturis plura habentur, quæ huic propositioni adversantur. Primo Deuter. IV. 24. & ad Hebræos XII. 29. dicitur Deus, *Ignis consumens*. Gen. 1. v. 26. homo factus ad *imaginem ac similitudinem Dei*: at homo ex anima rationali, & humana ac terrena carne subsistit. Job. X. v. VIII. legitur, *Manus Domini fecerunt me, & plasmavertunt me*. Commemorantur quoque alia Divini corporis membra, ac sensus; *os* Is. 1. v. 20. *aures* Psal. CXXIX. v. 2. *oculi* Exod. XXXIII. v. 13. *pedes* Is. LXVI. v. 1. *brachium* Exodi VI. v. 6. *dextera* Ps. CXXVII. *digiti* Ex. VIII. v. 19. *odoratum* quoque Genes. VIII. v. 21. Ex his istud conficitur argumentum: Illa substantia corporalis est, quæ virtutem habet activam, & consumptricem ignis; cujus imago est in creatura terrena, ac mortali; cui denique insunt dispositæ partes, ac sensitivæ potentiæ: Istiusmodi est Deus: Ergo Deus substantia corporalis est.

Solutio.

Resp. Stolidos esse, qui non animadvertunt Dominum Deum per homines hominibus loquentem audientium infirmitati sermones suos accommodare. Itaque ubi in Sacris literis hac de causa sive humana membra, sive sensus, ac passiones Deo tribuuntur, debent per metaphoram explanari. Quod egregie probat Augustinus Epist. 148. ad Fortunatianum. *De membris Dei*, inquit, *quæ assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus formam & figuram nos crederet similes Deo, propterea eadem scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus; sic & cum audimus manus, operationem intelligere debemus; & cum audimus pedes, præsentationem, & cum audimus oculos, visionem, qua cognoscit; & cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit, &c.* Quamquam hæc Augustini verba præfatum argumentum penitus solvunt; singulas tamen ejus partes quambrevissime persequar. Itaque vocatur Deus *Ignis* præsertim ob iram adversus peccata, quemadmodum *fumus* ira ipsa appellatur Psalmo LXXX. v. 5. *Lucerna* etiam dicitur II. Regum cap. XXII. v. 29. quoniam lucis, gratiarum, ac omnis felicitatis est auctor. Ergo sicut nullus dixerit in Deo *fumum*, ac *lucernæ* molem reperiri, ita neque excogitari potest, Deum esse *ignem*. Imaginem Dei refert quidem homo, sed non corpore, animo solo, ac præeminentia & dominio, ut dicam suo loco. Anthropopathejæ autem, sive humanorum membrorum, ac passionum, quæ Deo tribuuntur, hæc est ratio: *Facies* significat intimam visionem, ac familiaritatem, unde de Angelis Mat. XVIII. 10. habetur, *semper vident faciem Patris*. Tribuuntur Deo *oculi* propter exactissimam rerum omnium notitiam; dicente Apostolo ad Hebræos IV. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Legitur Græce τετραχηλισμένα. Est autem τραχηλίζειν, detra-

detracta spina dorsi animal quasi anatomice dissecare: unde Apostolus vocabulum transtulit, & comparatione victimarum, quibus spina detrahitur, significat Deum, quasi facta anatomia, secreta omnia conspicere. *Aures* quandoque demonstrant, Deum ratas habere Fidelium suorum preces, ut Psal. cxxix. 2., quandoque vero nostram erga Deum servitutem, ut Ps. xl. 7. *Aures perfeciſti mihi;* quæ verba Messiam futurum significant erga Patrem obsequentissimum, translato verbo כָּרָה *perficere ac perfodere* ab exemplo servorum, quibus in perpetuum mancipatum aures perforabantur. *Manus* vel Dei potentiam, vel flagellum, vel mitem animadversionem, vel promissum significat, quod facile ex adjunctis verbis intelligitur; nam *extendere* manum idem est ac auxilium afferre, seu pœnam immittere: manum *alleviari* est mitius corripere: manum *reducere* est pœnas repetere: manus *expandere* est ad veniam & resipiscentiam invitare: manum *levare* est jurare ac promittere; & *plaudere* manu ad manum apud Ezech. xxi. aut manum *complodere*, est summe adversari, atque favere interfectoribus. In *brachio* robur: in *dextera* virtus innuitur ac potentia, in *digito* autem summa facilitas, mirabile artificium, ac donum Spiritus Sancti; quippe perfectiora ac pretiosa non extentis brachiis, maximoque corporis robore, sed summis digitis elaborantur. *Pedes* & immensitatem, & in conterendis hostibus indignationem significant; aliquando etiam Ecclesiæ doctrinam; nam pusilli solent ad præceptorum suorum pedes assidere. Idem de sensuum vocabulis dicendum est; *Auditus* enim pro benevolentia & gratia, qua preces exaudit, *odoratus* pro complacentia ac delectatione bonorum operum, *gustus* & *tactus* pro alacritate, & operatione sumuntur. Illud denique observandum est, quod *Corpus*, nuspiam in universis Bibliis tribuitur summo Deo, præterquam ubi sermo est de Christo: de quo multiplici ratione dicitur. Ac primo quidem ad significandam assumptam à Verbo carnem: deinde ad demonstrandam unionem, & complexum Ecclesiæ; postremo ad ostendendam novi Testamenti præstantiam, cujus veteres cæremoniæ figura erant & umbra. Eo sensu de Neomeniis, ac sabbatis ait Apostolus ad Colossens. ii. 17. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* His & plenissime solutum est argumentum, & ad plures divinarum literarum tropos exponendos latissima patet via.

CAPUT III.

Idem pertractatur argumentum, & de Divinorum attributorum agitur distinctione.

SUMMARIUM.

1. 2. Quam distinctionem in Divinis admiserit Gilbertus.
3. 4. 5. 6. Attributa Divina tantùm distinguuntur penes diversa connotata.
7. 8. Quo in sensu admittenda distinctio virtualis Thomistarum, & formalis Scotistarum.
9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Probatur, inter attributa nullam dari distinctionem intrinsecam.
16. Usque ad 29. variæ proponuntur, & solvuntur objectiones.
29. Nulla intrinseca compositio in Deo est admittenda.

Quam distinctionem in Divinis admiserit Gilbertus.

DIximus Gilbertum Porretanum erràsse in Deo intrinsecam ac realem distinctionem adstruendo, sed de ejus hæresi inter Scriptores non convenire. Nam quidam putant, errâsse quod distingueret Essentiam Divinam atque attributa ab ipso Deo, non autem eadem attributa ab invicem, ut Vasquez disp. 126. cap. 2. Claudius Frassen Tract. 1. disp. 2. art. 2. quæst. 2. quibus subscribit Nicolaus L'Herminier; alii contra asserunt, Gilbertum etiam inter Divina attributa realem distinctionem constituisse, ut Petavius lib. 1. cap. viii. Juenin dissert. iii. q. 1. in eamque propendit Eminentissimus Gotti Quæst. iv. dub. 1. §. 2. Antequam vero nostram de Attributorum distinctione proferamus sententiam, istud sit de Gilberto judicium.

PROPOSITIO I. Gilbertus distinxit Deum ab essentia, Personas à relationibus, & omne concretum ab abstractis; sed num sejunxerit Divinas proprietates ab invicem non satis constat, & videtur negativa sententia probabilior. I. Propositio I.

Brevissime probatur I. Quoniam Gilbertus idcirco accusatus fuit, quod negabat concedendam esse illam propositionem, *Deus est natura Divina*, aliasque Probatur.

que id genus, quibus abstracta enunciantur de concretis. Ulterius recensentur apud Baronium ad annum 1147. n. VII. errores Gilberti, de quibus fuit accusatus, & distinguuntur in quatuor principalia capita, quorum unum est de distinctione Dei à natura Divina, alterum de distinctione proprietatum personalium ab ipsis personis, tertium quod Personæ in nulla propositione possint prædicari, ultimum quod Divina natura non sit incarnata. At de distinctione attributorum ad invicem nec verbum quidem. Præterea Concilium Remense contra Gilbertum hanc edidit Fidei professionem: *Credimus, & confitemur, solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes sive proprietates, sive unitates dicantur, vel alia hujusmodi adesse ab æterno, quæ non sint Deus: & credimus simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas.* In qua Fidei professione damnatur distinctio realis inter concreta & abstracta, scilicet inter Deum, & deitatem, atque inter Personas, & relationes; at de proprietatum ab invicem distinctione nil penitus. Rursus Gilbertus in Commentariis ad Boëtium diserte profitetur justitiam ac sapientiam Dei ab ejus essentia non secerni. Denique nullus unquam Gilberto errorem istum impingit, quod attributa ausus sit ab invicem sejungere, neque S. Bernardus, qui Gilbertum profligavit, neque Gaufridus, neque Otto Frisingensis, qui licet erga Gilbertum propensior fuerit, &, teste Raderico, morti proximus testatus sit, se forsitan in historia Gilberti quemquam potuisse offendere, tamen in recensendis ejus erroribus, aut accusationibus, videtur rem acu tetigisse, si ejus historia cum Gilberti libris, ac Remensis Synodi definitionibus conferatur.

2. Oppositio. Opp. Gaspar Juenin. S. Bernardus, cui certe major habenda est fides, quàm Ottoni, Serm. LXXX. in Cantica ait, Gilbertum affirmavisse, Deum esse justum, bonum, sanctum, per formas, quæ à se invicem discrepent: Ergo distinxit justitiam à bonitate, tanquam formam à forma. *Recedant*, inquit Bern., *recedant à nobis, charissimi, recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate*, inquiunt, *Deus est; sed divinitas non est Deus.* Accedit testimonium Gaufridi Monachi Claravallensis, qui in Actis Remensis Concilii, quæ misit ad Cardinalem Albanensem, ait, Gilbertum docere, & credere, quod *Divina essentia, sapientia, bonitas, magnitudo non est Deus.* Item ausum fuisse dicere: *Forma Dei est Divinitas, qua Deus est, & ipsa non est Deus.* Eodem argumento ducitur doctissimus Cardinalis Gotti.

Solutio. Resp. utique plus deferendum esse D. Bernardo, & etiam Gaufrido, qui contra Gilbertum in Synodo Remensi steterunt, quàm Ottoni nimium fortasse in Gilbertum propenso. At Bernardus citato loco asserit, Gilbertum statuisse distinctionem inter sapientiam, justitiam, bonitatem, & divinitatem ex una parte, atque ipsum Deum ex alia; non vero sejunxisse sapientiam à justitia, justitiam à bonitate, bonitatem ab essentia. Idem affirmat Gaufridus. Certe non video Divina attributa istic tanquam secretas invicem formas, aut ab essentia sejunctas, connumerari. Erravit ergo, ac pessime, Gilbertus distinguens attributa & essentiam divinitatis ab ipso Deo: at unum attributum ab alio, singula vero ab essentia sejunxisse Gilbertum, nondum ex Bernardo audivi. Quin is lib. v. de Consid. cap. VII. scribit, Gilbertum admisisse in Deo *quaternitatem*, eo quod præter tres distinctas personas, etiam divinitatem à Deo ausus sit distinguere. Quod si comperisset adstrui ab eo distinctionem etiam inter attributa & essentiam, atque inter unam proprietatem & alteram, non quatuor tantum, sed longe majorem distinctorum numerum diceret esse à Gilberto confictum. Denique S. Bernardus eodem lib. v. de Considerat. cap. 7. aperte fatetur, Gilbertum docuisse, magnitudinem, bonitatem, justitiam, & alia ejusmodi unam esse divinitatem, sed hanc divinitatem non esse Deum. *Quartum hoc*, inquit, *omnino respuimus* (scilicet divinitatem qua Deus est, & quæ ipse Deus non est, ut asserebat Gilbertus). *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sane, catholiceque, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem: Verbi causa, dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia: sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum .... Scio, quod ad hæc respondere solent. Non multa*, inquiunt,

quiunt, *sed unam tantum divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum simplex perveniistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest.* Hæc Bernardus disputans, ut patet, contra hæresin Gilberti, quamquam suppresso istic ejus nomine, quod in conventu Remensi Episcoporum sententiæ humiliter acquieverit.

3. Propositio 2. PROPOSITIO II. Divinorum attributorum distinctio nulla est, nisi penes diversa connotata, ut docet Gregorius Ariminensis; & omnis distinctio intrinseca est à Deo procul eliminanda.

Prænotanda. Antequam vero hæc propositio demonstretur, quædam sunt breviter præmittenda. Ac primo quidem, nos minime negare distinctionem rationis extrinsecam, videlicet diversas mentis nostræ perceptiones, quibus E. G. substantiam Divinam à relationibus, aut misericordiam à justitia distincto sensu, ac notione intelligimus. Hanc enim distinctionem expresse comprobat Florentinum Concilium Sess. XVIII. in qua Latini Patres dixêre: *Nos dicimus substantiam, & personam, sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo*, respondentibus vicissim Græcis: *Hac in parte nulla est inter nos discrepantia.* Patres quoque contra Eunomium, qui contendebat, quælibet nomina, quæ de Deo enunciantur, eamdem habere significationem, & solo differre sono, singulis proprias subesse notiones unanimiter tradiderunt. Atque nullus quidem est ex Theologis, qui cum Patrem nominat, aut Filium, personam, suique juris subsistentiam à divinitatis essentia mentis apprehensione non separet, illam, non istam intelligendo.

4. De distinctione rationis. Hanc distinctionem rationis nullibi negat, quidquid dicant Vasquesius, Tournely, aliique Theologi, doctissimus noster Ariminensis. Is recte observat dist. VIII. art. 2. quod aliqua dicuntur distingui ratione dupliciter; primo modo, quod ipsa sint rationes & conceptus distincti; alio autem modo, quod eorum sint in mente nostra rationes, & conceptus diversi. Itaque negat distinctionem rationis priori modo explicatam, quoniam Dei perfectio non est conceptus animæ, sed res summa, & in se ab æterno subsistens. Cæterum distinctionem rationis secundo modo acceptam Gregorius diserte propugnat II. Concl. ejusdem articuli pluribus argumentis, inter quæ primum est illud obvium ac tritissimum: Quorumlibet nominum diversa significantium, vel connotantium diversæ sunt rationes: Attributa, ut manifestum est ex ipsorum definitione, sunt ejusmodi nomina, quæ diversa significant, vel connotant: Sunt ergo attributorum diversæ rationes. Itaque Gregorii sententia & distinctionem rationis complectitur, & è diametro pugnat cum errore Eunomii.

5. Elucidatio 1. Animadvertit autem Theologus ille, meo quidem judicio eximius, in attributis aliud esse quod principaliter significatur, aliud connotatum extrinsecum: verbi causa, misericordia principaliter significat Deum miserentem, connotatque extrinsece hominem miserum. Ergo contendit Gregorius, divinorum attributorum distinctionem attendendam nequaquam esse penes id quod principaliter significant, sed penes extrinseca connotata, ita ut justitia à misericordia distinguatur, quia illa connotat pœnam inflictam impio, hæc vero collatum misero beneficium.

6. Elucidatio 2. Hæc est sententia Gregorii, quæ cur aliquibus displiceat, me latet. Et primo videtur mihi concordare cum Doctrina Magistri, qui IV. Sententiarum distinct. XLVI. Cap. *Sed quomodo*, de justitia ac misericordia Dei hæc habet: *Justitia enim Dei, & misericordia non duæ res sunt, sed una res, id est una Divina essentia: quia non est Deo, aliud esse misericordem, quàm misericordiam, nec justum quàm justitiam, sed idem prorsus: nec aliud est ei esse misericordem quàm justum, vel misericordiam, quàm justitiam, sed omnino idem, quia non denominative, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit Scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam justitiæ? His responderi potest sic: illis locutionibus, quibus hujusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiæ, alia justitiæ tribuantur, non diversitas subjacentis, id est rei his vocabulis significatæ exprimitur, sed varietas sensuum & effectuum in creaturis monstratur. Cum enim dicitur Deus justus vel justitia, essentia Divina prædicatur, & etiam quod ipse sit distributor, & judex meritorum datur intelligi. Ita & cum dicitur misericors essentia Divina prædicatur, & insuper quod ipse sit miserorum liberator, intelligi datur. Inde ergo quædam opera misericordiæ, quædam justitiæ dicuntur, non quin Divina essentia hæc & illa operetur, & quin hæc & illa sint opera Divinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia & justitia; sed quia quædam sunt, quibus ostenditur*

ditur judex & æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator. Ex quibus patet Magistrum, justitiam ac misericordiam se jungere sola effectuum ac terminorum ratione, non rei subjacentis, atque his expressæ vocabulis; quæ est eadem prorsus sententia Gregorii.

7. De virtuali Distinctione.

Virtualem distinctionem, quam acerrime Theologi Thomistæ, & Ægidiani propugnant, si, ut jam ab omnibus explicatur, accipias pro summa ac perfectissima re, simplicissima quidem, sed pluribus rebus distinctis æquivalente, nemo, ut arbitror, negare potest. Quis enim negare potest infinitam Dei virtutem tantum valere, quantum distinctæ inter se creaturarum finitæ vires? Quis non libenter assentiatur Augustino scribenti xv. de Trin. cap. 17. *in Deo non distingui memoriam, intellectum, dilectionem sive charitatem, sed unum aliquod esse quod omnia valet?* Illud tantum minus placet, quod asserant doctissimi alioquin Theologi, plures ex parte objecti reperiri rationes, quarum una in esse cogniti non est altera. Hanc rationum diversitatem ex sola mente humana arbitror esse repetendam. Docent, hanc eorum distinctionem habere fundamentum in re, idque duplex, summam scilicet Dei simplicitatem, & realem distinctionem creaturarum, quibus illa dicitur æquivalere: unde Scholastici aliquando βαρβαρικῶς appellârunt distinctionem rationis ratiocinatæ. Nos contra fundamentum unicum agnoscimus in effectibus, terminis, connotatis: neque proinde summam illam simplicitatem negamus, sed distinctionem omnem aliunde repetentes, vellemus simplicissimam Dei perfectionem magis asserere. Queruntur, Gregorium nec etiam per intellectum attributa distinguere: verum id quo sensu sit accipiendum, satis prænonui; non enim ille uspiam inficiatur diversorum attributorum diversas esse rationes; sed illud tantummodo, quod hæc diversitas repetenda sit penes id, quod principaliùs significant. Non est ergo tam atrox, & aspera nobis cum doctissimis theologis colluctatio, si res penitius inspiciatur, & ad trutinam revocetur.

8. De distinctione formali Scoti.

A prædicta virtuali distinctione nomine tenus differre *formalem* Scoti, atque *intentionalem* Henrici, arbitrantur, Herrera, Suaresius, Gavardi, aliique plures, propterea quod ipse Scotus in 1. Sent. dist. 2. q. VII. distinctionem suam *differentiam virtualem* appellat. Et quidem *formalitatum* vocabulo neque rerum diversitatem, neque accidentium, quæ in Deo non sunt, vir disputandi acumine celebris voluit significare, sed diversas rationes suis definitionibus notas, quas placuit Henrico nominare *intentiones*, veteribus Thomistis rationes *objectivas*, vocibus forte ad offundendas luci tenebras excogitatis. Quæ si vera sunt, implacabile illud utriusque Scholæ dissidium verborum erit, non rerum. At modo illuc controversiæ status devenit, ut diversæ illæ rationes juxta Scoti distinctæ sint ante mentis operationem, secundum Thomistas vero virtute sola, ac potentia: nam Henricus in creaturis quidem formalem distinctionem agnoscit, sed non in Deo; Scotistæ vero utrobique. Atque hanc fuisse sententiam Scoti erui potest ex 1. Sent. dist. VIII. quæst. IV. unde vereor, quin Theologis, quos memoravi, fucum fecerit speciosum *virtualis differentiæ* vocabulum. Hæc de attributorum distinctione deberent frugi Theologo sufficere: sed ut morem geramus Scholæ, erit nunc ad argumentationes procedendum.

9. Probatur nullam dari intrinsecam Distinctionem inter Div. attributa.

Itaque nullam intrinsecam distinctionem dari inter divina attributa, sic demonstro. Intrinseca distinctio aut *realis* est, aut *formalis*, aut *virtualis*, quæ fundamentum habeat ex parte objecti; virtualem enim extrinsecam, quæ habeat fundamentum penes effectus, & connotata, dari fatemur: Neque realis, neque formalis, neque virtualis distinctio inter divina attributa intercedit: Ergo nulla. Prob. mi. de distinctione reali: I. Ex allata definitione Florentini Concilii Sess. XVIII. & ex Conc. Lateranensi cap. *Firmiter*; ubi definiuntur omnia, quæ reperiuntur, in Deo unam esse substantiam, unam rem, unam naturam. II. ex PP. etenim Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 5. ait: *Una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis, itemque cum dicitur vivens, & intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam, qua esset sapiens, sed ipse sapientia est.* Quod unanimi consensu cæteri omnes Patres confirmant. III. Ratione: Omnis realis distinctio exoritur sive ex limitatione, ut evenit in rebus creatis; sive ex oppositione relationis, ut in Personis individuæ Trinitatis: Inter divina attributa non est realis distinctio ex limitatione proveniens, cum sint infinita, non consurgens ex relatione, cum non opponantur: Ergo, &c.

10. Probatur de Distinctione formali.

Probatur thesis nostra de distinctione *formali*. I. Quia Patres solam distinctionem rationis inter Dei essentiam, ac proprietates, atque inter has invicem agnoverunt. *Discrepant*, inquit Damascenus lib. IV. cap. 3. ἐπινοίαις λεπταῖς, *subtilibus cogitationibus*: κατὰ τὴν ἐπίνοιαν, *secundum considerationem*, in primo adversus Eunomium Basilius; *cogitatione*, *sive ratione*, in Florentino Concilio Joannes Theologus. Quæ dum Scotistæ exponunt per distinctionem oppositam reali, extra intellectum tamen existentem, videntur quoque extra mentem locare ἐπίνοιαν, *rationem*, *cogitationem*: At consideratio & cogitatio frustra extra intellectum quæruntur: Ergo & incassum excogitatur extra mentem attributorum distinctio. Ad hæc: Gilbertum, qui divinitatem sejungebat ab ipso Deo, impetit hoc duplici telo Bernardus: *Si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse. Sed ne nihil quidem (ut opinor) dabis; Quod si aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor qua Deus est? Restat ut aut majorem facias, aut minorem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus: si par, duo sunt summa bona, non unum.* Hæc serm. LXXX. in Cantica. Et lib. V. de Consid. cap. 7. *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Si approbas; non oportet assentiaris esse aliquid, quo Deus sit, & quod Deus non sit: hoc enim sine dubio melius.* Longe quidem abest ab hæresi Gilberti Scotistarum sententia, & qui consentire affirmant, hi procul dubio decipiuntur. Nihilominus hæc duo Bernardi argumenta quatere videntur Scoticam distinctionem. Ac primum; nam hæ subtilis Theologi *formalitates* quid sunt? aut Deus sunt, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Si eadem sunt Dei natura; quomodo ab ea distinguuntur? si Deus non sunt, erunt creatum aliquid; sive substantia illud sit, sive accidens: si nihil sunt, stulti videntur qui de nihilo tantas instituunt disputationes. At reponunt, has formalitates esse quidem divinam essentiam realiter, sed non *formaliter*. Verum quid sibi velint, crassioris ego, rudisque minervæ non capio. Nam si quidquid est, aut Deus est, aut creatura est, aut nihil est: erunt hæ formalitates aut Deus, aut creatura, aut nihil; eritque hæc distinctio formalis vel distinctio Dei à creatura aut à nihilo, vel distinctio nihili à creatura, vel distinctio nihili à nihilo. Alterum D. Bernardi contra Gilbertum telum erat: Deo nihil melius cogitari potest: Cogitari potest Deus indistinctus à deitate, qui utique melior est ipso Deo à divinitate distincto: Ergo Deus, qui à divinitate distinguitur, non est Deus. Atque idem sic potest contra Scoti sententiam urgeri; simplicitate, quæ plures *formalitates* actu distinctas compatitur, perfectior cogitatione nostra est ea simplicitas, quæ rejicit actualem plurium *formalitatum* distinctionem: In Deo admittenda est simplicitas, qua perfectior cogitari non potest: Ergo in Deo ea simplicitas admittenda est, quæ actualem excludat plurium *formalitatum* distinctionem.

11. Objectio Scoti solvitur.

Compertum mihi est respondere Scotum, plures illas formalitates nullam facere compositionem, quoniam non habent rationem actus & potentiæ, ut de divinis Personis omnes fatemur, quæ licet distinctæ, divinam minime tollunt simplicitatem. Cæterum inane videtur ejusmodi effugium. Quidquid enim sit de compositione, quam do à Scotistis vitari; quomodo unitatem ac simplicitatem salvant, ubi plura seipsis distincta constituunt? quomodo est summe unum, quod non est actu natura sua indivisibile? Exemplum vero divinarum Personarum non est ad rem: in his enim non potest cogitari unitas, nisi ratione essentiæ atque attributorum, à quibus neque ipsæ Personæ *formaliter* distinguuntur. Ut *Personæ* realiter sunt distinctæ ob relativam originis oppositionem. Denique de hac formali distinctione loqui videtur Joannes Gerso in quadam Epistola data anno 1426. ad Fratrem Ordinis Minorum; in qua hæc habet: *Damnata est nuper per Prædecessores meos in Sacra Theologiæ facultate sub pluribus articulis Doctrina, quam nonnulli solum impune subtilem garriunt, quam ignorantes veluti picæ loquacissimæ stabilire nituntur, cum sit mera insania, & vanitas falsa. Unus articulus inter cæteros est; Quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.* Suspectam esse relationem Gersonis putat doctissimus L' Herminier Scoticæ distinctionis propugnator acerrimus, quod neque damnationis annus, neque articuli auctor prodatur, sed Honoratus Tournely utrumque invenit. Scribit enim retractatum eumdem articulum à quodam Ludovico anno 1362. Proscripserat quoque eumdem artic. anno 1276. Stephanus Parisiensium Episcopus. Non ausim tamen asserere tam grave celebris

bris sententiæ præjudicium. Rigidius Parisiensium sese gerebat Academia, ne resurgeret superioris sæculi hæresis, videlicet Gilberti. Eam Theologi etiam Scotistæ damnant: quamquam Dionysius Petavius lib. 1. cap. VIII. n. 8. hæc pronunciat: *Ab hac vero vel nihil, vel parum discrepare Scholasticorum aliquot opinio creditur, ut Scoti; qui citra notionem, & intelligentiam nostram per se ab essentia Divina differre proprietates, & inter sese ipsas, existimat.*

12. De Distinctione virtuali intrinseca.

Demum distinctio virtualis intrinseca, qua ex parte objecti statuuntur diversæ rationes ante operationem mentis potentia distinctæ, facile obruitur. Contendunt quippe Thomistæ, Divina attributa esse unum reipsa, plura tamen, ut inquiunt, conceptibiliter, id est, summam illam rem, quæ Deus est, non ex solo intelligentiæ nostræ modulo, sed ex propria natura, atque amplitudine esse multiplici ratione perceptibilem; non confuse tantum, & permixte, sed cognitione clara & distincta, adeo, ut etiam ex parte objecti una Divina perfectio non involvatur in alia. Quis autem implexam hanc, opertamque doctrinam recte perspicit, & assequitur? Ego sane non video, quomodo consistat in una, eademque re penitus indistincta illa multiplex dilucida & expressa *cognoscibilitas*. Ejusdem enim indivisibilis entitatis sicut una est simplex veritas, ita ex parte objecti una simplex *cognoscibilitas* statui debet; ideoque cognoscibilitas varia & multiplex aut non erit distincta & clara, aut secernenda erit tantummodo per extrinseca objecta, quæ dicimus connotata.

13. Argumentationes contra Thomistas.

Afferamus nihilo secius adversus labilem illam, & flexiloquam Thomistarum sententiam argumentationes nonnullas. Ac prima sit: Istæ rationes objectivæ quo pacto intelligentia nostra sejunguntur? Aut cogitatio mentis nostræ est causa efficiens, qua prædictæ rationes distinguuntur actu, aut causa formalis. Si causa efficiens, aut divinas proprietates re ipsa separat, aut sola cogitatione: si re ipsa, ergo Divinam tollit simplicitatem; si sola cogitatione, ergo distinctio est in sola mente, quæ cogitat. Si vero eæ rationes objectivæ distinguuntur per intellectum tanquam per causam formalem; aut tanquam per formam ipsis intrinsecam, sicut unum accidens dicitur distinctum ab alio, aut tanquam per formam extrinsecam, sicut quælibet res distinguitur à seipsa per comparationem ad plura extrinseca connotata; V. G. una, eademque extensio, quæ si ad diversas referatur, erit major & minor, æqualis & inæqualis. Profecto Divina attributa non distinguuntur ratione, tanquam intrinseca forma, quum conceptus nostri extrinseci sint objecto; Ergo distinguuntur ratione tanquam per formam extrinsecam, qua ad plura connotata comparantur; quæ est distinctio Gregorii. Præterea: Divina attributa vel distinguuntur ratione aliqua ipsis intrinseca quæ sita sit extra mentem humanam, vel ratione extrinseca, id est sola humanæ mentis cogitatione: Si primum affirmant Thomistæ, virtualis distinctio erit prorsus idem cum distinctione formali Scotistarum: nam sive dixeris cum D. Thoma 1. dist. 22. q. un. art. 3. etiam in Deo *inveniri distinctionem rationum, quæ realiter & vere in ipso sunt*, sive cum Scoto distinct. v. quæst. ult. mavis appellare *formalitates*, parum refert; unde merito Franciscus Henno Quæst. 2. concl. 3. prope finem, advocat sibi Doctoris Angelici patrocinium. Quod si velint distingui attributa sola ratione ipsis extrinseca, nostris scilicet cogitationibus; habemus intentum. Postremo: Nunquam ratione & cogitatione nostra res ipsa intrinsece fieri potest non ipsa: Ergo nunquam ratione, & cogitatione nostra res ipsa distinguitur à seipsa; ideoque omnis distinctio rei simplicissimæ, nihil est aliud quàm rationum ac perceptionum nostrarum diversitas.

14. Responsio Thomistarum.

Respondent Thomistæ, utique Divinas proprietates sola intelligentia ac ratione nostra distingui: sed hujus distinctionis dari intrinsecum fundamentum, infinitam nempe Dei perfectionem, quæ pluribus realiter distinctis æquivalet.

15. Responsioni satis fit.

Duo hac responsione vulgatissima comprehenduntur: unum dari in Deo summam infinitamque perfectionem pluribus æquipollentem, & hanc nullus omnino denegat; alterum hanc summam perfectionem esse fundamentum distinctionis; idque gratis asseritur. Etenim dum intelligentia nostra Deum infinite quidem perfectum percipimus, & divinam aliquam cogitamus proprietatem, vel mens nostra id contemplatur absque ullo ordine & absolute, vel cum referentia & comparatione ad aliquem terminum. Si Deum concipio absolute ut existentem, aut bonum, aut justum, impari licet cogitatione, non distinguo existentiam à bonitate, neque bonitatem à justitia. Distinguo tamen unum ab altero, dum cogito existentiam in se, misericordiam comparate ad miseros, justitiam relate ad rectos vel

impios, quibus mercedem aut pœnam rependit. Fundamentum itaque distinguendi divina attributa inter se hoc unum est, quod cogitationes nostræ modo Deum spectant ut est in se, modo ut refertur ad aliud: & si de solis attributis sermo instituitur, unum ab alio sejungitur, quoniam ad varios terminos comparantur. Fictitium est ergo fundamentum illud intrinsecum, quod in summa Dei perfectione cogitatur, absque comparatione ad extrinseca connotata. Ipse Gabriel Vasquez, qui Gregorium impugnat dis. CXVII. cap. 3. probat divina attributa non posse distingui sine respectu ad creaturas, quod etiam demonstrare conatur ex D. Thoma. Et Hugo Victorinus Quæst. CCXV. in Epistolam ad Romanos, docet sapientiam, scientiam, prævidentiam, cæterasque divinas proprietates esse diversa nomina, quæ *divina usia, cum sit una & simplex, propter varios effectus sortitur.* Hi ergo effectus ac termini diversis cogitationibus nostris fundamentum suppeditant.

Reliquum est, ut argumentationes expendantur, quæ pro Scoti sententia afferunt Frassen, Hennus, L' Herminier, qui tamen repetunt pervulgata Fabri ac Mastrii momenta; tum si quæ supereſſe videbuntur contra Gregorium, quem impugnant loco cit. Vasquesius, Juenin, Gotti, & ex nostris quoque quamplurimi.

SATISFIT ADVERSARIORUM ARGUMENTIS.

16. tres objectiones Scotistarum.

Opp. 1. In Deo voluntas, & intellectus, bonitas, & justitia ante quamcunque mentis operationem distinguuntur: Distinguuntur ergo natura sua, ac *formaliter*. Ant. probatur 1. Intellectus, voluntas, misericordia, justitia, aliaque divina attributa diversis definitionibus describuntur: Habent ergo diversam in se *formalitatem* atque naturam. Deinde: Deus intelligit peccata, quæ non vult; & confert uni victricem gratiam misericorditer, alteri eam juste denegat: distinguuntur itaque divinus intellectus à voluntate, atque à misericordia justitia. Rursus: Filius, cum sit Verbum Patris, procedit per intellectum, Spiritus Sanctus, cum sit utriusque Amor & Charitas, per voluntatem: Sunt ergo intellectus ac voluntas Dei duo principia suapte natura sejuncta. Denique de eadem omnino re verificari nequeunt contradictiones: Atqui de voluntate & intellectu Patris, de justitia ac misericordia, ut colligitur ex dictis, contradictiones verificantur: Ergo intellectus & voluntas, misericordia & justitia non sunt idem omnino *formaliter*.

Solutio 1.

Resp. nego ant. Ad 1. probat. dico, diversas divinorum attributorum definitiones non explicare diversas res atque essentias, aliàs divinæ proprietates reipsa & essentialiter forent distinctæ; sed unam eamdemque rem, quatenus plura respicit connotata. Quod Magister ostendit apertissime in IV. sent. dist. XLVI. neque dissentit Ægidius in 1. dist. 33. q. 2. docens, ex diversitate definitionum solam inferri perceptionum nostrarum distinctionem. Atque missis Scholasticis, magnus Basilius Epist. LXXX. docet, quod omnes Deo convenientes notiones ac voces, τῷ μηδὲν πρὸς τὸν τῆς ὑποκειμένης διαφέρειν σημασίαν, *nullum habent in rei subjectæ significatione discrimen.* Augustinus quoque lib. XV. de Trinit. cap. ult. ait, quod cessabunt in Patria multa, quæ nunc de Deo dicimus, neque erunt ibi volubiles hominum cogitationes, quia *omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Ex quo Henricus Florez demonstrat suam quoque distinctionem virtualem in cælesti patria evanescere; atque inde consequitur, has omnes divinarum rerum notiones ex variis provenire effectibus, ex quibus Deum cognoscimus tanquam per speculum, & ænigma. Distinguo igitur propositionem: Divina attributa diversis describuntur definitionibus, quæ demonstrant aliquod in re subjecta discrimen; nego: in effectibus & connotatis; concedo.

Solutio 2.

Dissolvitur pari ratione 2. probatio: si enim de re vocabulis subjacente loquamur, & voluntas intelligit, & intellectus vult, & misericordia punit, & justitia miseretur, quoniam hæc præstat eadem essentia penitus individua, dicente Augustino XIII. de Civit. Dei cap. 13. *Essentia tua scit, & vult incommutabiliter, & scientia tua est, & vult incommutabiliter, & voluntas tua scit & vult incommutabiliter.* At vero diversæ illæ enunciationes, *Intellectus non vult, misericordia non punit*, ac similes, spectant ad divinas proprietates & attributa, non quatenus in se sunt, sed comparate ad connotata; nam intellectus est divina essentia ut omnium rerum scrutatrix, voluntas ipsamet essentia ut approbans bonum, aut malum permittens, misericordia essentia eadem, ut sublevatrix miserorum; ita ut multiplicitas attributorum ex effectuum varietate

rietate tantum consurgat. Quod singulari exemplo in ipsa Dei scientia verum esse monstratur. Deus enim unica intellectione omnia videt tam præterita, quàm futura, & consequenter præscientia & Dei intellectio sunt idem omnino; & tamen præteritarum rerum est intellectio, quarum non est præscientia, non alia de causa, nisi quia præscientia dicitur connotative ad futuras. Quare diversa connotatio omnes illas enunciationes, quæ videntur oppositæ, planas reddit: neque ad eas verificandas requiritur distinctio aliqua intrinseca. Per quæ diluitur quoque ultima argumentatio.

18. Solutio 3. Ad tertiam vero repono, mysterium esse imperscrutabile, cur Spiritus Sanctus non sit Filius, quemadmodum est Verbum, vel saltem comentitium esse duplex illud principiorum discrimen, quod ab intellectu ac voluntate repetitur, in eo saltem sensu, quo dicuntur *formalitates* à natura distinctæ: nullam quippe certam rationem possumus assignare, nisi forte quod Verbum est Filius quia procedit ab uno, Spiritus Sanctus est amor, quoniam est à duobus. Atque illud accedit, quod unum idemque potest esse principium diversarum operationum, ut eadem lux illuminat, & calefacit; eadem creata voluntas diligit, & odio habet; eadem volitio divina est causa effectrix omnium creaturarum. Repetendum est itaque quodcunque discrimen divinarum operationum à connotatorum diversitate: at hæc in libro IX. qui erit III. de Trinitatis mysterio, erunt recudenda.

19. Opponitur 2. Opp. 2. Intrinsecam aliquam divinarum proprietatum discrepantiam apertissime tradunt Patres; ac præsertim Augustinus. Qui lib. VIII. de Trinit. cap. 2. probat, duas divinas Personas non esse *aliquid majus*, quoniam non sunt *aliquid verius*. Supponit ergo veritatem à Dei magnitudine esse distinctam; nihil enim probatur per idem. Et lib. v. ejusdem operis cap. v. docet, relationes à substantia distingui: *Non enim omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur; dicuntur enim ad aliquid sicut Pater ad filium.* Lib. quoque XV. cap. 3. docet, omnes divinas perfectiones esse æquales: æqualitas autem inter duo extrema intercedit. Denique lib. 3. contra Maxim. cap. 10. ait: *Si in una persona Patris & illa invenis quæ plura videntur, & partes non invenis: quanto magis & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus & propter uniuscujusque proprietates tres personæ sunt, & propter deitatem individuam unus Deus est, &c.* Quæ Augustini argumentatio ridicula foret, inquit Frassenius, nisi intrinsecam distinctionem admitteret: quippe redderet sensum: Non officit divinæ simplicitati distinctio rationis attributorum; Ergo neque officit divinæ simplicitati realis distinctio Personarum. Hæc autem consecutio omnino est inepta atque explodenda. Igitur Augustinus discrepantiam aliquam majorem distinctione rationis inter divina attributa constituit.

20. confirmatur. Accedit Damascenus, qui lib. 1. de Fide Orth. cap. 41. & 49. disertissime docet, quod: *Si dixeris bonum, justum aut quid tale; non naturam Dei dicis, sed quæ circa naturam*: censet ergo bonitatem, ac justitiam à natura distingui. Eadem docet Gregorius Nyssenus Orat. 12. contra Eunomium, & Nazianzenus Orat. XXXIII. Quibus nihil clarius & expressius pro sua formali distinctione posse proferri, existimat Franciscus Hennus.

21. Prænotanda ex S. Aug. quid sint attributa divina. Verum hæc nil penitus me conturbant. Atque ut omnia, quæ proferuntur ex Augustino, uno verbo exsufflentur, operæ pretium est præmittere, quid sint juxta Sanctum Patrem divina attributa. Fontem universæ doctrinæ suæ aperit Serm. XL. de Temp. cap. 7. In quo docet justitiam, sapientiam, intelligentiam, & quidquid Deo tribuimus, esse unam simplicissimam Dei unitatem, & varias affectiones animæ nostræ, quæ multiplices fiunt ex rerum creatarum contemplatione, sed in Deo ratione longe diversissima continentur, sunt enim in illo, tanquam in causa, & principio eminentissime ac simplicissime. Idque Augustinus explicat exemplo lucis, qua funduntur in rebus corporeis multiformes colores, albus, flavus, rubeus, viridis, aliique. Lux autem in se neque alba est, neque flava, neque rubra, neque viridis, sed una qualitas, quæ illata corporibus illustrat omnia, diversoque aspergit nitore. *In Deo*, inquit, *omne quod dicitur idipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas, & aliud prudentia, & aliud fortitudo, & aliud justitia, & aliud castitas. Quidquid horum de Deo dicitur, neque aliud, & aliud intelligitur, & nihil digne dicitur. Quia hæc animarum sunt, quas illa lux perfundit quodammodo, & pro suis qualitatibus afficit:* & infra: *Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene affectæ sunt ab illa luce, quæ non afficitur; & formatæ ab illa, quæ non for-*

formatur. Hæc Augustini verba, & exemplum lucis ab eo prolatum *omnem cavillationem elidunt*, inquit clarissimus Thomassinus lib. IV. Theol. dogmat. c. XI. n. 6.

22. Solvuntur tres objectiones Scotistarum.

Resp. itaque ad primum, magnitudinem, & veritatem distingui, quatenus sunt affectiones & notiones animæ nostræ, quæ ex variis Dei effectibus & operibus multiplices haurit perceptiones, non autem distingui quatenus sunt in Deo, qui eminenter ac simplicissime continet omnem magnitudinem ac veritatem, sicuti color flavus ac ruber distinguuntur, prout sunt corporum affectiones, non prout continentur in luce. *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, sed eadem magnitudo ejus quæ bonitas, eadem bonitas quæ sapientia*, ait idem Augustinus lib. VI. de Trinit. cap. 7. Ad 2. nego, S. Patrem distinguere relationes à substantia; ait enim ejusdem operis lib. VII. cap. 6. *Quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse: ita hoc illi est esse, quod personam esse*: Atqui essentia nullo pacto intrinsece distinguitur à divinitate, imo per Scotum dist. XXXV. quæst. 1. art. 4. neque distinguitur ab *intellectualitate*: Ergo per Augustinum nullatenus distinguitur magnitudo à bonitate, neque Divina essentia à Persona. Verum tamen est, quod non omne vocabulum de Deo prolatum idem prorsus significat; sed hoc nomen *substantiæ* significat essentiam prout est in se; hoc nomen *Patris* significat eamdem essentiam prout connotat Filium; ideoque sola discrepantia monstratur nominum, connotatorum, & existentium in mente nostra cogitationum. Ad tertium dico æqualitatem ibidem usurpari pro unitate, quo sensu contra Arianos tradunt Patres Filium esse æqualem Patri, id est, unum substantia: vel accipiuntur attributa prout cogitatione nostra distinguuntur in ordine ad connotata, tam enim relucet infinita misericordia in distributione gratiarum, quàm infinita justitia in retributione mercedis. Ad 4. dico, hanc esse vim illius Augustiniani argumenti contra Maximinum: Bonitas & sapientia non sunt partes divinitatis, quia à divinitate non distinguuntur: Ergo Divinæ Personæ non sunt partes essentiæ, qui ab Essentia non distinguuntur. Non supponit igitur Augustinus distinctionem attributorum ab invicem, sed solam indistinctionem ab essentia, quam fatebantur Ariani. Atque inde probat, neque Divinas Personas esse per nos partes divinitatis, quia per nos nullatenus à divinitate secernuntur. Redarguit quoque S. Pater Hæreticum ex verbis ejusdem. Dixerat namque Maximinus, Deum esse Dominum, Regem, Creatorem, bonum, sapientem, clementem, nec tamen esse compositum ex partibus, quia hæc omnia sunt una eademque simplex virtus. Itaque, inquit, neque Personæ partes erunt, quia sunt eadem *Deitas individua*. Miror tamen, clarissimum Claudium Frassen nequaquam advertere, quod sicut explodenda est hæc argumentatio: Non officit Divinæ simplicitati distinctio rationis: Ergo non officit distinctio realis; ita ridenda esset altera, Attributa non habent rationem partis, quia *formaliter* distinguuntur: Ergo neque habent rationem partis Divinæ Personæ, quæ distinguuntur realiter. Non enim à distinctione *formali* ad realem tenet consecutio. At Frassenius argumentationem illam exscripsit à Fabro in 1. dist. 2. quæst. 7. disp. 20. cap. 3.

23. Solvuntur objectiones Damasceni, aliorumque Patrum.

Ad Joannis Damasceni, aliorumque Patrum testimonia, respondeo, hæc nomina, *bonum, justum &c.* non Dei naturam significare, sed quæ circa naturam sunt, secundum cogitationem nostram, non re. Etenim nos Divinas perfectiones cogitamus tanquam adventitias substantiæ, ut ait eodem libro cap. II. Damascenus: *Quod ibi commune est & unum, re consideratur, quoniam una est trium æternitas, & eadem essentia, actio, voluntas. Cogitatione vero constat quod est distinctum.* Atque in proprietatibus personalibus ibidem præter distinctionem κατὰ ἐπίνοιαν, *secundum cogitationem*, statuit rationem *causæ, & ejus quod est ex causa*. Elidit dubitationem omnem Augustinus scribens lib. XV. de Trinit. cap. 5. *Si dicatur Deus æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus; horum omnium novissimum quod posui, scilicet spiritus, quasi tantummodo videtur significare substantiam: cætera vero hujus substantiæ qualitates. Sed non est ita in illa ineffabili simplicique natura: quidquid enim secundum qualitatem illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim, ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem: sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cætera quæ commemoravimus.*

24. Opponitur 3.

Opp. 3. Minor est distinctio inter bonum, & bonitatem Divinam, quàm inter

inter bonitatem & justitiam: Inter bonum, & bonitatem est distinctio rationis: Ergo inter bonitatem & justitiam est distinctio major distinctione rationis.

Solutio. Resp. dist. majorem. Distinctio minor intrinseca, nego: extrinseca, co. Bonitas discrepat à bono cogitatione nostra, quæ concipit bonitatem adinstar qualitatis advenientis subsantiæ: & differt à justitia cogitatione nostra, quæ concipit bonitatem adinstar qualitatis adventitiæ, & connotantis objectum diversum ab objecto justitiæ. Quamquam enunciationes illæ, Deus bonus est bonitate, & justus justitia, indignæ videntur viro Theologo, & subolent quodammodo hæresim Gilberti. Melius enim dicitur, Deus est sapientia, & Deus est justitia, vel Deus est sapiens sapientia quæ ipse est, Deus est justus justitia quæ ipse est, cum Deus sit ipsa sua bonitas, ipsa sua sapientia, ipsa sua justitia, ipsa sua magnitudo. *Sed dicit hæreticus*, (verba sunt Bernardi Serm. LXXXX. in Cant.) *Deum divinitate esse dicis? Non, sed eamdem divinitatem qua est, Deum nihilo minus affero, ne Deo excellentius aliquid esse assentiar. Nam & magnitudine dico magnum, sed quæ ipse est, ne majus aliquid Deo ponam; & bonitate fateor bonum; sed non alia, quam quæ ipse est, ne melius ipso aliquid mihi videar invenisse. Et de cæteris in hunc modum securus & liber pergo inoffenso, ut ajunt, pede in ejus sententiam, qui dicebat, Deus nonnisi ea magnitudine magnus est, quæ est quod ipse; alioquin illa erit major magnitudo, quàm Deus. Augustinus hic est validissimus malleus hæreticorum.* Hæc Bernardus, qui acurate legerat quæ habet S. Pater lib. de Trinit. v. cap. 10.

25. Opponitur 4. Opp. 4. Sapientia in communi non est *formaliter* bonitas in communi: Ergo infinita sapientia non est *formaliter* infinita bonitas. Probatur ant. Si sapientia in communi esset *formaliter* bonitas in communi, sapientia creata esset *formaliter* bonitas creata: Sapientia creata non est *formaliter* bonitas creata: Ergo sapientia in communi non est *formaliter* bonitas in communi. Consequentia autem tenet, quippe esse infinitum, aut creatum formalem rationem sapientiæ ac bonitatis non destruit. Quod est præcipuum Scoti argumentum.

Solutio per retorsionem. Resp. Gregorius sic retorqueri contra Scotum præfatam argutationem: Si sapientia infinita esset realiter bonitas infinita, sapientia in communi esset realiter bonitas in communi, & consequenter bonitas creata esset realiter sapientia creata: Atqui per Scotum sapientia in communi non est realiter bonitas in communi: Ergo sapientia infinita non est realiter bonitas infinita. De qua argumenti retorsione vide Fridericum Gavardi Quæst. 2. de Attributis art. VII. qui eam vindicat à Fabri cavillis. Nam is Gregorium vocat insulse argutantem, quippe qui ab identitate reali progreditur ad formalem. At Faber minime assecutus est acumen Gregorii: cujus argumentationis vis in eo sita est, quod sicuti se habent plures realitates in specie ad realitatem in communi & in genere, ita se habent plures formalitates in specie ad formalitatem in communi & in genere: Sed ex quo bonitas & sapientia essent idem formaliter in specie infert Scotus, quod bonitas & sapientia deberent esse idem formaliter in communi & in genere: Ergo ex quo bonitas & sapientia sint idem realiter in specie, inferri debet, quod bonitas & sapientia sint idem realiter in communi, & in genere. Atqui bonitas infinita & sapientia infinita sunt idem realiter: Erunt ergo idem realiter sapientia & bonitas in communi, & per consequens idem realiter erunt quoque sapientia & bonitas creata. In quo argumenti genere Gregorius exacte servavit regulas proportionum apprime iis necessarias, qui *à paritate* volunt argumentari, ut in libro de utilitate Matheseos admonet noster Rabbius.

Solutio. Sed ea retorsione prætermissa, ad argumentum Scoti nego consequentiam; non enim est inconveniens aliquid esse de ratione inferioris, quod non est de ratione superioris. Scotus namque tenet, Divinam essentiam esse *formaliter* vitam intellectualem, & tamen essentia in communi non est *formaliter* intellectualis vita in communi. Hæc Gregorius. Cæterum sapientia, & bonitas in communi, & in genere, sunt ideæ mentis, quas *universalia* appellant dialectici: neque fas est ab humanæ cogitationis figmento ad rei veritatem argumentationes deducere.

26. Opponitur 5. contra Gregorii sententiam. Opp. ultimo contra Gregorii sententiam. Hæc Nominalium opinio est eadem prorsus cum hæresi Aëtii, atque Eunomii: Ergo falsa est, & penitus abjicienda. Probatur ant. Eunomius asserebat, quælibet Divina attributa differre tantum nomine tenus, ita ut omnia forent synonima, quibus ex parte objecti nulla subesset notionum diversitas, & qui unum perciperet, comprehenderet universa. Adversus hunc errorem

ait Basilius lib. 1. *Quonam igitur pacto non erit deridendus, si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam? &c.* Et infra: *Nonne manifesta est insania, si dicas proprium significatum unicuique nomini subjectum non esse, sed contra verborum vim decernas nomina omnia idem inter se valere?* Atqui Ariminensis defendit solam discrepantiam nominum; quibus ex parte rei significatæ una eademque notio respondet: Ergo ejus opinio est hæresis Eunomiana. II. Aut Gregorius nominibus, quæ dicuntur de Deo, idem tribuit significatum, aut diversum: Si idem prorsus, in eam incidit confusionem synonimorum, quam exprobrat Eunomio Basilius: si diversum, oportet admittat aliquam differentiam rationis non solum ex parte intellectus cogitantis, verum etiam ex parte rei significatæ, asseratque cum Cyrillo xxxi. Thesauri. *Non omnia ergo, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant: reliquum est igitur in voce modoque dicendi accidentia dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* III. Eunomius neque negabat, neque negare poterat distinctionem connotatorum, credebat enim, se ex creaturis Deum perfecte comprehendere; & tamen Patres aliam notionum discrepantiam ab eo exigebant: Ergo præter differentiam connotatorum admittenda est distinctio rationum ex parte objecti. Hinc Petavius post acerbiorem illam in sententiam Scoti censuram, quam supra commemoravi, ait: *Ad Aetii, & Eunomii placita implicati videntur generis alterius Theologi, quos Nominales vocant, qui in iisdem illis proprietatibus solum nominum discrimen agnoscunt; cum ne intelligentia quidem nostra invicem distincta sint.*

27. Notanda de Eunomii sententia.

Ut plane his satisfaciam, & sententiam nostram ab omni vindicem Eunomianæ hæreseos suspicione, maximam inter utramque discrepantiam præpono. Eunomius itaque dicebat, varia, quæ Deo tribuuntur nomina, etsi diversa sunt vocibus, idem tamen sonare, & eamdem habere cum nomine *Ingeniti* significationem: ut constat ex Basilio lib. 1. laudato. Gregorius contra docet, attributa & voce differre, & non esse synonima, quoniam synonima sunt, quæ neque diversa significant, neque diversa consignificant, ut si dicas *Simon, Petrus, Cephas:* At si idem significant, diversum autem consignificant, non sunt dicenda synonima, ut *Jonæ filius, piscator, princeps Apostolorum, frater Andreæ*, quæ nomina significant eumdem Petrum, sed consignificant diversa, nempe patrem, munus, præeminentiam, consanguinitatem: & consequenter Divina attributa, quæ diversa consignificant, minime esse synonima; ita Gregorius dist. viii. art. 4. quæst. 2. Præterea Eunomius omnia attributa permiscebat, etiam quæ maxime distant, eoque nitebatur, ut crederet, se Deum comprehendere si unum tantum Dei nomen perciperet. Contra Gregorius docet, omnia attributa diversas esse mentis nostræ affectiones, quarum una non Dei naturam in se, sed attingit respectum unius connotati duntaxat. Eunomius denique dicebat, nomina *ingeniti, creatoris, patris*, & quotquot dicuntur de Deo, quamquam ex diversis effectibus mutuata, eamdem in nos excitare Divinæ naturæ notitiam: Gregorius noster docet, ea diversa nomina signa esse diversarum rationum, & cogitationum nostrarum, quarum unaquæque est Deo longe impar, quoniam ejus naturam non introspicit, sed vix unum ex pluribus terminis, quos consignificat. Distat ergo toto cælo ab Eunomio Gregorius.

28. Solutio.

Quibus præmissis ad primum nego antec. non enim sunt synonima, quæ varios effectus, aut terminos consignificant, esto in re subjecta nulla sit discrepantia. Ad id, quod sequitur, dico diversis Dei nominibus diversam subesse significationem, sed hanc secum afferre differentiam rationum, & cogitationum nostrarum, quæ rei significatæ sunt prorsus extrinsecæ; idque demonstrat Cyrillus, dicens Divina attributa non significare substantiam *in voce, modoque dicendi*: quo loco perperam Cardinalis Gotti, & Gaspar Juenin putant, Cyrillum designare differentiam rationum ex parte objecti. Basilius quoque, cujus in nos urgent testimonia, loco supracit. ait, omnia Dei nomina *nullum in rei subjectæ significatione habere discrimen.* Ad tertium respondeo, Eunomium nequaquam negavisse nominum, & connotatorum discrepantiam, sed in hoc pessime errâsse, quod crederet, notione unius nominis Divinam naturam comprehendi, cum singula nomina diversa connotent, & consignificent; & sermone nostro declaretur, *quod quis animo complexus est, non Dei natura*, ut ait Orat. xxxiv. Nazianzenus. Censura demum Petavii aut sententiam nostram non carpit, aut carpit Petavium ipsum: qui cap. xi. ejusdem libri num. v. probat ex Athanasio in lib. de decretis Nicæ-

Nicænæ Synodi, omnia, quæ dicuntur de Deo, non esse synonima, sed discrepantem habere notionem, quia rem eamdem variis significationibus subjectam designant: *Ut cum dico*, inquit, *Jonæ filius, Princeps Apostolorum, piscator, Andreæ frater.* Atqui hæc nomina non singularem, sed divisam habent notionem, quia diversa connotant, & consignificant: Ergo ex hoc eodem capite omnium, quæ dicuntur de Deo, petenda est discrepantia.

Theologi discrepant de compositione rationis.

29. Propositio 3. PROPOSITIO III. Nulla intrinseca compositio in Deo est admittenda.

Consequitur ex dictis: compositio enim est unio distinctorum, ideoque ubi non adinvenitur distinctio, nulla fieri potest compositio. Probatur tamen brevissime. Compositio, quæ excogitari potest in Deo, vel esset compositio ex corpore & spiritu, vel ex substantia & qualitatibus, vel ex natura & personis, vel ex essentia & existentia. Non datur in Deo prior compositio, quia corporeus non est, sed expers omnino materiæ. Non compositio secundi generis, quia Deus non est bonus, justus, sapiens superadditis qualitatibus, sed ipse est sua bonitas, sua justitia, sua sapientia. Non compositio ex natura ac personis, quia hæ distinguuntur quidem ab invicem, sed sunt eadem omnino divinitas ac substantia. Non denique compositio ex essentia & existentia, quoniam in Deo non est aliud esse, aliud existere. Hæc omnia superioribus propositionibus fuerunt comprobata. Nullum ergo intrinsecum compositionis genus in simplicissima divinitate potest excogitari.

In his Theologi omnes conveniunt; discrepant tantum de compositione rationis: quam dari in Deo putant Nominales, præsertim Gregorius distinct. VIII. quæst. III. quibus accessit Du Hamel, negant alii communiter. Si quæstionem ita accipias, num de Deo pronunciari possit, quod sit substantia, & ratione nostra cogitari possit substantiæ genus quomodolibet creaturis, Deoque commune, puto Deum esse sub genere; ait enim Augustinus in v. de Trinit. cap. 2. *Est tamen Deus sine dubitatione substantia*: & Damascenus lib. I. Inst. cap. VII. *Genere summo continetur hæc corporis expers essentia, ut Deus, ut Angelus, ut animus, ut dæmon.* Si vero intelligatur quæstio, sitne ex æquo enunciabilis ratio substantiæ de Deo ac de creaturis; sive concipi possit in Deo genus aliquod *univoce*, ut inquiunt, *per differentias contrahibile*, nego Deum comprehendi sub genere: nam ait Clemens Alex. lib. v. Strom. *Deus neque genus est, neque differentia, neque species, neque individuum.* Boetius in libro de Trinit. *Substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam.* Castior & defæcatior est Theologia, si propter incommutabilem Dei simplicitatem, quemadmodum dicimus, Deus est ipsa sua bonitas, ipsa sua magnitudo, non vero subjectus est suæ bonitati, suæ magnitudini; ita dicamus, Deus est sua substantia, non, Deus comprehenditur genere, & subjicitur *prædicamento* substantiæ: atque reminiscentes, quæ adolescentuli de decem Categoriis disputavimus, dicamus cum Augustino IV. Confess. cap. 16. *Falsitas erat quam de te cogitabam, non veritas; & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ.*

CAPUT IV.

Ostenditur, Deum esse infinitum, immensum, atque immutabilem.

SUMMARIUM.

1. Deus est secundùm essentiam suam infinitus.
2. 3. Fit, & solvitur duplex objectio.
4. 5. 6. 7. Probatur, Deum sua immensitate esse ubique.
8. 9. 10. 11. Proponuntur, & solvuntur quatuor objectiones.
12. 13. Deus est omnino immutabilis.
14. 15. 16. 17. 18. Variæ solvuntur objectiones.

De infinitate, immensitate, & immutabilitate Dei.

SOphistam aliquantulum molestiorem Gregorius & Scotus me fecerunt: sed redeo jam ad ingenium Τενέδιος συνήγορος, id est, compendio causam expediens. *Deus*, inquit Maximus Martyr apud Eutymium P. I. tit. 2., *simplex est quia interminatus: interminatus quia & infinitus;* comes est enim simplicitatis infinitas, quoniam re simplicissima non possumus cogitare majorem: quo argumento utebamur & nos Cap. II. hujus libri, prop. 4. Nunc ergo ab uno ad alterum progredimur attributum.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Deus est secundum essentiam suam infinitus.

Dixi secundum *essentiam*; nam in Deo neque corporea extensio, neque ulla qualitas reperitur, sed quidquid in eo est, ipse est; ideoque in omni prorsus genere est interminatus. Hanc thesim negari à Socinianis ait Tournely: sed constat ex Wolzogenio Com. in cap. 6. Mat. v. 10. hos negare solam Divinæ essentiæ quantum ad locum immensitatem, non *esse* illimitatum in se, ac infinitam potentiam: de quo errore propositione sequenti. Propositionem hanc Probatur infinitas. probant sacræ literæ; legitur enim Baruch III. 25. *Magnus, & non habet finem: excelsus, & immensus*, & Ps. CXLIV. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*: quæ verba exponens August. ait: *Ipse non finitur: illius magnitudo sine fine est.* Probat consensus Patrum, qui omnes Augustino consentiunt, Auctor de Div. Nom. cap. 9. Gregorius Nyssenus Orat. 12. contra Eunomium, Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. 9. &c. Probat doctrina Ethnicorum, inter quos Anaxagoras statuit mentem infinitam principium omnium rerum, Aristoteles dixit, Deum ipsam continere infinitatem, & Zeno & Melissus interminatam perfectionem nunquam deficientem. Probant denique rationes Theologicæ, ac tres præsertim apertissimæ, prima: Nil Deo cogitari potest perfectius: Quacunque essentia finita cogitari potest perfectior: Ergo Dei essentia non est finita. Altera: Omne quod limitatum est, vel habet formam aliquam intrinsece receptam, vel saltem habet esse ab alio productum; quidquid enim finitur, vel à se, vel ab alio finem habet: Deus non habet aliquod esse receptum, cum sit suum esse; neque esse productum ab alio, cum sit esse à se: Ergo Deus non habet unde limitetur ac finiatur. Postrema: Deus res procreavit ex nihilo, ad quod necessaria est infinita potentia: Sed infinita potentia supponit essentiam infinitam, imo ab ea nulla ratione secernitur: Ergo, &c.

2. Objectio 1. Opp. 1. Infinitas in Divinis literis non significat rem maximam atque illimitatam: legitur namque Numer. XXXII. 1. magnam jumentorum copiam esse *infinitam substantiam*; atque decem & octo vicibus enunciatur infinitas de manubiis, de divitiis, de sceleribus, de numero populorum, de erectis aris, in pluribus Scripturæ libris: non ergo fulcitur hæc propositio sacrarum literarum præsidio.

Solutio. Resp. nego cons. res enim creatas dicimus *infinitas* populari sensu, & communi verborum usu, quo ingentes, & plurimas res infinitas compellamus, ex. causa, infinitam stellarum multitudinem, infinitam militum copiam, infinitas arenarum congeries. Quam verborum consuetudinem hoc populari sensu nefas est de Deo usurpare. Quare? Præter populos, manubia, aras, jumenta, & alia, quæ in sacris literis infinita dicuntur, aliæ memorantur gentes, aliæ prædæ, alia jumenta; ideoque infinitas de rebus productis enunciata totam ipsarum rerum amplitudinem nequaquam designat. Secus est si loquamur de Deo; nam *Unus est Deus, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*: Ad Ephes. IV. 5.

3. Objectio 2. Opp. 2. Si corpus aliquod esset infinitum, non esset præter illud aliud corpus: Ergo si Divina substantia foret infinita, non esset præter illam substantia alia.

Solutio. Resp. dist. ant. Obstante corporis infinitate, nego: obstante locali extensione ac impenetrabilitate, qua infinitum corpus quælibet loca implens expelleret inde quodcunque aliud, transt. ant. nam & hac impenetrabilitate in sententia plurium Theologorum, ac Philosophorum, qui Corporis naturam non locant in soliditate ac dimensione, posset illud corpus expoliari, & consequenter in eodem loco alia corpora sibi compenetrata compateretur.

4. Propositio 2. PROPOSITIO II. Deus immensitate sua est ubique.

Id affirmo contra Conradum Worstium Calvinianum, Wolzogenium, aliosque Socinianos, qui arbitrantur, Deum proprie quoad essentiam suam supremum cælum inhabitare, unde infinita ejus vis & potentia in omnes partes dimanet, in quibus eam vult exercere. Quem errorem tribuunt aliqui etiam Eugubino, & Erasmo: neque ille potest judice Petavio excusari, cum in Psalmum CXXXVIII. scribat, Deum esse ab omnibus remotissimum, & præsentiam suam, qua dicitur esse ubique, non substantiæ esse, sed potentiæ, tanquam lucis ab eo manantis: sed excusari potest tamen, ut ostendam cap. sequenti. Atque is, nempe Erasmus videtur potius ridere aliquorum logomachias, qui disputant, num Deus sit in spatiis imaginariis: quidve agat, ut ipse ait, in antro scarabæi: quarum plerasque fine causa reprehendi, diximus in Prolegomenis. Quidquid sit de horum opinione; probatur assertum & contra Worstium, & quotquot tam impie delirârunt.

runt, ut Deum vel cum gentibus in olympi recessu, vel cum gentilibus Philosophis in superiori sphæra, vel cum quibusdam Hebræis in Hierosolymitani templi angustiis coarctaverint. Ac primo probatur auctoritate divinorum librorum; tum Patrum sententiis: postremo naturalis Theologiæ obvia aliqua, ac perspicua ratione.

5. Probatur Dei Immensitas ex S. Scriptura.

Atque è sacris literis hæc sunt apertissima. Josue 2. *Deus in cælo sursum & in terra deorsum*: Ps. 138. *Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero in infernum ades.* Hierem. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Baruch. 3. *Magnus est, excelsus, & immensus.* Hæc vero Crellius, & Wolzogenius frustra conantur eludere per solam vim & efficaciam; Deus quippe, cum simplicissimus sit, est suamet operatio, ideoque si ubique Dei experimur virtutem atque efficientiam, ubique præsens est Dei substantia. Noto hic obiter, sententiam D. Thomæ quæst. VIII. art. 1., & nostri Ægidii in I. dist. XXXVII., qui docent, ex Dei operatione invictissime ipsius demonstrari præsentiam, videri ad revincendos Socinianos validiorem opinione Scoti, qui eadem dist. XXXVII. ait, inefficaciter probari, Deum esse ubique, quia ubique operatur. At oportet, ut operatio, quæ certum facit Divinæ præsentiæ argumentum, infinitam virtutem præseferat, qualis est rerum creatio, verum miraculum, & omne opus, quod sese prodat esse Divinum. Tunc enim recte ratiocinabitur quisquis dixerit: Divina substantia est ab ejus operatione penitus indistincta: Ubique Deus sua virtute operatur: Ergo ubique Deus præsens est sua substantia. Dissimulandum tamen non est, quod illi, qui Scoti sententiam putant hæresi proximam, & directe adversantem Apostolo dicenti Act. XVII. v. quod Deus: *Non longe sit ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, vim illius testimonii minime expendunt, cum Paulus non provocet Athenienses ad subtiles de essentiali Dei præsentia disputationes; sed illud tantum asserat, non esse Deum adeo à cognitione nostra remotum & dissitum, quin possit ex nobis ipsis intelligi, quamquam Athenis inscripta esset ara IGNOTO DEO. De qua Epigraphe dixi superiori libro. Sed quum postea offenderim in plures, qui putant, Athenienſem aram inscriptam plurali numero ΑΓΝΩΣΤΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, quam sententiam sequitur Erasmus, Listrius, Meursius, Sponius, Clericus, hujusque furfuris plurimi; addo hæc omnia conciliari: licet enim plures fuerint Aræ plurali titulo inscriptæ; dubitari non debet, quin fuerit alicubi quoque ea inscriptio in singulari; præsertim cum Pausanias scribens Athenis fuisse aras Θεῶν ἀγνώστων, *Deorum ignotorum*, velit tantum fuisse plures aras inscriptas ΘΕΩ ΑΓΝΩΣΤΩ, ut contendit Grotius, & ipse Wolzogenius. Atque ad rationem alibi productam ex Epimenide & Laërtio accedit, quod Auctor Dialogi, qui inscribitur Philopatris, jurat per *Deum ignotum*, qui colebatur Athenis, & quem ibi se inveniſſe & adorâſſe testatur. Hæc dicta sint partim in confirmationem illius sententiæ nostræ, partim ad solutionem illius Scholasticæ contentionis, sitne Deus ubique præsens per substantiam ac potentiam? de qua temporis jacturam facerem, si plura proloquerer.

Probo nunc Catholicum theorema ex Patribus. Arnobius in VI. adversus Gentes: *Hoc est*, inquit, *proprium Deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos: adesse, non abesse, non cænatum ad Æthiopas pergere, & post dies bissenos privatum ad domicilium redire.* Scomma est notam de Jove fabulam ridentis. Cyrillus Cat. VI. *In loco minime definitus: sed locorum opifex: in omnibus existens, & à nullo circumscriptus: Unus est ubique præsens.* Hilarius lib. I. ad Const. *Deus & ubique est, & totus ubique est.* S. P. Aug. Ep. LVII. *Fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam; &c.* Quid moror Ecclesiæ Patres? Lege Zenonis sententias apud Laërtium, Proclum ad Timæum, definitionem Empedoclis apud Huetium, qui veterum momenta collegit lib. II. qq. Al. 7. Quibus addo Senecam Epist. 41. Dionem Chrysostomum apud Grotium in Caput XVII. Act. Apostol. celeberrimum denique oraculum apud Porphyrium.

6. Probatur ex Patribus.

Πάντα Θεῶ πλήρη. πάντη Θεός ἐστι, Φανήθη.
Omnia Deo plena; ubique Deus est, Phanethe.

Rationem omnium potissimam putat Habert cap. XII. quoniam si Deus alicubi consisteret, locum suum deserere cogeretur, ut alibi præsentem se sisteret, quemadmodum Angelus, aut homo Vera est; sed reponerent Worstius, & Crellius, nullibi extra cælum se præsentem sistere, nisi effusa luce ac potentia. Ut rimulæ Socinianis præcludantur, utendum est hoc argumento: Quia Deus est undequaque infinitus, nequit ullo perfectionis genere limitari: Ergo

7. Probatur ratione.

nec potest aliquo loco circumscribi. Vel eo, quod supra innui: ubicunque est Dei potestas, est & substantia: Potestas ubique est: Ergo ubique est & substantia. Quorum primum est Basilii in v. adversus Eunomium; alterum Anselmi in libro de Incarnat. cap. 4. utrumque Augustini citata Epistola LVII. ad Dardanum.

8. Objectio 1. Opp. 1. Deum ubique non esse probatur ex sacris literis, Genes. VI. legitur, Cain egressum fuisse *à facie Domini.* Non erat ergo Dominus in plaga, ad quam Cain profugus abiit, Orientali. Cap. 25. dicitur, Rebecca perrexisse, ut *consuleret Dominum*: Ergo non erat Deus in regione, in qua Isaac peregrinabatur cum sua uxore. Rursus: Deus olim in Templo Silo, deinde in Hierosolymitano habitavit, ut constat ex 1. & 2. Regum, ita ut Deus ipse cap. VII. v. 6. dixerit Nathan: *Neque habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio.* Item sæpenumero legimus, Dominum descendisse, ambulasse, recessisse ab impiis, mansionem apud eos facere, qui eum diligunt, aliaque id genus plura; quæ substantiæ præditæ immensitate convenire non possunt.

Solutio. Resp. Futilia esse quæcunque objiciuntur. Cain dicitur egressus à facie Domini, id est à loco, in quo ei Deus apparuerat, & *ab avita* (inquit Calmet) *parentum suorum sede.* Rebecca perrexit ad consulendum Dominum, id est in penu & cubiculum, remotior à marito ad orandum: nam verbum עתר *consuluit*, idem est, ac *vehementer precari*, ut constat ex versu 5. Psalmi XXXIII. Tamen perrexisse Rebeccam ad consulendum Abrahamum, vel Heberum, vel alium è schola magni Sem, tradunt Rabbini veteres. Eodem loco Geneseos v. 21. legitur *deprecatusque est Isaac dominum pro uxore sua*, Hebraice ישתו לנכח *pro*, & *coram* uxore sua. Erat ergo ibi Dominus, qui eum exaudiret. Habitare dicitur Deus in arca, in templo, in justorum animabus gratiosa manifestatione, & largitione gratiarum. *Fatendum est Deum esse ubique per divinitatis præsentiam; sed non ubique per habitationis gratiam*, ait S. P. Aug. citata Epist. LVII. ad Dardanum, nunc 187. Conquerens autem Deus se habitare in Domo cedrina, & in medio pellium, in tabernaculis, in tentoriis, non optat regiam habere, qualem Cadmus apud Euripidem, sed ut David cogitet de Domo ædificanda ad immolandas, hostias, & peragenda sacrificia. Descendere denique dicitur, ambulare, accedere, *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*; ait Augustinus serm. LXX. de Temp. vel *cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendat*; inquit idem S. P. XVI. de Civitate Dei cap. 5. Hinc *descendere* ad videndam turrim Babel Gen. XI. iram, & pœnam superborum, *descendere* cum Jacob in Ægyptum Gen. XLVI. gratiam, & patrocicium, *descendere* Spiritum Sanctum Matth. III. invisibilis sub specie columbæ manifestationem, & *descendere* Filium Dei de cælo humanæ naturæ assumptionem designat.

9. Objectio 2. Opp. 2. Matth. v. 16. habetur, Deum in cælis habitare: & sequenti cap. docere Christum, ut id in quotidiana oratione exprimatur. Abest ergo Deus ab aliis terrenis partibus. Confirmat hoc vetus Hebræorum traditio, qui cælum in tres dividunt partes, in aërem unde pluvia atque ros decidit, in firmamentum stellarum, ac in remotissimum locum, ubi Deus & Angeli habitant. Hanc vero traditionem confirmant Scripturæ; nam Paulus II. ad Corinth. XII. 2. locum habitationis Dei tertium cælum appellat: & Psal. CXIII. 16. habetur, *cælum cæli Domino.* Atque ea est consuetudo Scripturarum, ut *cælum cæli* omnium supremam partem designet, ut *Deus Deorum* Deum altissimum, *Dominus dominorum* Dominum valde magnum. Igitur, etsi divina potentia vastissimo cælorum ambitu non possit comprehendi, præsentia tamen essentialis abditissimo loco præcluditur. Utitur hoc argumento Joannes Ludovicus Wolzogenius.

Solutio. Resp. Deum specialiter dici quod sit in cælo, primo quia ibidem ostendit faciem suam, & locus ille magis est particeps ipsius operationis, & gloriæ; deinde quia ibidem incessanter laudatur, regnantque Angeli facientes ejus voluntatem. Ita Aug. 2. de Trinit. cap. 5. & Patres communiter. A quibus neque dissentiunt inimici veritatis Brentius, Glassius, & Calviniani omnes, ac Lutherani. Wolzogenius Com. in cap. VI. Matthæi ait, Templum dici habitationem ac locum Dei, quia specialiter illic sua providentia habitat, & benignius supplicum preces exaudit. Quod Deus sua providentia dicatur habitare in Templo, non probat hanc providentiam in omnes partes minime dimanare,

re, ipso Wolzogenio fatente: Ergo quod Deus dicatur habitare in cælis, non evincit quin essentiali præsentia ubique consistat. Ea de causa orantes ad cælum convertimur, quasi solium Divinæ majestatis venerantes, & hac demissione profitentes, non esse Deum terrestrem patrem, infirmum ac senescentem, sed auctorem omnium, omnipotentem ac sempiternum. Ita & Hebræi, ut summum Deum à suis secernerent Patriarchis, orabant אבינו שבשמים, quod idem fere est, ac Dominicalis orationis exordium. Substantivorum duorum ratio notare auxesim verum est non solum in notatis à Wolzogenio, & cum idem nomen repetitur, verum etiam in synonimis, ut Psalmo XV. 5. *pars hæreditatis* designat omnimodam partem, XXXIX, 3. *lutum fæcis* sordidissimam sordem; Esaiæ XXXII. *spinæ & vepres* plurimam sentem; Mich. II. 4. *Depopulationis vastatio* extremam desolationem. Sic *cælum cæli* supremum gloriæ solium demonstrat, non quo premat vestigiis Eridanum, ut poetice Aratus; sed quo regnum impertiatur electis.

10. Objectio 3. Solutio. Opp. 3. cum Worstio: Dedecet summam Dei majestatem locus infimus, caliginosus, ac sordidus. Resp. neque solis lucem à sterquilinio fœdari, neque animam infici leprosi corporis sordibus, neque aërem abduci à casa fumaria. Quid ergo inficere poterit Deum incommutabilem lucem, infinitum spiritum, universorum causam, expertem omni motu, omni extensione, omni labe?

11. Objectio ultima cum solutione. Ultimo oppones. Patres haud semel satentur, Deum nusquam esse. Resp. Deum non esse alicubi locorum spatiis circumscriptum. Etenim omnia, loca, ait Augustinus Serm. I. in Ps. CXIII. n. 14. *tanquam indigentia continet, non ab eis tanquam indigens continetur.*

Ne præstoleris hoc loco consuetam de spatiis imaginariis disputationem. Quid sunt, quæso, hæc spatia? *Inanes hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nihil sit præter mundum.* Ita August. XI. de Civit. Dei cap. 5. Trahunt tamen ad se Augustinum Assertores affirmativæ sententiæ. At si attente legeris; videbis ibidem confutari Manichæos, & quotquot ante mundum æterna tempora præcessisse autumabant. Hæc est summa Augustinianæ argumentationis: Extra mundum non est locus, quia locus una cum mundo productus est; Ergo ante mundum non est tempus, quoniam omne tempus fuit cum mundo productum. Quod si volatilis sensus frustra quærit tempus ante mundum, id est antequam fieret ipsum tempus, ut demonstrat S. Pater XI. Confess. cap. XII. XIII. & XIV., quis imaginari potest locum extra mundum, id est extra locum, in quo productus est omnis locus? Verum si exercitationis causa velis de inani mentis nostræ figmento garrire; pro affirmativa sententia plenissime disputat Theophilus Raynaudus Th. nat. disput. VII. Suaresius disp. XXX. Metaph., noster Gibbon disp. X. dub. 4.; pro negativa fere omnes, Scotus, D. Thomas, Ægidius, & qui in eos ediderunt Commentaria. Omnium fere vox una est, Deum in spatiis imaginariis esse tantum potentia; nempe si hæc spatia producerentur, Deus his coexisteret. Erat ea ratione etiam in mundo, antequam crearetur. Sed antequam crearetur mundus, Deus ubi erat? quid tunc faciebat? Quærenti quid tunc faciebat, respondet Augustinus laudato libro num. 15. *Non erat tunc, ubi non erat tempus.* Quærenti ubi erat, respondendum est: Non erat *ubi*, ubi non erat locus. *Dicet aliquis*, (ait S. P. enarrat. in Psalm. CXXII. n. 4.) *antequam faceret Deus cælum & terram, ubi habitabat? . . . . In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.* Idem de mundo antequam fieret, ac de spatiis imaginariis quæ non sunt, erit nobis absque hæsitatione pronunciandum.

PROPOSITIO III. Deus est omnino immutabilis.

12. Probatur immutabilitas Dei ex Scriptura. Immutabilitas est perpetua rei permanentia, in quam neque substantiæ, neque accidentium intercidit vicissitudo. Atque hanc immutabilitatem convenire Deo probatur 1. ex Scripturis, dicente Malach. III. 6. *Ego Dominus, & non mutor.* Sap. VII. 17. *In se permanens omnia innovat.* Num. XXIII. 19. *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur.* Jacob. I. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Appellaverat hoc loco Jacobus Deum *patrem luminum;* & ideo servata solis metaphora utitur vocabulis astronomicis, quæ mire in Græco textu deprehenduntur. Ibi *transmutatio* dicitur παραλλαγὴ, *obumbratio* ἀποσκίασμα. παραλλαγὴ est varius solis conspectus in ortu, in meridie, in occasu. ἀποσκίασμα est solis umbra ex subjectis corporibus. Est itaque (ait Jacobus) Deus Pater luminum, à quo omne donum descendit, sed non oritur, non occidit, non recedit, non ali-

aliquid ei accidit mutationis & umbræ, dum lucem effundit, id est, dum ejus opera apparent. Vere singulare Divinæ immutabilitatis testimonium!

13. Probatur ex Patribus. Nullus Patrum hanc apertissimam veritatem in dubium revocat. *Immobilem Deus habet naturam*, inquit Chrysostom. *Semper eodem modo se habet*, inquit Cyrillus. *Est bonum simplex, & incommutabile*, inquit Augustinus. Omnium loca accurate persequitur Petavius lib. III. cap. 1. & 2., Thomassinus lib. V. cap. 8. 9. 10. quæ omnia recitare quid præstat? Philosophorum, præsertim Platonis, Procli, Alcinoi, Hieroclis, Cleanthis, & Numæ Romanorum regis in hac re consensionem vide apud Huetium lib. II. Aln. Quæst. cap. II. 8. 9. & 10.

Probatur ratione Augustiniana. Accedit multiplex Augustiniana ratio. Si enim gradatim à rebus corporeis ad intelligibiles conscendas, comperies naturæ magisterio illam minus esse mutabilem, quæ est perfectior. Ergo omnium perfectissima erit omnino incorruptibilis & immutabilis. Vide S. P. lib. VII. Conf. cap. 17. Deinde; Omnis mutatio facit non esse quod erat: In Deo non potest non esse quod erat, cum sit essentialiter ipsum esse: Ergo in Deo non potest esse mutatio. Vide lib. de Nat. Boni cap. 19. De Fide, & symb. cap. 4. & V. de Trinit. cap. 2. Ulterius; Quidquid mutatur transit de meliori in deterius, sive à deteriori in melius: Summum bonum transire nequit de meliori in deterius, neque à deteriori in melius: Ergo summum bonum nequit esse mutabile. Vide Tract. XXXIII. in Joannem; & lib. VII. Confess. cap. 4. Deinceps; Apud Deum est causa, origo, ac ratio omnium rerum mutabilium: Origo, causa, ac ratio omnium rerum mutabilium est omnimoda immobilitas, ut constat ex præcedenti libro: Ergo &c. Vide de Vera R. cap. 18. & 31. Ultimo; Quælibet mutatio aut substantialis est, aut accidentalis: In Deo non est mutatio substantialis, neque accidentalis: quia in Deo neque fuit quod jam non est, neque erit quod nondum fuit: Ergo nulla prorsus mutatio est in Deo. Vid. lib. VIII. de Gen. ad lit. c. 19. & lib. II. de lib. arb. cap. 16.

14. Objectio I. Opp. 1. Deus iræ, pœnitudini, cæterisque passionibus animi subjicitur. Est igitur aliquibus obnoxius mutationibus. Pr. ant. Genes. VI. 6. *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo* (inquit) *hominem, quem creavi. &c.* Imo postcaquam diluvio omnem fere carnem perdiderat, facti pœnitens ait Gen. VIII. 21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* De ira Dei vide Hierem. IX. ab eo versu: *Nunquid super his non visitabo, &c.* Furorem quoque Dei Psal. CV. 40. *Et iratus est furore Dominus*, atque alibi sæpe numero. Tristitiam animi tribuit Deo Esaias LXIII. 10. dicens: *Afflixerunt Spiritum Sancti ejus.* Quid? Et zelotypiam suam testatur Deus Exodi XX. 5. & innumeris aliis in locis. Percellitur ergo omni passionum genere Divinus animus.

Solutio. Resp. nego ant. ad probat. dico, tribui Deo pœnitentiam, omnesque humanas affectiones metaphorice, id est: *Dei pœnitentia non est post errorem, sed rerum in ejus potestate constitutarum mutatio. Ubi enim legitur, quod pœniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente Divina; & ubi non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur*; ait S. P. XVII. de Civit. Dei cap. 7. Est ergo Dei pœnitudo aut inflictionis pœnarum, aut Divinæ commiserationis significatio. De ira Dei idem Augustinus scribit in Ench. ad Laurent. cap. 33. *Cum Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis: sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ nonnisi justa est, iræ nomen accepit.* De furore Domini in præfatum Psalm. CV. n. 32. ait: *Noluerunt quidam interpretes nostri iram ponere, in eo quod Græcus habet θυμὸς: sed quidam posuerunt, quidam vero indignationem, quidam animum interpretati sunt. Quodlibet autem horum dicatur, perturbatio non cadit in Deum; sed de consuetudine translatum potentia vindicandi hoc nomen accepit.* Vocabulum Græcum θυμὸς non iram solam, sed & mentis velocitatem, animositatemque designat. Irritari Spiritum Sanctum apud Esaiam LXIII. maxima est execratio impietatis. Ipse gentilis Seneca de contristatione spiritus scripsit Epist. XLI. *Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet bonorum, malorumque nostrorum observator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.* Dei zelotypia nunc honoris sui curam, nunc vero ardentissimam innuit erga nos dilectionem. Igitur Deus, ut Augustinus ait lib. I. contra Adim. cap. 20. *Quando eum pœnitet, non movetur & mutat: quando irascitur non movetur, & vindicat: quando miseretur, non dolet & liberat; & quando zelat, non cruciatur & cruciat.* Quorum

omnium

omnium ratio Theologica est, quod omnia quæ dicuntur de Deo sunt, ut diximus cap. præc. affectiones mentis nostræ, & mutabilium connotationes effectuum.

15. Instantia. Dices: ira & motum animi importat, & perturbationem: licet perturbatio non sit in Deo, est tamen motus animi, dicente Tertulliano in 1. adversus Marcionem cap. 26. *Stupidissimum esse, qui non offenditur facto, quod non amat fieri.*

Responsio. Resp. neque motu animi, neque perturbatione tangi Divinum numen. Tertullianum illum tribuere signo tenus atque efficientia putat Pamelius in notis: utrumque Deo affingere censuit Petavius lib. 3. cap. 11. num. xv. Parùm refert quid asserat Tertullianus, reclamantibus contra universis.

16. Oppositio 2. Opp. 2. Quos Deus volebat salvos fieri, mutato consilio reprobat, damnat, addicit gehennæ propter perpetrata ab his crimina: Ergo hominum scelera Divinam immutant voluntatem.

Solutio. Resp. dist. ant. Volebat salvos fieri, ipsis volentibus, & ejus obtemperantibus legi, concedo: ipsis nolentibus, ac renitentibus gratiæ, nego. *Aspernanti, fugientique infundenda in gremium est Divinæ benevolentiæ gratia? Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formidine nullum terret: neque enim necessaria nostra illi salus est;* inquit adversus gentes Arnobius. Sed de Divina voluntate in V. Opuscolorum istorum libro.

17. Oppositio 3. Opp. 3. Ante productionem mundi Deus non erat creator, non erat Dominus, non erat creaturarum rector ac pater; post mundi vero creationem hæ omnes denominationes illi advenerunt: Ergo in mundi productione mutatus est.

Solutio. Resp. Ea quæ dicuntur de Deo alia dici secundum se, alia connotative. In iis quæ connotative dicuntur, ut nova accedat denominatio, sufficit si solus terminus commutetur. Habemus exemplum in singulis relativis, & singulare quoddam in nummo, qui inde mutatus sit pretium, fit pignus: de quo lege Augustinum in V. de Trinitate cap. 16. Dist. itaque minorem: Post mundi productionem advenerunt Deo hæ denominationes, quæ sunt secundum se, & absolutæ, nego; quæ sunt solum connotativæ atque extrinsecæ, concedo. Vide & Tertullianum cap. 3. adversus Hermogenem, & quæ breviter prænotavi in 1. hujus libri explicans VII. Dei nomen אדוני *Adonai*.

18. Instantia. Si autem insurgas: Hæ denominationes accesserunt Deo ratione creationis, quæ est ejusdem Dei operatio: Atqui hæc operatio peracta est in tempore: Ergo in tempore advenit Deo, quod non habebat ab æterno, videlicet quod sit creator;

Responsio. Adhibenda est eadem responsio: Dist. minorem: In tempore peracta est creatio terminative accepta, & quantum spectat ad productionem rerum creatarum, concedo: considerata ex parte Dei Creatoris, nego. Non debemus Deum modulo nostro metiri. In nobis distinguuntur consilium, voluntas, & operatio: est enim aliquando sine consilio voluntas, sine operatione consilium. Hæc tria in Deo ob perfectissimam simplicitatem sunt idem, neque potest consistere unum absque altero. Quemadmodum ergo intelligimus opus perfici in tempore à sempiterno consilio, ita debemus asserere effici temporaliter æterna ac immutabili operatione; ita ut mutabilitas tota rei, quæ perficitur, sit permixta. Ut lineæ productæ à centro ad circumferentiam circuli, si spectentur in centro, sunt singulæ punctum indivisibile; si in circumferentia, spatium intercipiunt, & eo amplius, quo magis effluunt à centro: ita omnia Dei opera, si ea in creaturis metimur, distant invicem ac mutantur, si in centro æternitatis, à quo profluunt, incommutabiliter permanent, nec ab invicem divelluntur. Vide quæ tradit duodecimo libro de civitate Dei cap. 17. magnus Theologorum dux Augustinus. Si quæ sunt alia, quæ contra Dei immutabilitatem possunt opponi, E. G. Divina libertas, æterni Verbi incarnatio, concordia humani arbitrii cum Dei prædefinitionibus, tametsi dirimi possunt ex dictis, suo quæque loco expendentur.

CAPUT V.

Quod solus Deus propriam habeat æternitatem.

SUMMARIUM.

1. De dotibus æternitatis.
2. Æonum fabula.
3. Error Monachorum existentium in monte Atho.
4. Falsum est, omninò affinem esse Palamitarum deliriis Augustinum Steuchum.
5. 6. 7. Deus æternus est.
8. Nec potest ejus æternitate aliqua creatura potiri.
9. Jure Valentiniana æonum fabula explodituv.
10. Fit, & solvitur objectio.
11. Fictitium est lumen illud increatum, ac sempiternum, in quo Græci Palamitæ jactabant se Deum videre
12. Solutio objectionis.

1. De dotibus æternitatis.

DUAS vera æternitas habet dotes: unam, quod caret principio ac fine; alteram, quod omnem excludit successionem. Definitur à Boëtio: *Tota simul ac perfecta interminabilis vitæ possessio*, id est, duratio permanens & expers successionis in substantia spirituali ac vivente. Prout æternitas utramque dotem complectitur soli Deo, nullo mortalium contradicente, creditur convenire: idque demonstrabo priori hujus capitis propositione. At quatenus æternitas *perpetuum esse* designat, & *carere* durationis principio, quo sensu dicitur à Græcis ΑΙΩΝ, *Aeon*, quasi ἀεὶ ὤν, *quod semper est*, competit quidem Deo; sed quædam præter Deum hanc proprietatem tenere, imperiti improbique homines delirârunt. Nam aliqui etiam è secta Platonicorum mundum crediderunt extitisse ab æterno, non intelligentes quomodo prima causa tanto sæculorum intervallo ab universi molitione cessaverit; alii materiam saltem existimaverunt sempiternam, ut impius ille Hermogenes, cui diem indixit Tertullianus. De his autem, quoniam ad mundi structuram attinent, agam libro XI. Refutandi sunt tamen hoc loco nonnulli, qui nescio quos *Aeonas* ab Ecclesiæ incunabulis commenti sunt, & Græculi quidam Monachi increatæ lucis à Deo diffusæ, & ab ipsius separatæ substantia, insipientes ac superbissimi jactatores.

2. Æonum fabula.

Aeonum fabulam Hesiodeo more finxit circa annum Christi CXX, imperante Hadriano, Valentinus, quem Epiphanius Hæresi XXXI. 2. vocat Phrebonitem, recentiores Critici Ptenethiten, è patria maritima prope Bolbiticum ostium. In Aegypto primùm errorem sparsit, deinde Romæ, quo adventâsse creditur anno Ch. Aeræ CXXIII. Statuit in Pleromate, seu plenitudine divinitatis XXX. Aeonas, quos in Ogdoadem, Decadem, & Duodecadem partitus est. In Ogdoade priorem tenet locum Deus inconspicuus ac princeps Aeonum; quem vocabat προαρχὴν, πρόπατορα, ἀβύθον, *Ante principium*, *Ante patrem*, & *Fundum*: cui conjugem dabat Ἔννοιαν, Σιγὴν, ἢ Χάριν, *Mentem*, *silentium*, & *Gratiam*. Hæc à Bytho gravida enixa est Νοῦν ἢ Ἀλήθειαν, *Mentem* & *Veritatem*: Hinc procreati Λόγος, Ζωὴ, *Sermo*, & *vita*: ab his Ἄνθρωπος, ἢ Ἐκκλησία, *Homo*, & *Ecclesia*. En Valentiniana Ogdoas; in qua prima tetras, nempe Bythos, Ænnæa, Nus, & Alethia peperit alteram, Verbum, Vitam, hominem, & Ecclesiam. Ab hac posteriore Tetrade orta est Decas, & Duodecas Aeonum: decas quidem à *Verbo & vita;* duodecas ab *homine*, & *Ecclesia*. Filii itaque *Sermonis ac vitæ* sunt decem Aeonæ Βύθιος, Μίξις, Ἀγήρατος, Ἕνωσις, Αὐτοφυὴς, Ἡδονὴ, Ἀκίνητος, Σύγκρασις, Μονογενὴς, Μακαρία, *Profundum*, *Mixtio*, *Non-Senescens*, *Unio*, *Persenascens*, *Voluptas*, *Immobilis*, *Concretio*, *Unigenitus*, & *Beata*. Duodecas progenita ab *homine* & *Ecclesia* hæc est: Παράκλητος, Πίστις, Πατρικὸς, Ἐλπὶς, Μητρικὸς, Ἀγάπη, Ἀΐδιος, Σύνεσις, Ἐκκλησιαστικὸς, Μακαριότης, Θελητὸς, Σοφία, *Consolator*, *Fides*, *Paternus*, *Spes*, *Maternus*, *Caritas*, *Semper-mens*, *Prudentia*, *Ecclesiasticus*, *Felicitas*, *Voluntarius*, *Sapientia*. Hos triginta Aeonas complectitur Valentinianum πλήρωμα, id est, *plenitudo*: de quibus vide Irenæum, Tertullianum, & Epiphanium, nec non Natalem Alex. Hist. Eccl. Sæc. II. cap. 2. Art. VI. Massuetum quoque Differt. I. art. I. Cum tam absurda sit Valentini fabulosa hæresis, habuit tamen qui eumdem fuisse Orthodoxum contenderit, Fœditum Abbatem, qui edidit Dilucidationem Doctrinæ, & Historiæ priorum sæculorum.

3. Error Monachorum existentium in monte Atho.

Alterius erroris auctor fuit conventus Monachorum. qui in monte Atho prope Thessalonicam dicti *Quiescentes* gloriabantur, omnes, qui in eo vitæ genere exercebantur, Divinum lumen conspicere ab æterno à divinitate diffusum, quale Christo in monte Thabor putabant circumfulsisse. Quorum deliramenta

ramenta detexit, & confutavit Barlaamus Monachus, qui ex Italia Byzantium venerat, & aliquandiu cum *Quiescentibus* versatus fuerat; unde adversarium habuit Gregorium Palamam, primò illius instituti professorem, deinde Thessalonicensium Episcopum. Fuit Barlaamus natione Calaber, ut scribit Jo. Cantacuzenus lib. II. cap. 39. & Georgius Phranza lib. I. cap. XII. & ex Italia Constantinopolim adiit imperante Andronico Juniore, qui contra Avum conspirans imperium arripuit an. 1328. stetitque è partibus Barlaami Gregorius Acindynus, & Joannes Chrysoloras, ut narrat citato loco Phranza. Hunc Chrysoloram putant plurimi etiam primæ notæ Scriptores esse Emmanuelem illum, qui regnante Bonifacio IX. Venetiis, Florentiæ, Romæ, ac Ticini Græcas literas tradidit, Leonardi Bruni Arretini, Raphaëlis Volateranni, Pauli Jovii, Baptistæ Platinæ, aliorumque historicorum testimonio celebratissimum. At cum Emmanuel Chrysoloras, cui plurimum debet Italia, decesserit in Constantiensi Concilio mense Aprili ann. 1415., honestatus elegantissima oratione Poggii Florentini ejus discipuli, & de Historia benemeriti, contentio autem cum Barlaamo contigerit vivente ac imperante Andronico, qui obiit anno 1341., puto hunc à priori Chrysolora esse diversum; non enim adolescentulus cum Palama disputâsset, neque tanta ætate gravatus memoratæ Synodo interfuisset: præsertim cum nominum habeatur diversitas, & unius Chrysoloræ ad alterum recitentur Epistolæ. Fuerit ergo Joannes Chrysoloras senior Emmanuele. Barlaamum pertinaciæ, malevolentiæ, & popularis gloriæ cupiditatis redarguit Nicephorus Gregoras lib. Hist. XI. ejusque argumenta veluti aranearum telas discussa à Palama scribit citato loco Phranza: sed Gregoras paulo ante virum dixerat sacris dogmatibus eruditum; & postea mutata sententia Constantinopolitanam Pseudosynodum, quæ Barlaamum damnaverat, post ejus in Italiam reditum, decem libris impugnavit. Phranzes eumdem Barlaamum fatetur dissertum & eloquentem, & Joannes Cantacuzenus acutum & perspicacem libro Hist. II. cap. 39. licet Cantacuzenus Palamitarum fabulas approbet. Hæc addidi ad horum Græcorum historiam, quam ornate refert Petavius lib. I. Th. Dogmatum cap. XII. cum Jacobus Gretserus vir & ipse eruditissimus adnotat, in cap. præcitatum Cantacuzeni animadvertat hanc controversiam historiamque fuisse Latinis Scriptoribus propemodum ignotam.

4. Falsum est omninò affinem esse Palamitarum deliriis Augustinum Steuchum,

Et ne sub magnis nominibus errandi tribuatur occasio, quod recte cautum facit vir dissertissimus Lamindus Pritanius prope finem librorum de ingeniorum moderatione; falsum est omnino affinem esse Palamitarum deliriis Augustinum Steuchum, etiamsi id asserant plures, & idem Petavius lib. III. cap. V. n. 111. & Possevinus in Apparatu pag. 147. Nam Steuchus, quamquàm haud scite cælum empyreum, & claritatem cælestis regni increatam, & à divinitate emanantem nuncupavit; affirmat tamen hanc lucem ac regnum eamdem esse divinitatem. Ait enim in libro de rebus incorporeis & invisibilibus de hoc cælo ac regno: *Hoc est divinitas, hoc regnum Patris, & Sanctissimæ Trinitatis*, & post pauca, *Quod cælum etiam eodem modo Paulus vocat lucem inaccessibilem, eamque dicit à Patre inhabitari, nimirum à se ipso manantem, non alienam à se.* Vocat ibidem hanc lucem, & regnum: *increatum, incorruptibile, inalterabile, immutabile.* Atque initio Cosmopœjæ pag. 3. probat, nihil prorsus potuisse ab æterno consistere distinctum à Deo his verbis: *Ubi est æternitas semper item est existendi vigor ac potestas, quæ sola in Deo est; & tanta est hæc divinitas & potestas, ut alteri etiam ab ipso Deo non possit conferri.* Quapropter si Eugubinus hanc lucem appellat æternam, si affirmat non esse alienam à Deo, si asserit esse ipsam Patris divinitatem; non existimavit emanare à Deo in sensu Palamitarum, sed quemadmodum nos communiter dicimus emanare à Dei substantia ejus proprietates, ratione nimirum nostra, non distinctione reali. Neque obstat, Eugubinum asserere, non facile dictu an hæc lux corporea sit, an incorporea, & hanc esse Olympum poëtarum; benigne enim exponendus est, non quasi corpoream suspicatus sit, aut locum extensum: sed quod ea lux corporalia ac spiritualia superemineat, & sit ipsa beatorum spirituum sempiterna felicitas. Quod declarant ipsius Eugubini proxima verba. *Hæc lux manat duntaxat à Deo, quæ cum sit lux divinitatis ejus, semper cum eo fuisse necesse est. Et hæc si cælum Empyrium est, semper ab æterno fuit cælum Empyrium, id est immensa lux divinitatis, beatissimum illud quod est supra cælum, quod appellare non audeo. Nam neque locus est, neque corpus, neque tempus.* Errant ergo, qui putant Steuchum Palamitarum nugis ineptire,

ineptire, & gerris Manichæorum tradere consentanea : quæ dicta sint salvo judicio Petavii viri accuratissimi, & de Dogmatica Theologia præ cæteris optimè meriti. Jam vero à Critica & Historia, quæ duo quanta potui brevitate expedivi, ad scita & assertiones me confero.

5. Propositio I.

PROPOSITIO I. Deus æternus est, nec potest ejus æternitate aliqua creatura potiri.

Probatur Deum esse æternum ex Scriptura.

Demonstro priorem partem divinis Scripturis : Deuteronomii XXXII. 40. habetur : *Vivo ego in æternum.* Ps. IX. 8. *Dominus in æternum permanet.* Dan. VII. 14. *Potestas ejus potestas æterna.* Ad Hebr. I. 11. *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* In his autem advertendum est, quod etsi Deo tribuuntur anni, sæcula, & vicissim rebus temporalibus æternitas, & ipsum etiam Hebraicum עוֹלָם *Holam*; dicuntur tamen de Deo cum quadam emphasi, quæ nulla ratione cæteris potest convenire. De annis namque illius dicitur Ps. CXI. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* De sæculis, & עלום Psalm. LXXXIX. מעולם עד-עולם : *A sæculo usque in sæculum tu es Deus:* hoc est, quodcunque pertranseat sæculum, tu semper idem immutabiliter permanes.

6. Probatur ex Patribus.

Idem docent unanimiter Patres. Tert. in 2. contra Marcionem : *Viva, & germana divinitas nec de novitate nec de vetustate censetur. Deus si est vetus non erit; si est novus non fuit. &c.* Nazianzenus Orat. LXXXVIII. *Deus & erat semper, & est, & erit: vel, ut rectius loquar, semper est.* Aug. IX. Confess. 10. *Fuisse & futurum esse non est in eo, sed esse solum.* Ita omnes alii. Quibus cum discipulorum suorum grege subscribunt Socrates, Plato, Parmenides, Euripides, & Thales; qui hanc Dei tradit definitionem: *Deus est quod caret principio ac fine, omnium rerum antiquissimum, & nunquam genitum.*

7. Probatur ex S. Augustino.

Magni Augustini argumenta hæc sunt; Primum in lib. de nat. Boni cap. 39. Quidquid est immutabile debet esse æternum; nam si non caret principio mutatur de non esse ad esse, si non caret fine mutatur de esse ad non esse : Deus est prorsus incommutabilis : Ergo Deus est æternus. Alterum in lib. VIII. de Gen. ad lit. cap. 26. Nullum excogitari potest intervallum ac spatium, quo circumscripta sit Dei immensitas. Igitur nequit concipi tempus aut sæculum, quo sit definita Dei permanentia. Tertium in lib. IV. Confess. cap. 10. Deus est summa animæ beatitudo, in qua dolere non potest neque affici desiderio aut timore. Atqui anima aut dolet, aut desiderat, aut timet, quotiescunque figitur voluptate in bono, quod oritur, desinit, ac perficitur : Ergo Deus est bonum sempiternum, in quo nihil incipit, nihil cessat, nihil crescit. Huc spectant quæ de aliis attributis dicta fuerunt : unum etenim ex alio consequitur.

8. Probatur nullo pacto posse competere creaturæ æternitatem Dei.

Probatur 2. pars. Æternitas Dei est interminabilis vita quantum ad existentiam & operationem omnino immutabilis : Immutabilitas nullo pacto rei creatæ potest competere : Ergo nullo pacto creaturæ competere potest Dei æternitas. Hinc habes recte Boëtium lib. V. de Cons. Prosa VI. asserere, quod etiamsi mundus non habuisset initium, ut quibusdam philosophis visum est, nihilominus non fuisset Deo coæternus. Nam mutationi esset subjectus, & temporis pateretur vicissitudinem : Habes etiam quo sensu Patres mortalem quandoque scribant rationalem animam : quia scilicet habet quidem non desinentem vitam; sed in cognitione & amore mutatur, deficit, proficit. Vide Aug. in Ps. LXX. & Tract. XXIII. in Joannem. Paulus quoque 1. ad Tim. V. 16. ait de summo Deo : *Qui solus habet immortalitatem* Nempe & à se, & omnino incommutabiliter. Lege Aug. lib. III. contra Maximinum cap. 12.

Quod affirmant Scholastici, æternitatem esse mensuram durationis divinæ, accipiendum est de mensura improprie, & secundum rationem nostram accepta, ut scite animadvertit Magister Florez Tract. III. quæst. 2. Art. 6. §. 2. num. 12. Non enim duratio ab æternitate, & æternitas à Dei substantia distinguitur, sed idem sunt penitus; ut ait S. P. Enarrat. 2. in Psalm. CI. n. 10. *Non enim aliud anni Dei & aliud ipse : sed anni Dei æternitas Dei est : æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile*, &c.

9. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Jure ac merito Valentiniana Æonum fabula exploditur.

Æonum fabula explodit.

Afferam quasdam demonstrationes præter eas XVI. quas ex Irenæo collegit Natalis Alex. dissert. XV. 2. sæculi art. 1. quas tamen vide. Sit 1. Æones Valentini, sive ab Hebræorum Kabalis, ut putat Joannes Franciscus Budæus in dissert. de hac hæresi, & Salomon Glassius de posteriori Kab. membro, vel

ut

ut probat doctissimus Renatus Massuet dissert. 1. pag. xx. & seq. ex Chaldæorum Theologia, atque ex Pythagorica Quaternatione habuerunt originem: Sed Kabala est elementaria Scripturarum expositio, literarum aut numerorum pro lubitu permutatio, inconstans, atque ut plurimum superstitiosa; Chaldæorum vero Theologia, ac Pythagoræ quaternitas ex idololatriæ semine germinavit: Ergo explodenda est Æonum fabula impuris his fontibus derivata. II. Æones aut sunt affectiones ac motus unius Dei ab essentia divina distincti, ut videtur eos cogitâsse Valentinus, aut personæ ejusdem divinitatis, ut commentus est Ptolomæus, de quo Tertull. lib. adv. Valentinum XIV. Non primum, quia summus Deus non est mutabilis, & affectionibus adventitiis obnoxius; non secundum, quia inter Æones solus Nus est præstantissimus, totamque Bythi complectitur magnitudinem, Personæ autem ejusdem divinitatis æqualem habere debent perfectionem. Oportet ergo ut omnes Æones sint procreati, ideoque non erit, neque Axinitus, neque Æonus, neque Autophnes. III. Bythus & Anteprincipium debet habere ante generationem Nou vitam, prudentiam, felicitatem, beatitudinem; non sunt ergo progenitæ post conjugium Nou, Zoë, Synesis, Machariotes. IV. Æones aut sunt spirituales, aut corporei: Si corporei, non ergo spectant ad pleroma intelligibilium: si spirituales, quomodo est inter Æones Syngrasis, Mixis, Enosis? quomodo Sophia fere absorpta fuit? quomodo sine corpore sexuum distinctio, connubia, generationes? V. *Achamoth*, quam Valentinus dicit filiam Sophiæ, & extra Plenitudinem collocat, & eadem *Sophia* Synonima sunt; atque unum Græcum est, scilicet Σοφία *Sophia*, alterum Hebraicum, ideſt חכמות *Achamoth*; & utrumque significat sapientiam: Alethias, Logos, Synesis ad unam spectant facultatem intelligendi; Pistis, Agape, Elpis sunt nomina virtutum eidem spiritui convenientium; quare ergo finguntur Aeones, aut saltem ab iisdem parentibus non gignuntur? Hæc ego addo ad argumenta Irenæi, quæ validiora sunt quidem; sed requirunt notitiam totius systematis Valentiniani, cujus Aeonum fabula est una tantum pars, & alia supereſt Enthymesis, ac tertia de Operibus Demiurgi: quæ sunt forsitan adolescentibus, quibus hæc conscribo, adhuc ignota. At argumentationes istæ, si conferas cum nominibus propriis Aeonum supra expositis, erunt vel rudioribus satis obviæ.

Oppones: Aeonas à filio Dei progenitos ac procreatos affirmat Divina Scriptura, confirmant testimonia Patrum, corroborat Kabalistica ars: Non est ergo undequaque fabulosum Valentinianum systema. Ant. probatur; nam in Ep. ad Hebræos c. 1. 2. ubi nos legimus: *Per quem fecit & sæcula*, habent Græci codices, δι' ὃ καὶ τὰς αἰῶνας ἐποίησεν, *Per quem & Aeonas condidit.* Et cap. XI. 3. ubi nos legimus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, habent Græci, Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *Fide intelligimus aptatos esse Aeonas sermone Dei, ut ex non apparentibus visibilia fierent.* Aeones itaque ex Nu ac Logo fuerunt progeniti, ut corporalia conderentur secundum ideam Aeonum invisibilium existentium in Pleromate. Nec dissentiunt Patres. Gregorius enim Nyssenus in 1. contra Eunomium scribit: *Sæculi Conditorem* Αἰῶνας, *& qui in eis est locum antea constituisse, in iis vero omnia deinceps procreâsse.* Quod numerorum comprobat ratio, siquidem XXX. Aeones in annis Christi, XII. in Apostolis fuerunt designati, quorum duodecimus Judas proditor & apostata *Sophiam* invidam ac suo loco dejectam figurabat. Scripturis itaque, Patribus, & Kabalæ videtur Valentini systema consentaneum. 10. Objectio.

Resp. nego ant. Ad argumentum ex Epistola Pauli ad Hebræos facilis est responsio, si dicamus, Aeonas conditos μετωνυμικῶς, *metonymice*, & per enallagen numeri, ut dicimus, creatum tempus ætatemque rerum corporearum. Aeon quippe non est res aliqua quæ per se subsistat, sed vita rerum intelligibilium. Ita Damascenus lib. 2. de Fide Orth. cap. 1. Possumus quoque priorem textum ita exponere, *Per quem creavit & mundum;* quum Hebraice sit, ובה עבד לעלמא. Possumus & asserere, significari à Paulo, Christum esse Messiam, cujus gratia dicebant Hebræi fuisse creata universa; quandoquidem particula Διὰ cum genitivo interdum valet *propter*. Alter vero textus significat tantummodo in ordinem fuisse digestas jussu ac verbo Dei mundi partes, & conditas ex non extantibus, cum essent olim in Verbo Dei invisibilia, quemadmodum sunt opera in mente Artificis. Gregorium Nyssenum minus pro- Solutio.

prie & accurate locutum scribit Petavius lib. III. cap. v. 8. Sed mihi videtur id solum velle, quod Deus principio Aeonas & universum condiderit tanquam conceptaculum rerum visibilium, quia in principio condidit mundum & Angelos, sed terra erat inanis & vacua; quam postea singularum creaturarum generibus exornavit. In quo nihil est non accuratum, non proprium. Kabalisticæ Valentinianorum argutiunculæ flocci sunt faciendæ; tametsi Christus vixisset XXX. annos, quod est alienum à vero: explevit enim XXXIII.; atque his annis male aliquot detrahuntur, male superadduntur à pluribus Recentioribus, ut ostendam opportunius. In Juda damnato ac perdito homine male designatur Sophia, cujus interitum Horus à Bytho & Sige genitus extra Pleroma impedivit. Cum à Verbo decem fuerint geniti Aeones, quare non sunt pares huic numero Apostoli? aut quare duodecim Aeonis non addidit Valentinus LXXII. alios numero pares discipulorum? Sed mitto jure ab Irenæo ac Tertulliano irrisas fabulas.

11. Propositio 3. PROPOSITIO III. Fictitium est lumen illud increatum ac sempiternum, in quo Græci Palamitæ jactabant se Deum videre.

Palamitarum fictitium lumen explo-ditur. Facillimè demonstratur argumentatione Joannis Cyparisioti Decade VI. Ejusmodi lux, quæ beatorum corpora circumfulget, ut Græculi isti contendunt, est defluxio & energia manans à Divina substantia: Fictitia est defluxio, & energia manans à Divina substantia, quæ sit improducta, sempiterna, & distinguatur à divinitate; non enim diversa est Dei natura ab ejus proprietatibus & operationibus: Ergo fictitia est illa lux æterna, & defluens à Divina substantia, & quæ ab ea distinguatur. Consimile est argumentum Barlaami, de quo Joannes Cantacuzenus lib. II. cap. 39. Nihil inter Deum & creaturam potest excogitari; nam quidquid est, aut est à se, aut productum ab alio: si est à se, Deus est; si ab alio productum, creatura est: Igitur stultissimæ mentis figmentum erit illa lux sempiterna, increata, & tamen à divinitate distincta. An vero in eo lumine ac defluxione, si daretur, videri posset Divina Essentia, videbitur in eo libro, qui proxime ad istum consequetur.

Dices: Meminit increatæ hujus lucis Basilius Hom. I. in Hexam. 12.

Resp. arcanam, & inaccessam lucem divinitatis, quam Basilius commemorat, esse eamdem divinitatem, & sempiternum Dei filium; de quo ipse Basilius lib. IV. contra Eunomium cap. I. *Filius*, inquit, *cum splendor sit, non aliquando erit; sed est coæternaliter. Lux enim est Deus, ut David inquit: In lumine tuo videbimus lumen, & Daniel: Lux cum ipso est.* Itaque Basilius lucem illam sempiternam ac splendorem Dei, cujus meminit Hom. I. in Hexam, non aliam intelligit præter ipsum Deum, & Unigenitum procedentem à Patre.

CAPUT VI.

De infinita potentia Dei, & de iis, quæ ad hanc evertendam possent adduci.

SUMMARIUM.

1. Deus infinitam habet potentiam.
2. Animadversio ad faciliter occurrendum objectionibus.
3. 4. 5. 6. 7. Solvuntur objectiones variæ.
8. 9. 10. 11. Potest Deus plura facere, quæ non facit.
12. 13. 14. Afferuntur, & solvuntur objectiones.
15. 16. Potest Deus facere meliora iis, quæ fecit.
17. 18. 19. 20. Solvuntur objectiones.

De Potentia Dei infinita. RABSACES, quem legis suæ desertorem Hebræi putant, eo quod Hebraice loqueretur, & ad ejus maledica verba Ezechias sciderit vestimenta, adeo infirmum ajebat esse Dominum Deum Israël, ut non posset liberare Jerusalem de manu Regis Assyriorum. Populares ipsi Judæi in solitudine ausi sunt contra Omnipotentem in hanc blasphemiam erumpere: *Nunquid poterit Dominus parare mensam in deserto?* Ps. LXXVII. In eo quippe detinebantur errore, quod & Dii essent alii apud Gentes, & unus ille, quem colebant, non haberet ubique maximam potestatem. At Deus manifestam reddidit potentiam suam statim post Rabsacis blasphemiam percutiens centum octoginta quinque millia in castris Sennacheribi; & contra murmurantes Hebræos, pluentibus cælis manna, & aquis de petra fluentibus saluberrimis. De Manichæis jam

jam dictum supra, Deum bonum tam fecisse impotentem, ut non posset malum avertere. De Petro denique Abaelardo scribit Epist. 190. S. Bernardus, soli Patri plenissimam tribuisse potentiam, aliquam tantum Filio, nullam penitus Spiritui Sancto, contra apertissimam divinarum scripturarum ac Patrum auctoritatem. Ergo adversus horum deliramentum summa Dei potestas est comprobanda, nec non expedienda sunt dubia quædam, quæ à Theologis omnibus solent in hoc argumento promoveri.

1. Propositio 1. PROPOSITIO I. Deus infinitam habet potentiam.

Probatur infinita Potentia Dei ex Scriptura. Ita sacra Biblia. Esther XIII. 12. *Domine rex Deorum, & universæ potestatis.* Job. XLII. 2. *Scio quia omnia potes.* Eccles. I. 8. *Unus est altissimus creator omnipotens, & Rex potens.* Matth. XIX. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Ita Patres: Cyrillus Catech. VIII. Nyssenus lib. I. contra Eunomium, Tertullianus de Resurrect. carnis cap. XI. Magnus Augustinus de Fide & Symbolo cap. 2. quorum, aliorumque loca vide apud Petavium lib. v. cap. v. Ita Gentiles Philosophi ac poëtæ, quorum collegit dogmata Huetius lib. 2. Conc. c. II. n. XXI.: unde merito S. P. serm. CXXXIX. de Temp. ait: *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest.* Ita demum Theologica ratio, quæ ex multis ab Augustino traditis sic depromitur: I. Deus est universæ opifex creaturæ: Ad creaturæ universæ opificium necessaria est omnipotentia: Ergo omnis, plenissimaque potentia tribuenda est Deo: *Ex Sermone* CXIX. *de tempore.* II. Magnam habet Imperator in regno suo potestatem, quia alia jubet, alia permittit: In amplissima, immensaque universæ creaturæ Republica nihil fieri potest, quod à summo imperatore Deo aut non jubeatur, aut non permittatur: Habet ergo Deus in omnia, quæ fieri possunt, plenissimam potestatem: *Ex lib. III. de Trinit. cap. 4.* III. Ille est omnipotens, qui potest facere omnia, quæ fieri possunt: Ille potest facere omnia, quæ fieri possunt, qui semper & immutabiliter est: Ergo qui semper, & immutabiliter est, est omnipotens. Pr. minor. Ex rebus omnibus quædam fuerunt, quædam sunt, quædam erunt, quædam sunt solum potentia; Igitur virtus producendi omnia est virtus quæ fuit, quæ est, quæ erit: At virtus quæ est, quæ fuit, quæ erit, est virtus summi Dei, qui semper & incommutabiliter est: Ergo qui semper & immutabiliter est, habet virtutem faciendi omnia, quæ fieri possunt: *Ex lib.* XXVI. *contra Faustum cap. 5.*

2. Animadversio ad solvendas objectiones. Ut facilius argumentis occurras, quæ possunt ex adverso proferri, animadverte *Impossibile* aliquid dici posse multipliciter. Ac primo impossibile appellatur, ad quod pares vires non suppetunt, ut parvulus exercere nequit athletham, videre catulus, vivere perpetuo animal. Deinde appellatur impossibile, quod ut plurimum non fit, quo sensu ait Matth. v. 15. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Tertio dicitur impossibile, quod rationi non est consentaneum, aut legi adversatur, ut Gen. 44. 22. *Non potest puer relinquere patrem suum.* Quarto vocatur Impossibile, à quo justa de causa voluntas est aliena, ut Matth. XIII., & Marc. VI. 5. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, propter incredulitatem eorum.* V. Impossibile nuncupatur, quod hominibus quidem est tale, non autem Deo, ut concipere virginem, hominem iterato nasci, & qualecunque miraculum perpetrare. Quum ergo dicimus, nihil Deo esse impossibile, accipitur impossibile in primo, secundo, ac postremo sensu, non in tertio, vel quarto: quippe certum est, Deo plura non convenire, ut posse mori, posse peccare; pluraque fieri ab eo, aut prætermitti, quæ possent aliàs pro ejus lubitu evenire. Atque rationem reddimus apertissimam; si enim Deus indecora ac prava posset efficere, non esset justus ac sanctus, sed deficiens ac improbus; & consequenter repugnat, Deum optimum maximum posse facere quæ rectæ adversantur rationi, & quæ à deficiente & infirma, non à potentissima causa dependent. Quod si non posset voluntate sua plura, quæ possibilia sunt, non efficere; foret necessarium agens, non liberum, & facultate perfectissimi arbitrii careret.

3. Oppositio 1. Oppones 1. Deus non potest mori, non mentiri, non peccare, non facere, quod res jam præterita non fuerit, non immutare, & evertere naturas rerum. Ergo non potest omnia.

Solutio. Resp. nego consequentiam. Quæcunque enim memorata sunt nequaquam posse, non infirmitatis argumentum est, sed potentiæ, quod de singulis breviter quidem, sed ratione probaturus sum validissima. Quantum ad poten-

potentiam moriendi, optime respondet Estius dist. XLII. §. 2. ac Sylvius Q. XXV. art. IV. Deum dici omnipotentem secundum potentiam activam, & non secundum potentiam passivam, quæ est imperfectio consectaria materiæ: Atqui posse pati, mori, augeri, mutari, passionem, non actionem significant: Ergo nullatenus ad Dei spectant omnipotentiam. Ac Sylvius hæc acceperat à D. Thoma II. contra Gen. cap. 25., cujus doctrinæ fidelissimus est interpres. Addo hæc primo tradidisse Augustinum, qui lib. V. de civit. Dei cap. X. ait, Deum esse omnipotentem *faciendo quidquid vult, non patiendo quæ non vult.* Et quidem si posse mori non imbecillitatis esset, sed potestatis; nonne immortalis anima, atque Angelici Spiritus forent pecudibus, natisque ad corruptionem corporibus deteriores? Vere itaque Deus est omnipotens, quia mori ac pati non potest; nam quod patitur & moritur, impotens est.

4. Quid dicendum de potentia fallendi & peccandi.

Idem dicendum est de potentia fallendi ac peccandi. Quod primum ostendo, quoniam mendacium & peccatum non causam effectricem habent, sed deficientem, quum defectum importent ac privationem: deinde istam argumentationem propono: Sicut ens, quod potest excidere ab ente, non est summum ens; ita potentia, quæ potest excidere à veritate & à bonitate, non est summa potentia; etenim summa potentia est summum ens, & veritas pariter ac bonitas sunt aliquod ens: Atqui posse mentiri, & posse peccare, est posse excidere à veritate, & bonitate: Ergo posse mentiri & peccare non est summa potentia. Quapropter S. P. serm. CIX. de Temp. inquit: *Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli: tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens.* Idem habet lib. V. de civit. Dei citato loco, & serm. de Symb. ad Catech. cap. I. Neque dicas, hæc nullam importare contradictionem, quum homo & fallatur, & mentiatur, & moriatur: confestim enim repono, equidem non implicare si conferantur cum creatura, quæ potentiam habet passivam, & deficere potest ab *esse*; at non ita est, si comparentur cum summa potentia, quæ nulla ratione, ut dixi, ab ullo *esse* potest excidere.

5. Quid de rebus præteritis dicendum.

De rebus præteritis non una est Theologorum sententia. Nam S. Petrus Damian. Opusc. XXXVI. nititur probare, quod Deus omnipotens illud quoque possit efficere, ut compressa virgo non sit compressa. Ita docet Gilbertus Porretanus in lib. de Trinit. & Guilelm. Antisiodor. in Summa: quibus subscribit Gregorius noster Arimin. dist. XLII. art. 2. quæst. I. quamquam Frid. Gavardi affirmet, Gregorium instituere disputationem de re præterita non *reduplicative*, & in sensu composito, nempe prout sub præteritione consistit, sed in sensu diviso, & præteritione præcisa: quo sensu quæstionem dirimit etiam Gaspar Juenin differt. IV. quæst. IX. cap. I. sed Theologi & numero & eruditione præcipui negant unanimiter, spectare ad infinitam potentiam, ut efficere possit non fuisse, quæ fuerint. Neque in hac quæstione diutius immorabor: cum apertissime illam definiat S. Pater Augustinus lib. XXVI. contra Faustum cap. V. dicens: *Quisquis dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere: Si omnipotens est, faciat, ut quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. Potest enim facere, quod aliquod non sit quod erat, tunc enim facit ut non sit, quando id esse invenerit, de quo fiat; ut cum aliquem, qui cæpit esse nascendo, facit non esse moriendo, hoc enim factum invenit de quo fieret. Quis autem dicat, ut id quod jam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est, jam non est: quod si & de ipso fieri aliquod potest, adhuc est, de quo fiat.* In his autem Augustini verbis putant quidam, alioquin docti viri, aperte distingui duplex illud præteriti genus quod commemoravi, præcisa scilicet præteritione, & ea consistente. Sed ego hebes ingenio hanc discrepantiam non video: imo neque sine præteritione præteritum cogitare possum; quemadmodum sine humanitate hominem, sine productione rem productam, sine divinitate Deum nequeo aliqua ratione comprehendere. Quod si creaturam transactam, aut præsentem, aut futuram ab omni sejunxeris temporum differentia, non aliam mihi ideam suggeris, quàm creaturæ; ad quam producendam validissimam esse potentiam Dei, nemo potest rationabiliter dubitare. Dicendum ergo implicare, & à nullo hominum ratione prædito posse intelligi, nunquam fuisse quod fuit aliquando; neque in disputationem vertendum esse, num possint fieri quæcunque fieri non possunt. De quibus si lubet, ut fit interdum, raptis extra orbitas cavillari; nostratum manibus teruntur pro Ariminensis sententia argumentationes Hyacinthi Tonti Theologi atque Concionatoris clarissimi, ad cujus laudum cumulum parum posset accedere,

dere, si verborum delectum, & ingenii servâsset severiorem moderationem.

6. Quomodo naturæ rerum immutabiles.

Naturas autem rerum esse immutabiles fateor, si in ideis ac notionibus inspiciantur, sive ut Scholæ utamur vocabulis, in prædicatis essentialibus: non enim ita acceptæ sunt aliud, quàm perceptiones animæ, quæ ad regulam exiguntur Divini luminis & incommutabilis veritatis. At si accipiantur ut existunt, & in rerum creatarum serie constituuntur; quisquis illas diceret immutabiles, ipse naturas rerum perverteret. Etenim potest Deus aquam in vinum, in sanguinem, in vaporem ignis convertere, potest suscitare, de lapidibus filios Abraham, potest universi ordinem immutare: & fictitia est ac repugnans perceptio immutabilis creaturæ; quæ eo ipso, quo creatura est, non potest non esse mutabilis.

7. Oppositio 2.

Opp. 2. Dei potentia & Dei voluntas idem sunt, atque, ut Augustinus scribit cap. 96. Enchiririd., *Non ob aliud Deus veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult, potest.* Sed Deus non vult omnia: Igitur nec omnia: potest.

Solutio.

Resp. Omnipotentiam, & voluntatem Dei esse idem realiter & in se, non autem connotative; illa namque consignificat omnia possibilia, hæc definita tantum, ac volita. Augustinus vero idcirco affirmat, Deum esse omnipotentem, quoniam quidquid vult illud potest; non quod Dei potentia concludatur voluntate, sed quod ex voluntate possit apertissime demonstrari. Nam si probatur creaturæ imbecillitas ex quo impediri possit quod ipsa vult; probatur optime summa potentia Dei ex quo impediri non possit quod Deus vult: & propterea S. P. immediate ait: *Nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Habes in eodem Enchirid. libro cap. 95. hæc alia Augustini verba, quæ omnem tollunt dubitationem: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur: quàm certa & immutabilis, & efficacissima sit voluntas Dei, quàm multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in Psalmo canitur, Deus autem noster in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Attamen ut plane proposita dubitatio expendatur, sit

8. Propositio 2.

Propositio II. Potest Deus plura facere, quæ non facit.

Spectat hæc prop. ad fidem, eamque defendunt Catholici omnes contra Abaelardum, & Wiclefum, quibus addit Estius Calvinum, qui tamen fatetur in lib. de vera Religione, posse Christum, si vellet, panem in suum corpus convertere; ideoque ab hoc errore immunem fuisse putant Juenin dissert. IV. cap. 2. & Petavius lib. v. cap. 6. n. XVII. Calviniani tamen asserunt, quod revera natura rerum non patitur, ut panis substantia in corpus Christi convertatur; & forte non est ubique sibi constans eorum antesignanus; neque errat Estius, qui errorem Calvini distinguit ab errore Wiclefi; iste enim hoc nititur fundamento, quod Deus agat necessitate naturæ; Calvinus vero quod agat necessitate justitiæ ac sapientiæ suæ, quæ non patiuntur res alio ordine fieri, quàm prout institutum est, etiamsi consequatur libertatis exitium, & peccandi necessitas. Præ cæteris hanc quæstionem pari eruditione, & copia dissolvunt Hugo Victorinus de Sacram Fid. lib. I. p. 2. cap. ultimo, Thomas Valdensis Tom. I. lib. I. art. I. cap. 10. laudatus Estius Dist. 43. Petavius citato lib. v. cap. 6., Silvius Quæst. XXV. art. 5. Greg. dist. XLII. quæst. I. &c.

9. Probatur posse Deum plura facere quæ non facit ex Scriptura.

Atque probatur 1. Plura Deo possibilia esse Divina narrat Scriptura, nec tamen usquam leguntur facta: Ergo præter ea, quæ facta sunt, potest Deus summe potens multa facere. Prob. ant. Sap. XI. 18. habetur: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes .... Sed & sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ; sed omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti* II. Macchab. VIII. 18. *Potest & venientes adversum nos, & universum mundum uno nutu delere.* Mat. III. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ubi tametsi lapides in Abrahæ filios commutandi figurato loquendi genere designant gentes ad fidem venturas, non tamen si literaliter accipiantur, excedunt Divinæ potentiæ mensuram; quum Isaiæ LI. I. effœti Abrahami femur cavernæ ac lapidi comparetur: neque difficilius

sit Deo hominem excidere ex lapide, quàm Isaac procreare ex infecundis, senibusque parentibus. Et cap. xxvi. 53. ita Christus Petrum alloquitur: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Ubi satis erat duodecim Angelos Apostolis comparare, vel unum ad perdendos hostes accersere; sed duodecim legiones nominavit ut Patris potentiam ostenderet. Porro neque immisit Dominus in Aegyptios ursorum multitudinem aut leonum, neque nutu universum mundum delevit, neque suscitavit ex lapidibus filios Abraham, neque legiones Angelorum in sui defensionem adscivit: Narrat ergo Divina Scriptura omnipotentem Dominum plurima posse, quæ nunquam perfecit.

10. Probatur ex Patribus.

Probatur 2. ex PP. inter quos Athanasius lib. III. contra Arianos: *Poterat*, inquit, *etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, & maledictionem solvere. Poterat etiam ab initio Salvator advenire, & cum advenit, non tradi Pilato.* Hieronymus in Comment. ad cap. 1. Isaiæ: *Qui tantorum signorum patrator est, & cœlum terrasque & maria suo facit servire nutui, etiam ipse crucem evadere potuit.* Pro omnibus sit Augustinus, qui in Opusc. ad Marcellinum cap. 1. ait: *Absurdum tibi videtur dici, aliquid fieri posse, cujus desit exemplum: cum sicut credo non dubites, nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret; & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile: legas etiam duodecim (millia) legiones Angelorum pro Christo, ne pateretur, pugnare potuisse, nec tamen factum: legas fieri potuisse, ut semel gentes exterminarentur à terra quæ debetur filiis Israël; Deum tamen id paullatim fieri voluisse; & alia jexcenta possunt occurrere, quæ fieri potuisse, vel posse fatemur, & eorum tamen exempla, quod facta sint, proferre nequeamus.* Vide ejusdem libri cap. xxxv. De qua Augustiniana sententia scribit Petavius cit. loco n. x. peremptoriam esse, & cum litem omnem quæstionemque dissolvere, tum subtiles quorumdam nugas & ineptias discutere.

11. Probatur rationibus Theologiæ.

Nec theologicæ desunt rationes; quarum sit prima: Cum omnes creaturæ simul finitæ sint, non potest earum productione exhauriri infinita Creatoris potentia: Ergo præter ea, quæ creat & facit, nova semper, semperque creare potest, & facere. Altera: Si Deus non posset nisi quæ facit, ergo non potuit præservare Adam à transgressione, nec Davidem ab adulterio, neque à perditione Saulem: non potuit emollire cor Pharaonis, convertere Achab, trahere Judam ad pœnitentiam: non potuit descendere de Cruce, non signum dare petentibus Scribis, non montem in medium maris transferre: quæ si vera sunt, tollitur gratia, perit libertas, cessat meritum: & inevitabilis est rerum omnium eventus, excusabilis Pharisæorum pervicacia, necessaria reproborum malitia; quæ omnia quantum absurda sint, nemo est qui non videat. Postrema ratio hæc sit: Deus potest facere ut terra tremat, ut pluat manna, ut sistant se aquæ fluminum, ut tenebræ fiant super universam terram, ut scindantur petræ, & alia innumera, quæ fecit olim in diebus Moysis, Josue, Oziæ, extremoque tempore mortis suæ; vel hæc patrare non potest: Si non potest; suam ergo perdidit omnipotentiam: Si potest; ergo potest aliqua, quæ non facit. Non enim renovantur modo prædicta, aliaque signa, quæ certum est præcessisse.

12. Objectio 1.

Opp. 1. Matth. xxvi. 39. ita Christus Patrem est adlocutus: *Si possibile est, transeat à me calix iste?* scilicet, subtrahe me, si fieri potest, ab imminente crucis supplicio: Atqui non transiit à Christo calix, neque eum Pater à teterrima morte subtraxit: Ergo erat id impossibile. At quare Pater filium non subtraxit à morte? Profecto quia pro humani generis salute eamdem mortem decreverat. Est igitur impossibile quidquid Deus facere non decrevit, quidquid altissimæ sapientiæ suæ consilio non vult.

Solutio

Resp. dist. conc. Ergo erat impossibile absolute, & impossibilitate primi generis, id est virium defectu, nego. Impossibilitate quarti generis, id est, repugnante decreto, & voluntate Patris, concedo. Vide prænotata propositione I. Quando Christus ait: *Si possibile est*, non dubitavit an posset Pater ipsum à morte subtrahere; sunt enim apud Deum omnia possibilia, ut habetur Mat. xix. 26. sed ait, si possibile est ordinata potentia, consistente cum æterno decreto, quod perinde est, ac si dixisset, *si vis*. Eximit omnem scrupulum Lucas xxii. 42. ita Christi orationem enarrans: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quam responsionem non soli tradunt Scholastici, & sacri Interpretes, verum & Grotius in hunc locum Commentario, quod propter hodiernos hæreticos dignum est ut producatur. *Quomodo autem cohæret conditio illa εἰ δυνατὸν ἐστι, si possibile est,*

quam

quam cum Matthæo etiam Marcus ponit, cum eo quod apud Marcum sequitur πάντα δυνατὰ σοί, omnia tibi possibilia sunt? *Nimirum recurrendum hic est ad illam tritam in scholis distinctionem; ejus quod* ἀδύνατον, impossibile, *sit per se, & ejus quod* ἀδύνατον impossibile, *sit hoc, vel illo posito. Nam per se nihil est Deo* ἀδύνατον impossibile, *extra ea quæ sunt in semetipsis* ἀσύστατα repugnantia, *aut quæ Divinæ naturæ repugnant. Ad sensus est, si tua decreta ferunt ut alio modo tuæ gloriæ, & hominum saluti æquè consulatur.* Doctissimus Estius Comment. in loca difficiliora Scripturæ addit, Christum non dixisse, *Si possibile est tibi*, quemadmodum pater habentis spiritum mutum apud Marcum IX. 21. ait, *si quid potes, adjuva nos:* quod utique aliqua videretur de Divina potentia hæsitatio: sed ait Christus, *Si possibile est*, nempe, in se non repugnans propter paterni decreti consistentiam. Uno dicam verbo: Deus omnia potest absoluta potentia, non ordinata, & supposita voluntate; quæ non esset, si posset revocari, immutabilis.

13. Objectio 2. Opp. 2. Deus non potest facere nisi ea, quæ prævidit, nam si posset facere quæ non prævidit, posset absque providentia operari: Atqui prævidit ea sola, quæ facit; Ergo ea sola, quæ facit, hæc potest.

Solutio. Resp. eodem pacto dist. ma. potentia ordinata, & supposita præscientia, concedo: potentia absoluta, nego. Potest absolute Deus facere quidquid non repugnat; facit autem quod solum præscivit & præordinavit. Itaque ex præscientia ac providentia infertur tantum ea non esse futura quæ non fuerunt prævisa, minime vero non esse possibilia; nam poterat Deus alia præordinare ac præscire. Vide loco cit. Victorinum. At forte inquies: Sapientia Dei est immutabilis: non ergo poterat Deus alia prævidere. Utique sapientia Dei est immutabilis, sed non est ad unum, vel alterum determinata. Dicitur de Deo sapientia, dicitur & præscientia: sapientia respectu omnium penitus rerum, præscientia respectu futurarum. Itaque sola præscientia quamdam habet in connotatis terminationem: at quatenus in Deo sunt, nullum est inter utramque discrimen: sed mutabilitas est penes solas creaturas, quæ ideo sunt futuræ quia sunt prævisæ; & poterant non esse futuræ, quia poterant non esse prævisæ, constante eadem providentia in eo ut non fierent, sicut modo in eo consistit ut fiant.

Opp. 3. Hieronymus Dialogo primo contra Pelag. affirmat, illud tantum esse possibile, quod est futurum. 14. Objectio 3.

Resp. Hieronymum loqui de eo quod est possibile homini, contra Pelagianos, qui jactabant, posse hominem vivere sine peccato; & quos redarguit ex ipsa hominum imbecillitate satis experimento manifesta. Cæterum posse Deum tantam gratiam elargiri, si vellet, ut quilibet omne prorsus evitaret peccatum, qualem habuit Sanctissima Dei Genitrix, idem Hieronymus tradit lib. 2. contra Pelagianos cap. 6. laudatque Augustinum, qui idem affirmat lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6. 14. & 17. Unde retorqueri potest argumentum: Potest Deus specialissimæ gratiæ beneficio hominem toto vitæ tempore ab omni prorsus peccato immunem reddere, nec tamen id præstat: Potest ergo præter ea, quæ actu exequitur, alia complura. Solutio.

Propositio III. Potest Deus facere meliora iis, quæ fecit. 15. Propositio 3.

Sequitur ex dictis; & probatur. Probatur I. Quia Apost. ad Eph. III. 20. ait: Deum posse omnia facere præter ea quæ facta sunt hactenus, & supra ea quæ possumus cogitare: *Potens est*, inquit, *omnia facere superabundanter quam petimus, & intelligimus.* Ubi in Græco codice habetur τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, &c. Repetitur particula ὑπὲρ *super*, ac primo dicitur ὑπὲρ πάντα *super omnia*, deinde ampliori auxesi ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ, *superabundanter*; quorum primum refertur ad opera, alterum ad cogitationem nostram; & consequenter ostenditur, Deum posse & meliora his, quæ facta sunt, & meliora iis, quæ aut petere audeamus, aut cogitare. Deum posse facere meliora iis, quæ fecit ex Scriptura.

Deinde probatur ex Patribus. Constat enim ex Augustino & Hieronymo, ut nuper diximus, posse Deum facere, ut humana voluntas ope adjuvante Divina in nullum prolabatur peccatum, ut immortalitate cum animæ, tum corporis rationalis creatura sit prædita; atque, ut ait Dionysius VIII. de Divinis nominibus, infinitas virtutes ab iis, quæ jam conditæ sunt, in infinitum perfectiores producere. Quæ tamen omnia, ut admonui, intelligenda sunt juxta absolutam potentiam, non vero hac providentia suppositâ. Quis enim hoc statuto rerum ordine dubitet, quin providentissima majestas id effecerit, quod melius erat, & rectius? Huc spectant omnes rationes superius productæ, præcipue quod nullo opere quantumvis perfecto ac mirabili infinita exhauriri potest omni- 16. Probatur ex Patribus.

potentia: & ea insuper, qua utitur S. Pater contra Manichæos 11. de civit. Dei 22. quoniam si Deus optima quæque produceret, ut non posset addere meliora; omnia à visibilibus usque ad invisibilia forent æqualia, & nil præter angelos vel homines procreâsset.

17. Opponitur 1. Opp. 1. Ut asserit lib. LXXX. Quæst. 50. S. Pater, si Deus potuisset gignere Filium sibi æqualem, nec genuisset, fuisset invidus. Ergo si potuisset procreare meliora, nec procreâsset, invidus pari ratione fuisset.

Respondetur. Resp. nego consequentiam ac paritatem: Aequalitas enim naturæ debetur filio, omnis enim generatio in naturæ similitudinem fieri debet, & consequenter nequit pater, nisi invidus sit, filio suo perfectionem vel minimam denegare: quæ ratio de rebus creatis non militat, quibus nulla perfectio debetur, sed quamcunque habent, beneficium est ex liberalitate Conditoris. Præterea invidentia, quæ est odium felicitatis alienæ, ut eam definit S. P. in Psalm. CIV. locum non habet in iis, qui nullum bonum vel malum possunt ex aliis capessere, neque in iis, qui maxime distant: ideoque non potest Deus esse invidus creaturis, quæ nihil possunt Divinæ detrahere felicitati, atque immensum ab eo conditione ac dignitate recedunt.

18. Instantia. Si dicas Augustinum in 4. de Gen. ad lit. cap. 16. eodem modo de Filio Dei, ac de omnibus creaturis ratiocinari; nam ait: *Si bona facere posset Deus nec faceret, magna esset invidentia;*

Solutio. Estius, Sylvius, Juenin reponent minus esse auctoritati horum librorum attendendum. Revera de his scribit S. P. 11. Retract. cap. 24. *In quo opere plura quæsita, quàm inventa sunt; & eorum quæ inventa sunt pauciora firmata: cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint.* Sed respondere etiam possumus, Augustinum loqui supposita hac providentia, & consistente decreto definitam perfectionem unicuique rei tribuendi; quam, cum sit immutabilis & invidentiæ, sicut & cujusque passionis expers, quadam consequente necessitate eo modo, quo libere definivit, largitur. Nam in III. de libero arbitrio cap. IX. utrumque distinguit, & posse Deum producere meliora, & posito hoc ordine creaturarum, invidum esse, qui velit aliquam interire: *Si dixerit*, inquit, *non erat tamen difficile aut laboriosum omnipotenti Deo, ut omnia quæcunque fecit sic haberent ordinem suum, ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus invidit: respondebo, ordinem creaturarum à summa usque ad infimam gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat qui dixerit: Ista non esset; invideat etiam ille, qui dixerit: Ista talis esset. Si enim talem vult esse qualis est superior, jam illa est, & tanta est, ut adjici ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit, Etiam ista talis esset, aut perfectæ superiori vult addere, & erit immoderatus & injustus; aut istam vult interimere, & erit malus, atque invidus.* Quæ, & alia, quæ ibidem Augustinus dissertissime disputat, haud obscure probant, Deum ea fecisse quæ statuto providentiæ ordini congruunt, neque possunt absque malevolentiæ nota immutari.

19. Opponitur 2. Opp. 2. Deus est optimus: sunt ergo optima quæcunque facit.

Respondetur. Resp. dist. conseq. sunt optima, id est præintento fini, decretoque ordini maxime congruentia, concedo: sunt optima, id est naturam habent, conditionemque præstantissimam, nego.

Insurgitur. Si insurgas, ex opere artificis sapientiam, ac prudentiam pensari;

Solvitur. Dico non elucescere infinitam Dei virtutem in creatis operibus, si unice illorum attendatur substantia, quæ finita est, & in comparatione Auctoris sui, *tanquam nihilum*: sed optime intelligi ex modo, & ratione producendi: quum enim supremus artifex neque materia, neque temporis intervallo, neque causarum aliarum subsidio ad quæque vel maxima moliendum, opus habeat, hinc satis ejus virtus ac sapientia splendescit: atque, ut ait S. Pater II. de civit. Dei cap. 22. *Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.*

20. Objicitur ultimo. Si objicias ex artefactis hominum peritiam scientiamque æstimari;

Respondetur. Resp. id esse primo, quia cum homines materia, instrumentis, & aliorum egeant ministerio, nequeunt propriam ostendere industriam, nisi in artefactis elaborandis: deinde quia, cum hominum ars & sapientia non sit essentialis, perfectioribus operibus & ipsa perficitur, ideoque ex his æstimatur. Contra Deus summopere commendatur ex modo in minimis quoque, ut diximus, infinito; &, cum sit perfectissimus essentialiter, neque artem acquirit, neque proficit operando, neque laudari proinde debet ex sola suorum operum conditione.

CA-

CAPUT VII.

Quod Deus sit verax, nec possit homines in errorem inducere.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Deus est summè verax, neque potest esse seductor, aut auctor mendacii.
4. 5. 6. 7. Proponuntur, & solvuntur objectiones.
8. Adnotationes quædam ad quæstionem, an mendacium sit intrinsecè malum, quæ ad sacrarum litterarum intelligentiam sunt aprimè utiles.

De Veracitate Dei.

NON omnia hoc loco ad crisim revocabimus, quæ in sacris literis primo aspectu videntur esse mendacia; sed ea tantum quæ directe opponi possent contra Divinam veracitatem. Sive enim exempli causa Abraham, Jacob, Judith, Nathan, aut Prophetarum alii quandoque ut homines mentiti fuerint, nec ne, non est hujus loci disserere. At si proferri possunt quæ à Deo vel per se, vel per alium falso sint prænuntiata, evertantque hoc Divinæ attributum veracitatis, ea hoc loco sibi vindicant sedem. Dabo tamen quasdam regulas ad cætera quoque explicanda, quæ ad Prophetarum, sanctorumque hominum prædictiones intelligendas magnopere deserviant; posteaquam sequentem firmavero positionem.

1. Propositio. PROPOSITIO: Deus est summe verax, neque potest esse seductor, aut auctor mendacii.

Probatur veracitas Dei ex scriptura. Theologi omnes hanc thesim propugnant, sed breviter & nervose Canus lib. 2. cap. 3. Gregorius Ariminensis dist. XLIII. Quæst. 2. Petrus Annatus lib. 2. de Divina Script. art. XII. Aurelius Piette Tom. III. quæst. IV. de Fide, & alii, quos ommitto. Et probatur 1. Divinis Scripturis: in quibus habetur Num. XXIII. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Roman. III. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* 2. ad Timoth. II. 13. *Fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Ubi *fidelis*, & *verax* eadem significatione usurpantur, ex Græcis codicibus, in quibus πιστὸς idem est ac ἀληθὴς: & ea propter tam Græci, quam Latini dicunt ψεύδεσθαι, *mentiri* eum, qui fidem fallit.

2. Probatur ex Patribus. Deinde probatur ex Patribus Chrysostom. Hom. XXXVIII. in Joan. *Mentiri*, inquit, *non potest Deus.* Ambros. ad Chromat. *Nunquidnam mentitur, Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile autem istud nunquidnam infirmitatis est? Non utique.* S. P. Augustinus XXII. de civit. Dei 15. *Si velint invenire quid omnipotens non potest; ego dicam mentiri non potest.* Consentiunt Gentiles Philosophi: quos inter Plotinus lib. Enn. VI. 8., & Proclus lib. 1. Platon. Theol. cap. 17. diserte, & acute probant, Deum non posse ullius mendacii, vel fraudis esse causam; atque Simplicius, & Alcinous, Deum *Veritatis* nomine appellaverunt, *quod veritatis omnis ita sit principium, ut sol omnis luminis*, inquit Huetius.

3. Probatur ratione. Argumentum à ratione petitum, & quidem validissimum, vide præcedenti cap. Prop. 1. Diximus enim Deum, cum sit summum ens, nulla ratione posse excidere à veritate; aliàs potentiam passivam haberet, & perquammaximam imbecillitatem. Quod argumentum potest consimilibus roborari. Ac primo; nam si Deus est summum ens, debet esse summe bonus, summe verax, summe potens, summe in unoquoque genere perfectionis excellens: Ita est summe bonus, summe potens, summe perfectus, ut nulla in ipso sit malitia, nulla imbecillitas, nullus defectus: Ergo ita est summe verax, ut nullus in eo esse queat error, nullum mendacium, nulla fraus. Deinde: Repugnat Deo quod intrinsece malum est, & ab ipso vetitum; Mentiri intrinsece malum est, ac vetitum: Ergo Deo repugnat mentiri. Denique; Ea est creaturarum imbecillitas, ut deserere interdum possit veritatem, quoniam obnoxia est affectionibus, & nunquam facultate ac virtute sua in eodem permanet statu: Igitur Deus permanens, immutabilis, eadem semper volens, habet natura sua, ut sit fallere, & falli perpetuo & incommutabiliter impotens. Propterea citato Numerorum loco cum dixisset Moyses: *Non est Deus ut homo, ut mentiatur*, subdit è vestigio: *Nec ut filius hominis, ut mutetur.* Et Matth. XXIV. 36. ut prædictionum suarum certissimus expectaretur eventus, ait Christus: *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt;* id est, fieri potest ut cælum & terra deficiant, non

autem, ut irrita fiant verba mea: quam interpretationem ostendit Lucas cap. XVI. 17. dicens: *Facilius est autem cælum & terram præterire.* Matthæi phrasis derivata est à proprietate Hebraicæ linguæ, in qua cum non habeatur modus hypotheticus & subjunctivus, pro *transirent*, usurpatum est futurum indicativi.

4. Objectio 1. Opp. 1. Non semel Deus mentitus est: nam Genes. 4. Caino timenti ne occideretur, ait: *Nequaquam ita fiet*, & tamen occisus est à Lamech. Jonas cap. 3. jubente Deo prædixit post quadraginta dies Ninivem subvertendam, nec tamen diruta est. Christus Dominus Marci XIII. 32. ait, se diem, & horam extremi judicii nescire, & nihilominus omnis in eo est scientiæ plenitudo: & Joann. VII. 8. rogatus ut templum ascenderet: *Ego*, inquit, *non ascendo ad diem festum istum*: atque ascendit tamen. Falsum est ergo, Deum nunquam protulisse mendacium.

Solutio. Resp. nego ant. Ad Caini factum respondet Annatus, utique fuisse occisum à Lamecho; at Deum non prædixisse Caino nequaquam occisum iri, sed tantum id non esse eo modo futurum, quo Cain timebat, nam neque à primo occurrente vulnus accepit, neque ex intentione ipsum Lamech interemit, sed inter aucupium, & in venando, cum crederet feram telo confodere. Quod & Hieronymus ex traditione Hebræorum scribit Epist. 125. ad Damasum, & plurimi etiam tradunt Interpretes. Sed verior est responsio, Cainum, tametsi eam promereretur mortem, uti propria ipsum monebat conscientia, & naturæ dictatum, *ut quisque ferat quæ fecit*, Deo tamen clementissime exiguum numerum hominum spectante, fuisse à violenta morte servatum: de qua re plura Grotius in I. de jure belli & pacis cap. II. §. 5. & in eruditissimis notis Gronovius. Atque hanc sententiam aperte confirmant ea verba Lamech: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.* Nam Cain Lamechi abavus, & pluribus major generationibus non poterat ab occisore suo adolescentulus appellari. De Ninive communis est sententia, fuisse vaticinium comminatorium; nam sunt plura ejusmodi in sacris literis, quæ implenda essent sic rebus manentibus. Sed altera est ingeniosior Augustini responsio Enarrat. in Psalm. L. n. 11. *Stetit Ninive, an eversa est Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletum fuisse quod propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, & vide quia eversa est: eversa in malo; ædificata in bono: sicut eversus est Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator.* Eamdem explicationem tradit S. Pater lib. XXI. de civit. Dei cap. 2. Quomodo Christus dicatur diem judicii nescire, quum abutantur hoc loco Ariani & Sociniani ad ejus impugnandam divinitatem, dicam in libro VII. qui erit primus de Trinitate. Nunc satis est, si dicamus, nescire Christum illam diem, ut revelet hominibus, quo sensu proreges ac ministri dicuntur nescire credita sibi Monarcharum secreta. Ad illud, quod objicitur ex Joan. VII. 8. alii respondent, Christum dixisse, se non ascensurum ad diem festum palam, & eo modo quo rogabatur; alii, dixisse, se nondum, scilicet eo tempore ascensurum. Et quidem utraque responsio convenit cum iis, quæ sequuntur: *Hæc cum dixisset mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.* Alii ne Christus argueretur mendacii legerunt, Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, *Ego nondum ascendo*: quidam addiderunt adverbium temporis νῦν *nunc*: nonnulli delendum putarunt pronomen ταύτην, *istum*. Sed genuinam esse vulgatæ nostræ lectionem constat, quod hinc Porphyrius olim Christum calumniatus fuerit de mendacio. Neque opus est veram immutare lectionem; nam Christus, cur non ascenderet, causam apertissimam protulit, dicens: *Quia meum tempus nondum impletum est;* Græce πεπλήρωται, *completum est.* Πληρόω autem, *compleri*, proprie dicitur de certo tempore, quo est expectandum.

5. Objectio 2. Opp. 2. Si Deus esset summe verax, non præcepisset malis angelis & hominibus, ut alios deciperent: At præcepit: Non est ergo summe verax. Pr. minor: Ex. XI. 2. ait Dominus Moysi: *Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo vasa argentea, & aurea.* Scilicet animo ea furandi, & commodantes fallendi. Et III. Regum cap. XXII. 22. dæmoni dicenti: *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*: respondit Dominus: *Decipies & prævalebis: egredere, & fac ita.*

Solutio. Resp. nego minorem. Ad priorem ex lib. Exodi probationem, missa ea quæstione, num Israëlitæ furtum patraverint, de qua non est una Patrum sententia, ut constat ex Commentariis Calmet ad cap. III. 22. certum est, quod potuit

potuit Deus præcipere ut Hebræi vasa peterent ab Aegyptiis, & populus id exequi absque ullo mendacio, vel mutui simulatione. Quod si Israëlitæ deceperunt Ægyptios dicentes se reddituros quæ ipsis commodabantur; id quidem permisit Deus in pœnam idololatrarum qui furtum licitum esse putabant, sed non præcepit. Atque idem de spiritu deceptore prophetarum Achab erit sine ulla dubitatione asserendum; quippe ea verba: *Egredere, & fac ita*, non sunt Dei præcipientis, sed permittentis. Proni namque ad fallendum nequissimi spiritus non jussum nutumque expectant, sed permissionem: & exemplum satis, ut arbitror, idoneum habemus Matt. VIII. 32. ubi rogantibus dæmonibus ut mitterentur in gregem porcorum, respondit Jesus: *Ite:* Quod permittentis verbum esse constat ex Marco v. 13. qui ait: *Et concessit eis statim Jesus.* Cum ergo Dæmones & fallere & nocere peroptent, idque valeant nativis viribus nisi à superiori vi impediantur, non opus habent, ut proprio indulgeant genio, Divino mandato aut consilio. Judæ quoque proditori ait Christus Joan. XIII. 27. *Quod facis, fac citius.* Quæ vox *non jubentis est, sed sinentis*, inquit Serm. VII. de Passione Magnus Leo.

6. Instantia. At dices: Non ita sentit Augustinus, qui in lib. Quæst. LXXXIII. q. 53. de Aegyptiis ait, fuisse deceptos jubente Domino, *quoniam deceptione digni erant.* Et de prophetis Achab: *Quem Deus*, inquit, *per se non falleret, eum fallit, Deo jubente, Cacodæmon.*

Solutio. Respondet Canus lib. 2. cap. 4. ipsum Augustinum lib. de Prædest. & Grat. cap. 4. docuisse, quomodo ejus testimonia accipere debeamus his verbis: *Non operatur Deus in homine ipsam duritiam cordis, sed indurare eum dicitur quem mollire noluerit: sic etiam excæcare, quem illuminare noluerit, & repellere eum, quem noluerit vocare.* Recte quidem, sed non est opus extra libr. 1 præfatum LXXXIII. quæst. vagari. Quippe eodem, qui objicitur loco, ait: *Quapropter cum Aegyptii deceptione digni essent, & populus Israël pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea & argentea, quibus adhuc terreni regni appetitores inhiabant, & peterent ab Aegyptiis non reddituri, & acciperent quasi illud reddituri.* Simulationem itaque Israëlitarum non jussit Deus, sed permisit. Idem dicendum est de spiritu nequam, qui Achabum decepit: scribit enim Augustinus id factum esse, *non sine judicio Divino*, nimirum Deo permittente. Hæc & exemplum ab ipso Augustino ibidem allatum, & absoluta sententia redduntur manifestissima. Exemplum est de odio inimicorum, de quo dictum est antiquis: *Odio habebis inimicum tuum*, ut refert Mat. v. 44. certum est autem, quod nunquam est jussum revera Israëlitis ut odio haberent inimicos; sed solum non fuit expresse prohibitum. Sententia denique absoluta hæc est: *Non itaque Deus deceptor est: quod credere nefarium & impium quis non intelligat?*

Oppones ultimo: Potest Deus innocentem occidere: Ergo & decipere simplicem.

Resp. nego consequentiam: etenim spectat ad supremum altissimumque dominum vitam dare, & eripere; *Dominus enim vivificat & mortificat*, inquit Cant. Annæ 1. Reg. II. 6. non spectat autem ad supremam veritatem quemquam fallere: sed posse in errorem inducere pugnat cum veracitate Divina; habetur namque in libro Numer. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.*

7. Objectio ultima. Solutio.

In quæstione, utrum mendacium sit intrinsece malum, expedientur nonnulla alia, quæ hoc loco objici possent. Nunc quas principio pollicitus sum, annotationes præmitto cum ad hanc quæstionem, tum ad sacrarum literarum intelligentiam apprime utiles. Sit prima: Multa Dei verba, quæ falsa rudioribus videntur, ubicunque Deus aut reprehendit, aut futuras prænunciat calamitates, sunt figuratæ locutiones, quas Rhetores appellant *Ironiam.* Ita Gen. III. 22. ait Dominus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Jud. x. 14. *Ite, & invocate Deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Esaiæ XVII. 3. *Reliquiæ Syriæ, sicut gloria filiorum Israël erunt*; id est, inquit Hieronymus, *ignominia*, &c.

8. Annotationes an mendacium sit intrinsecè malum.

Annotatio 1.

II. Nonnulla, quæ fabulosa videntur, sunt aptissimæ similitudines & parabolæ; ut Judicum IX. narratio Jotham de arboribus quærentibus, & eligentibus sibi regem, Ezech. XVII. 2. de duabus aquilis, & aliæ plurimæ, in novo præsertim testamento. De quibus memoria tenendum est quod scribit Hieronymus in cap. 12. Eccl. *Parabolæ aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur: & quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castaneārum*

Annotatio 2.

oper-

operculis absconditus fructus inquiritur: ita in eis Divinus sensus altius perscrutandus. In his maxime attendendus est scopus, ex quo earum proprietas, & significatio dignoscitur.

Annotatio 3. III. Verba Dei, quæ comminatoria sunt, ut supra dixi de subversione Ninives, accipienda sunt hypothetice, rebusque sic permanentibus. Quam regulam tradit apertissime Hieremias XVIII. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Ideo post diuturna monita, & dilatam nimis pœnitentiam locum vix habet hæc regula; ut in prædictione Hierosolymitani excidii apud Lucam XIX. 44. ubi Judæis exprobratur, quod non cognoverint tempus visitationis suæ, id est oblata neglexerint remedia salutis.

Annotatio 4. IV. Ut etiam supra monui, plura quæ videntur Dei operationem imperiumque sonare, præsertim ubi alloquitur improbos, qui meditantur iniquitatem in corde suo, de sola permissione sunt exponenda: ut Elisæus filiis prophetarum importune insistentibus ut mitterent ad quærendum Eliam, IV. Regum 2. dixit, *Mittite;* & Dominus ad Judæos, Jo. 11. *Solvite templum hoc.* Quo sensu dicitur Deus excæcâsse cor Pharaonis, & Es. VI. 10. *Excæca cor populi hujus.* Paulus quoque ad Rom. 1. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum;* & paullo post, *in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum;* id est *relicti per Divinam patientiam, non per potentiam compulsi,* ait S. P. August. de Prædest. SS. cap. 10.

Annotatio 5. V. In Vaticiniorum complemento observandum est non semper impleri in Personis ad quas fiunt, sed ut plurimum in earum posteritate. Sic Genes. XXV. 23. dicitur de Jacob: *Major serviet minori,* quod impletum est in Idumæis, regnante Davide. Aliquando etiam complentur in sensu analogico, ut in cæde Bethlehemiticorum infantium impletum est vaticinium Jeremiæ XXXI. 15. *Vox in Rama audita est, &c.*

Annotatio 6. VI. Multa non ad literam, sed mystice sunt accipienda, veluti, Joannem Baptistam esse Eliam, Christum agnum ac petram, Fideles oves, & alia id genus. In quibus ne Hæretici nobis objiciant, nos sacra torquere literas, quomodo sutores dentibus extendunt pelles, ut immerito effutit Glassius lib. II. Tract. 2. sect. 3. art. 6. de Becano, Stapletono, Joanne de S. Geminiano, aliisque viris doctissimis; æquum est, ut Ecclesiæ sequamur Magisterium, Sanctorumque Patrum interpretamenta sectemur: nec quisque propria venditet rudibus commentariola.

Annotatio 7. VII. Quum omnia, quæ in veteri testamento narrantur, fuerint umbræ & imagines futurorum, nemo debet sistere in rerum gestarum, verborumque cortice; sed potissimum considerandum est, cujus rei gratia & significatione facta, vel dicta sint. Plura enim putantur mendacia, quoniam non ea quæ vera significantur dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt dicta esse creduntur. Idque Augustinus explicat in libro contra mendacium cap. V. & 6. exemplo Jacob, qui consilio matris ait, se esse primogenitum Isaac, & personam Esau fratris sui simulavit.

Annotatio 8. VIII. Si aliquando à Deo mendaces commendari videntur, ut de obstetricibus Aegyptiis legitur Exodi 1. 20. Non officiosum mendacium putandum est comprobari, sed animi pietatem, timorem Domini, & misericordiam, ut scribunt Augustinus citato libro cap. 15. & Gregorius lib. XVIII. Moralium cap. 4. Atque idem dicendum est de quibusdam Historiis Sanctorum, quæ opponi possunt in patrocinium mendacii: sed de hac quæstione iterum differendum. Nam de veracitate Dei, quam Canus appellat caput cæterarum, controversia finitur his regulis; quarum duæ vel tres traditæ ab Aurelio Piette exemplis à me illustrantur, aliæ non minus necessariæ superadduntur. Vereor enim ne nimis otiosus videar, si doctissimorum virorum laboribus solum fruar, & ne plagii insimuler, si Auctorum qui mihi aliquo sunt adjumento, ubi occasio se dederit, non meminero.

CAPUT VIII.

De perfectione, ac pulchritudine summi Dei.

SUMMARIUM.

1. Perfectio alia est *simpliciter simplex*, alia *simplex* communiter.
2. Singulæ omnium rerum perfectiones sunt in Deo *eminenter*.
3. Deus simul & creaturæ non sunt aliquid perfectius, quàm Deus solus.
4. 5. 6. Solvuntur objectiones.
7. Reperitur in Deo summa, & perfectissima pulchritudo.

SUPER-

1. Perfectio alia simpliciter simplex, alia simplex.

SUPERVACANEUM videtur de perfectione Dei verba facere; cum enim *perfectum* sit hoc loco, non quod est ab artifice elaboratum atque expolitum, sed quod in se omne bonitatis genus complectitur; idem est quærere, num Deus sit perfectus, ac sitne summe potens, immensus infinitus, & quidquid optimum & præstantissimum nostræ potest occurrere cogitationi. Ad faciliorem tamen Scholasticorum intelligentiam addo, ab his duplex perfectionum genus distingui: quarum aliquæ *simpliciter simplices*, aliquæ *simplices* communiter appellantur. Perfectio simpliciter simplex illa est, quæ cum majori vel æquali perfectione non pugnat, sive, ut ait cap. XIV. Monologii Anselmus, *Quæ melior est ipsa, quam non ipsa;* ut esse spiritum, esse justum, veracem, beatum. *Melius namque est esse justum, quam non justum; beatum, quam non beatum;* inquit idem Anselmus cap. 5. Prosologii. Perfectio simplex ea est, quæ pugnat cum majori vel æquali, & non est melior ipsa quam non ipsa; ut qualitas, extensio, corpus, animal, aurum &c. *Nam melius est homini esse non aurum quam aurum, quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quam non esse aurum, ut plumbo.* Ait cit. cap. Monologii S. Anselmus. Atque hic est communis Theologorum sensus; licet doctissimus Petavius lib. VI. cap. 7. n. X. scribat, quod prædicata, quæ sunt ejusmodi, ut ipsa per se meliora sint quam non ipsa, veluti esse sapientem & justum, vulgo *perfectiones simplices* dicuntur. Et quidem congruentius, & clarius loqueretur, qui perfectiones prioris generis *simplices* appellaret; alias vero *in certo aliquo genere* limitatas. Has postremas perfectiones in Deo non esse, constat ex quo in eo non sit aliquid, quo potest melius excogitari.

2. Singulæ rerum perfectiones sunt in Deo eminenter.

Sunt tamen singulæ omnium rerum perfectiones in Deo *eminenter*. Quid sit contineri *eminenter* explicant Theologi, dicentes eminenter contineri, quod in alio non secundum propriam formam, sed nobiliori quodam modo comprehenditur; ut rationalis anima continere dicitur vegetativam, & sensitivam. Sed quoniam ista subobscura videntur, & repetita synonima; dixerim perfectionem contineri formaliter, quando in ea perfectionis specie res aliqua, veluti forma materies determinatur, & perfectio de ipsa re enunciatur in recto: contineri autem *eminenter*, quotiescunque res in eo perfectionis genere non est limitata, & perfectio de ipsa re prædicatur tantum oblique. Sic aurum, argentum, calidum, frigidum *formaliter* continentur in hoc, vel illo corpore, quoniam his qualitatibus & formis corpora afficiuntur, & recte enunciatur, hoc est aurum, illud argentum, istud calidum, istoc frigidum. Quoniam vero sapientia, justitia, aliaque attributa rectissime de summo Deo prædicantur, non autem sunt in aliquo genere terminata, dicuntur esse *formaliter* in Deo minus proprie; & licet invaluerit ea loquendi consuetudo, Deus est *formaliter* sapiens, *formaliter* justus; melius tamen foret dicere, Deus est sapientia, & justitia quæ ipse est, ut monui præcedenti cap. 3. Non enim est in Deo forma aliqua, aut perfectio à summo esse distincta. Hinc Thomassinus lib. IV. cap. XII. n. 12. docet, perfectiones istas aptius à Deo auferri, quam de illo affirmari. Contra, cum Deus sit causa, & exemplar omnium creaturarum, infinitus in quolibet genere perfectionum, & creaturæ de ipso Deo enuncientur oblique, non enim dicitur, Deus est Angelus, aut homo, sed, Deus est hominum, & angelorum; perfectio angeli, perfectio hominis, perfectio universarum creaturarum, non *formaliter* in Deo continentur, sed *eminenter*. Quæruntur, Theologi an Deus, & creatura simul sint aliquid perfectius quam Deus solus: ut huic quoque scrupulo satisfiat, sit

PROPOSITIO I. Deus simul & creaturæ non sunt aliquid perfectius, quam Deus solus. 3. Propositio I.

Intelligenda est thesis de perfectione, quam vocant *intensivam;* nam de numero & extensione, frustra à quibusdam disputatur: non enim hæc duo perfectionem important, sed limitationem potius in aliquo genere quantitatis: ideoque hoc complexum *Deus*, & *creatura* designat summum bonum, & bonum finitum; & numerus, & extensio tantum in bono finito reperitur, ut divulsum, & sejunctum à summo bono. Probatur autem prop. I. ex scripturis, legitur enim Ps. 38. *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Nihilum vero & ens, si complexe accipiantur, non sunt aliquid perfectius solo ente. II. Ex Patribus, dicente Augustino Tract. XI. in Joannem. *Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, sed te sine illo minor.* III. Ratione: Deus seorsim spectatus est unus, simplex, infinitus, summum bonum continens omnia bona; & ex collectione Dei, & creaturarum consurgit tantum numerus, & Probatur Deum simul & creaturas non esse quid perfectius, quam Deum solum.

& multitudo: sed numerus nullam addit perfectionem ad unum, infinitum summum bonum continens omnia bona; cum ad summum, & infinitum nulla fieri possit additio: Ergo collectio Dei & creaturarum nullam addit perfectionem Deo seorsim spectato.

4. Objectio 1. Opp. 1. Deus & creatura faciunt numerum: Ergo majorem extensionem perfectionis.

Solutio. Aegidius Romanus in 1. dist. 24. q. 3. plura numerorum genera scite distinguit. Duo ex his ad rem faciunt. Primum genus numerorum spectat ad quantitatem discretam, in qua una unitas non continetur in alia: talis est numerus E. G. quatuor drachmarum, aut quinque æris quadrantium. Alterum numerorum genus spectat ad quantitatem, in qua plures distinguuntur unitates, sed una præcontinet alias: talis est distinctio sicli à quatuor drachmis, aut obuli à quinque quadrantibus. Constat autem quatuor drachmas addere ad siclum extensionem quidem numeri, non valoris; tantum enim pendet siclus, quantum drachmæ quatuor. Expositа hoc exemplo Aegidiana doctrina, nego consequentiam; habetur enim multitudo, & extensio numeri absque extensione perfectionis, quotiescunque perfectio unius unitatis eminenter præcontinetur in alia: quemadmodum permutato in drachmas quatuor uno siclo, multiplicantur numero nummi, non extenditur valor, quoniam valor quatuor Drachmarum in illo uno siclo continebatur.

5. Instantia à Solutione. Quod si dixeris: Quamvis nummus argenteus contineat eminenter plures minores asses, hi tamen additi nummo ejus valorem adaugent: Ergo licet Deus eminenter contineat perfectiones creaturarum, istæ nihilominus, &c. Respond. nego consequentiam. Etenim etiamsi nummus argenteus tanti valeat, quanti plures minuti asses, nihilo tamen minus cum sit finiti valoris, non habet valorem proprium vilioris monetæ quæ superadditur. E. G. tanti valet siclus quam duplex didrachma, at non quanti duplex didrachma, & assis. Perfectio autem Dei est infinita, neque, si millenas addideris creaturas, pluris valet.

6. Objectio 2. cum solutione. Opp. 2. Splendor astrorum, ac plantarum vigor eminenter continentur in sole, & tamen sol sese non est perfectior sole unà cum plantis, & astris. Ita, &c. Resp. solem non præcontinere particularem astrorum plantarumque perfectionem, sed universalem tantummodo; quum Deus contra eminenter habeat quidquid perfectionis potest in creatis rebus adinveniri.

7. Propositio 2. Probatur in Deo perfectissima pulchritudo. Propositio II. Reperitur in Deo summa, & perfectissima pulchritudo.

Explicatur, simulque probatur postrema hæc propositio. Primo pulchritudo dicit congruentiam & aptitudinem, ut corpora appellantur pulchra, quæ habent aptam figuram membrorum cum quadam suavitate coloris, auctore Tullio in IV. Tusculana. In Deo autem est invariabilis ordo sæculorum, consonantia perfectionum, immutabilis regula providentiæ: atque, ut inquit Augustinus VI. de Trinit. cap. 10. *prima æqualitas, & prima similitudo*, id est, Divinum Verbum, candor æternæ lucis, & imago pulchritudinis ejus. Deinde pulchrum est quod allicit, & ad amorem trahit: & in Deo est bonitas, pietas, charitas, jucunditas, gloria, & alia, quæ nos ad amandum provocant, & in cælesti patria pleniſſimo replent gaudio. Pulchrum quoque est decus, & ornamentum animi: atque in Deo est virtus, sanctitas, magnificentia, & omnis justitiæ fons; unde Augustinus in Psal. XLIV. *Summa*, inquit, *& vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehendis injustum. Si ubique justus, ubique decorus.* Quod & Ambrosius probat in libro de Isaac & anima pluribus argumentis, inter quæ est illud comprobatum experimento, quod in sapientiæ, ac fortitudinis venerationem effœti senis vultum, & lacerata martyris membra exosculamur, suaviter ab interiori pulchritudine allecti. Tandem simulacra & imagines rei, quam repræsentant, ostendunt venustatem, & opera Artificis sui pulchritudinem, sicut erudite probat Cicero in Oratore ad Brutum exemplo Phidiæ, cujus simulacra eximiam speciem pulchritudinis referebant, *quæ ipsius in mente insidebat.* Quanta vero sit in omnium creaturarum serie pulchritudo, & quisque propriis oculis intuetur, & præclara inductione demonstrat Vincentius Contensonius dissert. III. cap. II. spec. 3. & longe melius Augustinus Enarrat. in Psalmum CXLVIII. num. 15., cui his verbis imponit coronidem: *Si pulchra sunt quæ fecit, quanto pulchrior est qui fecit?* Atque idem sit, ut aliquid habeat decoris, finis secundi libri.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER TERTIUS

In quo disputatur, quomodo Deus inhabitet lucem inaccessibilem.

Ὁ ΚΑΛΟΝ *Pulchrum* Plato, Philoponus, & Schrevelius dictum putant ἀπὸ τῦ καλεῖν, quod omnium ad se vocet & alliciat oculos animosque afficiat voluptate: idque S. P. Augustinus apposite explicat cap. XIII. libri Confessionum suarum quarti. Theologicum itaque stadium percurrens, posteaquam eximiam elegantissimamque Dei commemoravi pulchritudinem, in quam spe & charitate rationalis anima fertur, tametsi illecebris quandoque distrahatur cupiditatum, ad eam progredior quæstionem, cur dicatur Deus in priori Epistola Pauli ad Timoth. VI. 16. habitare *lucem inaccessibilem*, hoc est, ut subditur è vestigio, quam *nullus hominum vidit, nec videre potest*. Cujus Apostolicæ sententiæ quoniam duplex sensus esse potest, de naturali mentis humanæ facultate, atque de supernaturali divinitusque concessa; & insuper de statu mortalis vitæ, & de illo, quem expectamus dissoluta hujus habitationis domo, in Civitate Sanctorum: plura inquirendi exhibetur nobis occasio, in quibus deprimitur quidem audacia nostra ab incomprehensibili majestate, sed erigitur animus repromissæ sublimitate mercedis.

CAPUT I.

Deus nequit ab intellectu creato clare & intuitive videri solo naturalis facultatis acumine.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Solo naturali lumine nequit Deus ab aliquo creato intellectu videri.

4. 5. 6. 7. 8. 9. Solvuntur objectiones.

10. Neque à Deo creari potest rationalis substantia extra naturæ ordinem, quæ Deum naturaliter valeat intueri.

11. Solutio objectionis.

An Deus ab intellectu creato videri possit.

VERTENTE quarto Ecclesiæ sæculo, ut refert Hæresi LXXI. Epiph. & LIV. Augustinus, Aetius & Eunomius in tantam cæcitatem, & arrogantiam prolapsi sunt, ut assererent, se Deum perspicue virtute naturali intueri, ut semetipsos, aliosque homines aspiciebant. Ab Eunomio dicti sunt illius sectarii Eunomiani, qui cum perversum quoque dogma tenerent de Verbi cum Patre dissimilitudine, Anomæi sunt pariter appellati. Hunc vero circa Dei visionem supinum crassumque errorem à Basilio, Nazianzeno, Chrysostomo, aliisque Patribus disertissime confutatum, in inferiori Germania labente XIV. sæculo recudere ausi sunt Beguardi anno 1311. à Viennensi Concilio sub Clemente V. damna-

damnati. Execrantur Theologi omnes tam pernicioſum ſuperbumque errorem, Quietiſtarum, ut aliqui putant, marcidum, putidumque fermentum. Sunt tamen aliqui è ſchola Theologi, qui productis quidem creaturis hanc ad videndum Deum naturalem facultatem ineſſe negant; ſed alias poſſe produci arbitrantur alterius ordinis ac perfectionis, quarum vim ac poteſtatem manifeſtiſſima Dei contemplatio minime excedat. At pugnaciter in hos inſiſtunt cæteri cum numero, tum eruditione præcipui: horumque agmen ex noſtro inſtituto ſectantur Argentinus, Puteanus, la Foſſe, Conſonius, Landon, Florez, & qui poterat pro omnibus ſolus laudari, Romanus Ægidius.

1. Propoſitio I. — PROPOSITIO I. Solo naturali lumine nequit Deus ab aliquo creato intellectu intuitive videri.

Probatur. 1. ex SS Scriptura. — Attinet hæc propoſitio ad fidem. Et probatur 1. ex divina Scriptura: in qua habetur, Deum eſſe inviſibilem, ut in 1. ad Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili*, & cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Quæ verba ut demonſtrat S. P. Auguſtinus Epiſt. CXII. cap. 14. ſignificant, *Deum inviſibilem eſſe natura.* Certum quippe eſt ſupernaturalem Dei viſionem minime repugnare. Item eadem Scriptura teſtatur, Dei manifeſtationem, quæ eſt bonorum operum retributio, non ad naturæ facultatem, ſed ad gratiæ ſpectare beneficium, ut in Pſalmo LXXXVIII. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & ad Rom. VI. *Gratia Dei vita æterna.* II. Probatur ex PP. Origenes lib. 1. Periarchon cap. 1. *Mens*, inquit, *noſtra ipſum per ſe Deum, ſicut eſt, non poteſt intueri.* Ephiph. Hæreſi LXX. *Deum quidem videri præſertim ab humana natura non poſſe fatemur.* Gregorius Nazianz. Orat. XXXIV. ſcribit, *nihil ad nos pertingere in hac vita de Dei notitia, niſi exiguum quemdam rivulum, ac velut parvum magnæ lucis radium.* Atque ut aliquos proferam ex Latinis; Ambroſ. Comment. in Lucam c. 1. ait: *In poteſtate noſtra non eſt Deum videre, ſed in poteſtate illius eſt apparere.* Et S. P. Auguſtinus lib. XIX. de Civit. Dei cap. XXV. *Sicut non eſt à carne, ſed ſupra carnem quod jam facit vivere; ſic non eſt ab anima, ſed ſupra animam, quod eam facit beate vivere.*

2. Probatur 2. ratione. — Probatur inſuper ratione: Ac primo quidem ut aliquod objectum videatur in ſe, requiritur ut illud ſit præſens, & potentiam moveat, atque ſpecialiter afficiat. Hoc autem eſt diſcrimen inter ſpiritualia & corporalia, quod iſta ſi præſentia ſunt, latere non poſſunt, niſi alio animum potentior cauſa amoveat, vel oculus ſponte clauſus radios reprimat: nam oculis apertis, & non alienato animo ac ſenſu corpus coloratum ac debite proximum non videre non poſſumus. Spiritualia vero objecta adhuc in duplici ſunt differentia: alia præſentia ſunt, nec potentiam videntem movent, ut Angelus qui continuo nobis aſſiſtit, quem non videmus corporeis oculis; alia ſunt præſentia, & movent potentiam videntem, ut Angelus operans videtur ab altero Angelo. Deus ubique eſt præſens, ſed non ubique excitat, movetque ſpecialiter intellectum, qui eſt veluti oculus ſpiritualis ſubſtantiæ, & ubicunque illum excitat, id facit pro ſuo lubitu, quoniam ad extra omnia libere operatur: unde præſens eſt damnatis ac dæmonibus, nec tamen videtur; præſens angelis, & animabus Sanctorum, & videtur, quoniam horum quidem in cælis, non illorum in inferno degentium movet, & excitat ſpiritualem oculum, id eſt mentem atque intellectum. His poſitis ita propoſitionem demonſtro. Ut aliquod objectum intuitive videatur, requiritur ut ſit præſens, & moveat potentiam videntem: Nulla creatura tanta pollet virtute ut naturaliter iſtud efficere poſſit, quod Deus præſens illius viſivam potentiam ſpecialiter moveat: Ergo nulla creatura poteſt naturali virtute Deum intueri. Prob. minor. Hoc diſcrimen intercedit inter Deum, & alia objecta; quod Deus ad extra ſemper libere agit, & libere movet potentiam, ideoque ſi nolit, nunquam videtur; alia vero objecta dum præſentia ſunt, quandoque neceſſario operantur, & velint aut nolint latere non poſſunt: Creatura non habet naturalem virtutem efficiendi, ut Deus non libere agat: Ergo non habet naturalem virtutem efficiendi, ut Deus præſens illius viſivam potentiam ſpecialiter moveat.

3. Probatur ulterius. — Probatur 2. Media, quibus ad viſionem ſummi ac veri Dei pervenimus, non ſunt in ſola hominis poteſtate, ſed à gratia, & à divino beneplacito principaliter dependent; ſunt enim iſtiusmodi media fides, ſpes, charitas, obſervatio legis, & officia virtutum peracta, ut Catholica profitetur fides, Deo præmovente ac nobiscum miſericorditer operante: Ergo à fortiori ipſa bonorum operum merces, & vita æterna, quæ eſt clara Dei viſio, à Dei beneplacito ac liberalitate principaliter pendet.

Opp.

4. Objectio 1. Opp. 1. Quælibet potentia naturaliter proprium attingit objectum: Deus est objectum intellectus creati: Ergo intellectus creatus naturaliter attingit Deum. Prob. minor. Objectum intellectus est quodcunque verum, & intelligibile: Deus est summe intelligibilis, & verus: Igitur Deus est intellectus creati objectum.

Solutio. Resp. dist. majorem. Quælibet potentia naturaliter proprium attingit objectum, quotiescunque objectum naturaliter & necessario eamdem potentiam allicit, excitat, movet; conc. quotiescunque objectum libere, & pro suo beneplacito afficit, excitatque potentiam; nego. Responsio liquet ex dictis. Illud tantum adverto, Theologos omnes huic argumento respondere, potentiam ferri naturaliter in suum objectum naturale, non autem supernaturale, cujusmodi est Deus, qui omnium creatarum rerum seriem ac perfectionem supergreditur. Id quidem vere, & sapientissime dictum est. Verum objectum supernaturale non solum ex superexcedente naturæ ordinem sublimique substantia metiri debemus, sed etiam ex spontanea, liberali, & nullatenus necessaria, debitaque manifestatione sui ipsius: ita ut nulla facultas creata naturaliter percipere possit, & manifesta visione intueri quidquid suapte natura tale est, ut possit libere, & pro lubitu voluntatis abscondi, sive intra, sive extra naturalium rerum constitutionem. Nam & secreta cordium intra naturalem ordinem continentur, nec tamen naturaliter sive ab homine, sive ab angelo cognosci possunt, eo quod eorum natura postulet, ut libere, & pro beneplacito manifestentur. Quod est esse supernaturale, ut Scholæ loquuntur, quantum ad modum cognoscendi, non quantum ad *entitatem*. Itaque id, quod asserunt Theologi, Deum esse supernaturalem, & aciem creatæ intellectionis subterfugere, verum est, nec à nobis revocatur in dubium; sed causam magis obviam nobis videmur proferre: ex qua consequitur, nec etiam ut Auctorem naturæ posse Deum intuitive videri, quia ut manifestetur facie ad faciem, absolute pendet à liberalissimo ipsius beneplacito.

5. Instantia. Dices cum Tournely: Hæc ratio, quam etiam affert Scotus, & quæ unice petitur ex parte Dei libere se menti nostræ conspiciendum exhibentis, nullam vim, & momentum habere videtur; ostendit enim duntaxat deesse aliquid ex parte objecti, non ex parte potentiæ. Eo fere modo, quo habens oculos sanos objectum longe dissitum videre non potest, non ob deficientiam virium in oculo, sed ex defectu sufficientis præsentiæ objecti. At intellectus creatus non ex sola distantia objecti, sed ex natura sua incapax est videndi clare & intuitive ipsum Deum.

Solutio. Sed hæc nullatenus nos urget; nam, quidquid sit de Scoti sententia, nos ex parte intellectus nullam intrinsecam ac supernaturalem virtutem ab objecto distinctam necessariam esse arbitramur, ita tamen, ut objectum intime præsens vivide excitet intellectum, ut illud valeat manifesta animadversione percipere: quam excitationem supernam qualitatem animæ impressam, & lumen gloriæ appellamus; ideoque si objectum intime præsens sit, & moveat, afficiatque potentiam, habetur quidquid ex parte intellectus ad claram visionem Dei prærequiritur.

6. Objectio 2. Opp. 2. Naturaliter homo proprium finem assequi potest: ultimus finis hominis est visio beatifica: Ergo, &c.

Respondetur. Resp. transmissa majori, (nam respondere commode possumus hanc esse sortem creaturæ rationalis, ut beneficio Creatoris sui ordinata sit ad altissimum finem, quem assequi tantum valeat supernaturalibus suffulta auxiliis,) dist. minorem: Visio beata est hominis finis ultimus naturalis, id est necessario alliciens, necessario propositus, necessario rationem ac voluntatem prævovens, nego: est finis supernaturalis, scilicet pro Divino beneplacito nobis propositus, & libere & gratuito sui desiderium excitans, movensque rationem, concedo.

7. Urgetur. At, inquies, naturaliter appetitur beatitudo.

Respondetur. Quidam respondent distinguo propositionem: beatitudo naturæ conveniens, quæ sita est in perfecta cognitione abstractiva Dei, quam naturaliter excitant ideæ congenitæ, & creaturæ necessario dependentes à prima causa; conc. beatitudo supernaturalis, scilicet manifesta visio intuitiva, quæ est beneficium gratiosum ac liberrimum Creatoris, nego. Quod si persistas: Ex cognitione abstractiva exoritur desiderium visionis intuitivæ; distinguunt eodem modo propositionem: ex cognitione abstractiva exoritur desiderium & appetitus visionis intuitivæ, si abstractive cognoscitur objectum necessario & naturaliter potentiam afficiens; concedo: ita enim dum video imaginem ac picturam, excitatur in me desiderium videndi prototypum, si naturaliter videri possit, nec pro suo beneplacito sese abscon-

dat ac manifestet. Ex cognitione abstractiva exoritur appetitus visionis intuitivæ, si abstractive cognoscitur objectum sese pro suo lubitu manifestans, nego; loquendo de appetitu rationabili, atque, ut inquiunt, efficaci. Etenim abstractive video alterius hominis cogitationes, deprehendo enim ex ipsa exteriori compositione aliquid velle, aliquid cogitare. Attamen, quia manifestatio internarum cogitationum ab ejus libertate dependet, & talis est illarum cogitationum natura, ut non valeant naturaliter innotescere: an non imprudens essem, & ratione destitutus, si videns hominem cogitantem vellem efficaciter ardentissimoque desiderio ipsas scrutari & intueri internas cogitationes? Ita ex cognitione Dei abstractiva nequit oriri desiderium aliquod efficax ac prudens intuitivæ visionis, quæ est liberum Dei, & gratiosissimum beneficium; si intra naturalis virtutis continemur angustias: nam facta hypothesi, quod Deus visionem illam clarissimam præparaverit diligentibus se, idque ad inflammanda fidelium suorum corda dignatus fuerit revelare, jam ipsa visio prudentissime appetitur, & fideliter expectatur.

Oppugnatio alia & solutio.

Verum respondent alii, inesse quidem homini ad plenam perfectamque beatitudinem, quæ sita est in visione unius Dei, veri Dei, summi Dei, naturale pondus amoris, & innatam inclinationem; eo quod rationalis creatura referens in se Divinam imaginem in nullo creato bono possit quiescere, & ex cognitione abstractiva magis excitetur videndi Dei desiderium. Quæ opinio magnam verisimilitudinem habet, & utrum præcedenti sit præferenda, aut quo veritatis loco utraque tenenda sit, lib. XII. disputabitur. At qui insitum hunc supernaturalis visionis appetitum propugnant, docent non posse expleri, nisi auxiliis gratiæ rationalis substantia ad tantam finis sublimitatem evehatur. Videtur enim exemplo animæ separatæ, quæ dum sit forma corporis suapte natura illius appetit unionem, dari naturalem inclinationem ad terminum, qui solis inspectis naturæ viribus nequit haberi, qualis utique est mortuorum resurrectio. In horum ergo sententia concedo ex cognitione abstractiva magis incitari humanam mentem ad Divinam substantiam videndam, ut lib. 3. contra Gentes cap. 50. etiam S. Thomas affirmat: sed nego posse absque supernaturali virtute tale desiderium satiari.

8. Opp. 3. Affulget singulis hominibus
Objectio 3. Divinum lumen indistinctum ab ipso Deo, per quod de rebus mutabilibus firmissime judicamus; ut abunde ostendimus libro primo: Ergo ipsum Deum perspicue intuemur.

Solutio.

Resp. dist. ant. Affulget nobis Divinum lumen à Deo indistinctum, tanquam idea exhibens incommutabilem veritatem, quam per speculum & in ænigma referunt etiam singularum rerum rationes, concedo; Affulget tanquam objectum excitans ad claram sui contemplationem, nego. Quomodo Deus possit esse intime præsens per modum luminis, & non per modum objecti eodem 1. libro explicavi exemplo hominis scenicas repræsentationes spectantis. Sed cum sit res valde obscura, & ad sententiam nostram maxime conducat, si majori claritate exponatur, addam nonnulla. Principio visio intuitiva Dei exigit, ut videatur divinitatis plenitudo simul, & non per partes, nam Deus cum sit simplicissimus partiliter videri non potest ea visione, quæ sit visio Dei ut est in se. At lumen Divinum intime præsens per modum ideæ efficit, ut ad occursum unius creaturæ judicemus de bonitate, quam nobis naturaliter exhibet quod est honestum & aptum, ad occursum alterius judicemus de magnitudine, quam nobis objicit aut corpus, aut animus. Judicamus vero per ideam ingenitam bonitatis & magnitudinis: sed hanc, quæ Deus est, cognoscimus ex parte, quia illic bonitatem, illic magnitudinem intuemur. Quapropter etiamsi adsit nobis idea summi boni, & lumen incommutabile, non illud videmus intuitive, quia, ut ait Apostolus, 1. Corinth. 13. *ex parte cognoscimus:* atque, ut inquit S. P. Augustinus Tract. xxxv. in Joan. *est quidem præsens Divinus ac lucidissimus sol, sed radius per obliqua, & per anfractuosa ad cor tenebrosum missus est.* Deinde visio intuitiva requirit, quod procul tenebræ & caligines mentis abscedant. Quamquam vero præsto nobis est Divinum lumen, non tamen removet phantasmata, & ærumnosæ hujus vitæ imagines ac simulacra, quæ veluti vapores ac procellæ serenum mentis cælum obtenebrant. Ergo nisi Deus intelligibilis sol procul hanc tenebrarum illuvionem expellat, quod repromisit se in cælesti Patria largiturum; tametsi cuncta ejus lumine videamus, ipsum intueri non possumus, quemadmodum in densa insilientium nubium caligine, adest equidem lux solis, cujus ope corpora cernimus, solis tamen splendidissimum orbem non intuemur. Denique

per

per ideam ingenitam videmus Deum esse veritatem incommutabilem, justitiam, legem æternam, quæ facile intelligimus ex signato super nos lumine vultus Domini: at in visione intuitiva videbimus Deum sicuti est. Quid autem sit, videre in se Deum sicuti est, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Itaque visio Dei intuitiva præter Dei præsentiam habet aliquid in se præstantius, & inexplicabile, quod est liberalissimum Dei beneficium tanto explicatu difficile, quanto promitur ex Divinæ majestatis thesauro. Legite Julianum Pomerium lib. 1. de vita contemplat. cap. 2. & Thomassinum lib. VI. Th. D. cap. XXI. num. 13.

2. Objectio 4. Opp. 4. Augustinus lib. x. de civit. Dei cap. 22. ait, *solum peccatum causam esse, cur Deum non videamus.* Ergo creatura innocens Deum naturaliter videret.

Solutio. Resp. dist. antec. solum peccatum est causa, cur Deum non videamus, causa moralis, quatenus nos privat gratia sanctificante, qua obtinetur finis supernaturalis ad quem beneficio Creatoris sumus ordinati, co. causa physica, quæ nos privat penitus intelligentia, quam misericordissimus Deus gratuita liberalissimaque beneficiorum suorum participatione potest ad se convertere, & perenniter explere, nego. Est etiam peccatum alio sensu causa cur Deum non videamus. Nam si sermo sit de visione abstractiva, qua Deum videmus dum ambulamus per fidem, peccati pœna est cæcitas mentis, in qua ei corporalium rerum imagines ita obversantur, ut ejus aciem non quidem extinguant, sed comprimant tamen, ac retardent; quum è contra Adamo ante lapsum vis intelligentiæ adesset jugis & splendidior, cujus ope posset summis rebus intendere, nullo phantasmatum fluctu, ac terrenarum curarum æstu turbatus. Si vero de visione loquamur intuitiva, quæ nobis in patria repromissa est, ea ob peccatorum maculas privamur, quoniam hanc mundis corde paratam esse Divina testantur eloquia.

10. Propositio 2. PROPOSITIO II. Neque à Deo creari potest rationalis substantia extra naturæ ordinem, quæ Deum naturaliter valeat intueri.

Probatur Hanc quæstionem, quam Scholastici ampliſſimam, difficillimamque reddiderunt, ex jactis fundamentis habes resolutam. Etenim nulla creatura quantumvis perfecta efficere potest, ut Deus sibi præsens sit per modum objecti, & illius mentem moveat, nisi id pro suo beneplacito velit: Atqui ut Deus videatur intuitive necesse est, ut Deus per modum objecti sit præsens: Ergo nulla creatura quantumvis perfecta potest naturaliter Deum videre.

11. Oppositio. Oppones: Dari potest accidens supernaturale, qualis est gratia, & virtutum theologalium habitus: Ergo dari potest supernaturalis substantia: Supernaturalis substantia posset virtute sua Deum intuitive videre: Igitur, &c.

Responsio. Resp. dist. ant. potest dari accidens supernaturale, creaturarum conditioni naturaliter debitum, nego: sponte, & ex Divina liberalitate collatum, concedo. Et distinguo cons. Ergo potest dari substantia supernaturalis, quam Deus naturaliter debeat in sui visionem movere, nego consequentiam: quam Deus in sui visionem moveat gratuitò & libere, concedo consequentiam, & nego suppositum; ea enim substantia, quæ videret Deum motione ejus liberali, gratuita, & nullatenus debita, non esset revera supernaturalis; nec naturali, sibique indita virtute videret ipsummet Deum.

Hæc respondeo, ut evitetur modo quæstio de supernaturalibus auxiliis, atque habitibus, quæ sunt quidem accidentia, & intrinsece inhærent, sed non sunt fortasse mortuæ illæ qualitates, quas Theologorum vulgus invexit. Nam gratiam actualem quidam cum Suaresio in intima Dei assistentia sitam esse contendunt, quidam in actionibus indeliberatis ab ipso Deo præmovente perfectis, quidam in Dei motione quemcunque actum etiam indeliberatum præcedente: & qualitatem illam adhuc pluribus incompertam etiam Thomistæ aliqui rejecerunt, præsertim Joannes Gonzalez scriptor in hoc argumento clarissimus. Gratia itaque actualis est procul dubio supernaturale accidens respectu rationalis creaturæ, cui Divina misericordia confertur, sed non est entitas parva, vel magna ab ipso Deo, ejusque concursu ad opus salutare distincta. Habitualis vero est ipsa participatio Divinæ naturæ, sive forma, & modus quidam vitalis à Deo in anima excitatus, eique inhærens, à quo recte ordinata & justa fit permanenter, & unde consurgit in eadem anima vis, & facultas merendi, necnon promptius ac rectius supernaturaliter operandi, ipso Deo, ut diligentibus se spopondit, apud eam veniente, & mansionem faciente, atque peculiari gratia vigorem extraordinarium superfundente. Hoc sensu

dantur

dantur accidentia supernaturalia. Quæ, cum sint à Deo, vel ab ejus operationibus indistincta, non patiuntur à nobis etiam admitti rem aliquam per se subsistentem, sejunctam à Deo, & supra naturæ ordinem constitutam. Cujus repugnantiam abunde probat argumentum, quod suppeditat Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 2. dicens: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura; ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quæ ex nihilo creata est, sed ex illo, à quo creata est.* Ex quo igitur creatura sit ex nihilo, non potest natura sua esse beata, neque naturaliter eas perfectiones habere, quæ ordinem universæ naturæ superexcedunt. Atque ne vager longius: Detur substantia quæcunque possibilis. Habetne Deus aliquid dependentiæ ab hujusmodi substantiæ vi intellectrice? Minime gentium. Ergo, inquit Emmanuel Maignan Ph. sacræ cap. xv. Prop. 111. nullam habet intellectus divino inferior aciem tam perspicacem, ut ejus aspectui Deus se non valeat subtrahere.

CAPUT II.

Quod potest supernaturali lumine gloriæ rationalis Creatura Deum intueri, non autem illum comprehendere.

SUMMARIUM.

1. 2. 9. Intellectus creatus superno aliquo lumine circumfusus potest Deum, ut in se est, intueri.
4. 5. 6. Solvuntur objectiones.
7. 8. 9. 10. Intellectus creatus Deum videns non potest illum comprehendere.
11. 12. 13. Solvuntur Objectiones.

An supernaturaliter rationalis creatura Deum intueri, vel comprehendere possit.

IN ALTERVM è diametro oppositum Eunomianis errorem septimo Christiani nominis sæculo inciderunt Armeni, qui intellectum creatum neque superno suffultum lumine posse clara Dei visione frui præfracte negaverunt. Quorum hæresim luculenter perstringit lib. xiv. cap. 1. Radulphus Archiepiscopus Armacanus. His vero accesserunt, imperante Andronico Juniore, & Joanne Cantacuzeno, Thessalonicenses Monachi Palamitæ, contra quos steterunt Barlaamus & Acindynus, ut diximus cap. v. præcedentis libri. Non enim putandum est, Barlaamum pluribus Græcorum Pseudosynodis damnatum partibus adhæsisse Palamæ, ejusque gregalium, ut ex Leone Allatio male refert Theologus alias accuratissimus Tract. de Vis. Dei quæst. 1. dub. v. pag. 155. Asserebant autem Palamitæ isti, divinam essentiam, cum sit lux inaccessibilis, videri à beatis tantummodo in quodam lumine increato & à divinitate diffuso ipsis etiam corporeis oculis aspectabili, eo ferme pacto, quo sol, in quem non possumus aciem figere oculorum, in radiis à se emissis conspicitur. Horum Græcorum hæresis sequenti exagitabitur capite, in quo de lumine gloriæ disputabitur. Nunc vero cum omnibus orthodoxæ sentientibus sit,

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Intellectus creatus superno aliquo lumine circumfusus potest Deum, ut in se est, intueri.

Probatur intellectum creatum superno lumine, Deum, ut in se est, intueri posse.

Aperte probatur 1. ex Dei verbo. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* inquit Matth. cap v. 8. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* Apost. 1. ad Corinth. cap. XIII. 12. & ibidem, *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* 1. Joannis III. 2. Et similiter de Angelis ait D. Matth. XVIII. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Quibus apertissimis divinarum Scripturarum repromissionibus accedit definitio Florentini Concilii Sess. XXVI. in decreto unionis, & Benedict. XII. in Extravaganti, *Benedictus Deus.* Ubi decernitur, exutas corporibus Justorum animas Divinam essentiam facie ad faciem videre.

2. Probatur 2. ex Patribus.

Firmatur propositio PP. auctoritate. Quos inter Irenæus lib. IV. cap. 37. *Homines*, inquit, *videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque ad Deum .... Ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult, quando vult, & quemadmodum vult.* Clemens Alex. lib. v. Strommat. *Perspicuum est enim, nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* Comprehendere autem, *ait Clemens*, id est, clare percipere & intueri, quod in præsenti vita aut nulli, aut paucis duntaxat

xat concessum est. Gregorius quoque Nazianzenus orat. xx. à Beatis ait, *Sanctam ac beatam Trinitatem videri purius, ac perfectius.* Idem tradunt Latinæ Doctores Ecclesiæ: Ambrosius Comment. in Lucam l. III. Novatianus de Trinit. cap. 26. Magnus Gregorius lib. XVIII. Moralium cap. 28. Prosper de vita contemplativa cap. 4. Bernardus serm. IV. in Festo omnium Sanctorum. Sed omnium dissertissime Augustinus Epist. III. & 112. Nec non lib. XII. de Gen. ad lit. 26. XXII. de Civit. Dei cap. 29. Tractatu XXV. in Joan. & alibi. Unum tantum locum ex Epist. CXII. recitabo. *Si quæris, utrum Deus possit videri? Respondeo: Potest. Si quæris, unde sciam? Respondeo, quia in veracissima scriptura legitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & cætera talia. Si quæris, quomodo dictus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo, invisibilem esse naturâ; videri autem cum vult, sicut vult. Si quæris, utrum etiam sicuti est possit aliquando videri? Respondeo, filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Si quæris, unde eum videbimus? Respondeo, unde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales, id est, in cælis videbimus. Scriptum est enim: Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris, qui in cælis est.*

3. Probatur 3. Ratione Theologica

Probatur denique Theologica ratione. Potest homo per gratiam consequi ultimum finem suum, æternamque vitam, ac repromissam sibi perpetuam beatitudinem: Ultimus finis, sempiterna vita, atque repromissa beatitudo est visio divinitatis in se: Ergo potest homo per gratiam in se ipsa divinitatem conspicere. Augustini est consecutio ista laudato nuper libro de Civit. Dei, ubi ait: *Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur.* Et I. Confess. *1. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

4. Objectio 1.

Opp. 1. Sacræ literæ aperte testantur Deum invisibilem esse, & inhabitare lucem inaccessibilem; ita nempe Apostolus in 1. ad Timoth. 1. v. 17. & VI. v. 1. Deinde hanc soli Filio privilegii tribuunt prærogativam, ut ipse solus noverit Deum Patrem, dicente Matth. cap. XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Et Joan. VI. v. 46. *Non quia vidit quisquam Patrem, nisi is, qui est à Deo;* & cap. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Demum nec etiam Angelis facialis, ut appellant, Dei visio conceditur, quandoquidem ejus anguntur desiderio: ait namque Petrus Epist. 1. cap. 1. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Stant ergo contra assertum istud momenta Verbi Dei scripti luculentissima.

Solutio

Resp. nego consequentiam. Primo enim ab Apostolo dicitur Deus invisibilis, quoniam neque oculo corporeo cerni potest, neque naturali cujusvis intellectus acumine, neque visione comprehensiva, de qua postmodum. *Quia nec ista testimonia falsa esse possunt, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et, Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: negare non possumus filios Dei visuros Deum:* ait S. P. Augustinus Ep. III. Ubi probat, Deum ab Apostolo appellari invisibilem, divinamque lucem inaccessam, propterea quod non videtur in hoc sæculo, & in altero nonnisi oculis cordis, mente scilicet, & affectu. Filio autem soli perfecta Patris notitia idcirco tribuitur, quoniam ipse in paterno consistit sinu, & exquisitam habet, perfectissimamque cognitionem: vel quoniam cum Patre habens cum divinitatis, tum scientiæ unitatem, quidquid ei erat placitum & ejus consonum voluntati, intimus corde pernovit: vel demum quia Filius primus omnium cæli portas reseravit, nulli patentes, nisi quibus Patrem, fideique mysteria interioris gratiæ revelaverit illustratione. Quæ omnia ex Evangelicis verbis fiunt manifesta: nam Matth. XI. hæc leguntur: *Neque patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Joannis VI. statim sequitur: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Quamquam eo loco affirmat, neminem Patrem vidisse suum, contra Judæos hæc submurmurantes: *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?* Verba denique Petri Epist. 1. si referantur ad Christum, vel ad Spiritum Sanctum, significant, angelos gaudere de Christi glorificatione vel summa cum voluptate Spiritum Sanctum cum Patre Filioque intueri, non eo desiderio, in quo est anxietas, sed eo desiderio, quod in completa satietate semper accenditur, prout exponit Hom. VIII. in Ezech. Magnus Gregorius. At si referantur ad Fidei Sacramenta; ut plures contendunt; quod Græca, & Syriaca habeant constanter, *In quæ*, εἰς ἃ non, *in quem*, εἰς ὃν, prout & in Latinis nonnullis legitur, atque apud Ambrosium lib. IV. de Sacram. cap. 2. & Isidorum Pelusiotam lib. 1. Ep. 119. Estium quoque

Comment. in hunc locum, Hugonem Grotium, &c. tunc apertissimus videtur sensus, Angelos magnopere exoptare Christianæ Fidei incrementum, & summo cum gaudio conspicere prænotionem hominum redemptionem, dignitatemque Evangelii: de quo ait Paulus in 1. ad Timoth. 3. 16. *Et manifeste magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

5. Objectio 2. Opp. 2. Deus, cum sit infinitus, esse non potest creatæ ac finitæ potentiæ objectum; debet enim inter objectum, & potentiam aliqua dari proportio: Intellectus rationalis creaturæ est finita, ac limitata potentia: Ergo Deus nequit esse istiusmodi intellectus objectum.

Solutio. Resp. dist. majorem: Deus non potest esse objectum creatæ ac finitæ potentiæ, naturali virtute sibi indita ac propria operantis, concedo: intima Dei omnipotentia, ejusque virtute illam præmovente & elevante, prodeuntis in actum, nego. Deus non est objectum intellectus creati per naturales vires percipientis, atque intuentis, sed ut videat abstractive incommutabilem veritatem, eget divino lumine intime illustrante, rectamque veri notionem exhibente; atque ut videat in se, & facie ad faciem, indiget eodem lumine nedum illustrante, sed etiam per modum objecti specialiter concurrente, & intellectum vividius excitante. Quod vero naturalis potentia supernaturali suffulta virtute extra naturalem rerum sphæram exire valeat, revocari non potest in dubium, quum credere, diligere, & vitam æternam promereri, quod perficere non possumus naturaliter, non sit nobis impossibile accedente auxilio divinæ gratiæ, & speciali Dei præsentia, & concursu.

6. Instantia. Insurges: Corporeus oculus, ut videbimus infra, nulla supernaturali virtute elevari potest ad videndum in se, non dico Deum, sed nec Angelum: Atqui major est distantia inter intellectum creatum & Deum, quàm inter oculum & angelum: Ergo, &c.

Solutio. Resp. Causam, cur oculus corporeus Angelum, aut Deum in se videre nequeat, petendam minime esse à potentiæ visivæ finitate, sed à modo, quo objectum attingit. Fit enim visio per hoc, quod radii à re corporea exeuntes retinam feriant, & tot pressiones in nervi optici latitudinem imprimant, quot sunt diversi colores, aut diversi luminis gradus in omnibus partibus objecti. Quam retinæ latitudinem, pressionemque incidentium radiorum, speciem vocant, imaginem, ac similitudinem rerum corporearum: atque ita fit visio incisione, & refractione radiorum per quam retinæ capillamenta motuumque oriuntur excitationes, quarum occasione perficitur animæ sensus. At spiritualia non horum impressione simulacrorum, sed in seipsis, dummodo menti sint præsentia, conspiciuntur. Itaque dist. ma. Corporeus oculus elevari non potest ad videndum in se Deum, vel Angelum, propterea quod sit potentia finita ac distans à Deo vel Angelo, nego, propterea quod visus natura sua sit sensus, ac perceptio in sola imagine, ac simulacro corporalis objecti radiorum ordinata incidentia depicto, nervorumque motione ad mentem delato, concedo. Huc spectat responsio è scholarum trivio petita, inter oculum & Deum nullam esse proportionem neque *entitatis*, neque *habitudinis*.

Sententia aliquorum Philosophorum. Est tamen quorumdam Philosophorum sententia, præsertim Maignani Philos. Nat. cap. XXXIII. & Antonii le Grand part. III. cap. IX. posse Deum, vel Angelum oculis corporeis cerni etiam absque ullo assumpto corpore. Cum enim res corporeæ nullam aliam agendi vim habeant, quam ut moveant localiter; substantiæ spirituales videri possunt oculo corporis, si omnes motus exerceant, quos exercet, dum videtur, substantia corporea. Atque, inquiunt, hoc modo expeditius intelligitur, quomodo angeli se visui mortalium exhibeant, statimque abscondantur, videlicet movendo organum, lucemque flectendo, ut flecteret ac moveret corpus assumptum; & pro sua voluntate hujusmodi motiones omittendo, quod est sese hominum visui subtrahere. In quorum sententia ad argumentum respondetur, non repugnare quod Deus videatur ab intellectu creato & finito, licet sit increatus, & infinitus, quoniam videtur modo finito; quemadmodum licet sit incorporeus, videri potest ab oculo, quoniam videtur modo corporeo. Neque, si hæc concedantur, sequitur, Deum videri posse oculo corporis in se, & facie ad faciem, quoniam videre modo corporeo, non est videre in se, sed videre in simulacro & imagine picta, ut diximus, in latitudine retinæ.

7. Propositio 2. Propositio II. Intellectus creatus Deum videns non potest illum comprehendere.

Com-

Notandum de comprehensionis nomine.

Comprehensionis nomine non qualemcunque cognitionem, sed plenissimam hoc loco intelligimus; nam S. P. Augustinus Epist. 112. ad Paulinam cap. 9. ait: *Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere; quandoquidem id videtur, quod præsens utcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt: sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui. Ex. gra. duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet.* Et serm. xxxviii. de Verb. Dom. alterum profert exemplum de homine, cujus videmus faciem, non autem illum comprehendimus, quod uno eodemque tempore faciem ac dorsum nequaquam aspiciamus. Requiritur autem ad comprehensionem, ut præter essentiam rei tota illius cognoscatur efficientia, & quilibet effectus, qui potest inde manare; id est tam ea, quæ *formaliter*, quam ea, quæ *eminenter*, dicuntur inesse. Atque ita, ut comprehendatur sol, non sufficit lucem, caloremque percipere; sed etiam quidquid ejus continetur potestate ac virtute, aurum, lapides, plantas, & corpora alia, quorum habet vim effectricem. Ad comprehendendum itaque Deum opus est, ut cognoscantur universa, quæ ipsius scrutatur intelligentia, aut potest infinita virtus producere. Alii Theologi comprehensionem diversimode accipiunt: sed illam hoc modo explicant fere omnes nostri, itemque Vasquesius, & Petavius, qui lib. vii. cap. 4. plura illorum, qui scripserunt contra Anomæos, ad comprehensionis naturam illustrandam recitat testimonia.

8. Probatur intellectum creatum Deum videntem non posse illum comprehendere.

Probatur 1. Propositio ex sacris literis; quum Job cap. xi. 7. habeatur: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Eccl. xxxv. 26. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Ad Rom. xi. 33. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* In quibus notandum est, ita Deum incomprehensibilem dici, ut nullibi asseratur, quod plane comprehendi possit, non sicut dicitur invisibilis, quod non asseritur ubique & constanter, sed visio ipsius sæpesæpius promittitur: quod argumento est non videri nativa creati intellectus virtute, videri tamen per gratiam. Concilium quoque Lateranense cap. *Damnamus*, approbat, & definit, *Deum esse summam quamdam rem incomprehensibilem.*

9. Probatur ex Patribus.

Tradunt id unanimi sensu Ecclesiæ Patres. S. Epiphanius hæresi lxx. *Cum invisibile illud*, inquit, *infinitum aspicit, non quatenus infinitum est illud intuetur; sed quantum illius, quod imbecillum est, natura capere potest.* Quod comparatione illustrat hominis per angustum foramen cælum aspicientis, qui totam non videt illius altitudinem atque extensionem. Chrysostomus Hom. iv. contra Anomæos: *Dei exquisitam comprehensionem habere non potest Angelus, aut ulla creatura.* Et S. P. Aug. serm. cxvii. alias xxxviii. de verbis Dom. *Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quam temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantulum mente Deum magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile.*

10. Probatur ratione.

Probatur demum ratione. Tunc comprehenditur objectum, quando nihil latet videntem, quando cum amplitudine rei cognitæ mentis æquatur cognitio, quando percipitur quidquid in re objecta continetur, & ab ea potest effici; quam comprehensionis ideam supra explanavi, illamque erudita tradit antiquitas, neque eam rejicit D. Thomas in iii. contra Gentes cap. 56: Atqui non potest intellectus creatus & finitus hæc omnia percipere, cum latitudinem habeant infinitam, neque certus sit divinæ potentiæ ac virtutis terminus, sed procreari possint perfectiora in infinitum effecta: Non ergo potest mens finita & creata Deum comprehendere. Confirmatur: Ambrosius lib. v. de Fide cap. 7. Hilarius libro 9. aliique Patres demonstrant Filii divinitatem, quia in eo thesauri omnes sapientiæ, & scientiæ Dei sunt absconditi, novitque numerum omnium sæculorum, suorumque operum virtutes omnes, & causas: Si ergo ad hanc sapientiæ plenitudinem quis pertingeret, possemus argumentatione simili demonstrare, hunc esse ejusdem cum Deo summæ perfectissimæque substantiæ.

11. Objectio 1.

Opp. 1. Beati vident Deum ut est in se, cognoscunt non ex parte, sed quemadmodum cogniti sunt, noscunt supereminentem charitatem scientiæ Christi, implentur in omnem Dei plenitudinem, scrutantur, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. Hæc omnia divinarum Scripturarum sunt verba. Igitur Beati Deum revera comprehendunt.

Solutio. Resp. nego cons. Potest enim objectum aliquod videri in se, & facie ad faciem, tametsi minime tota ejus latitudo percipiatur, ut constat allatis exemplis hominis videntis per angustum foramen cælum, & intuentis faciem alterius hominis. Potest quoque totum videri objectum, & non ex parte, licet non comprehendatur, quando scilicet nihil latet videntem eorum, quæ *formaliter* sunt in re objecta; sed non attinguntur quæcunque ab ipsius pendent efficientia, ut explicavi comparatione videntis totam etiam, splendidissimamque lucem solis. Potest cognosci, Dei bonitatem latissime in omnes homines se diffundere, & ex infima depressione miserrimos sublevare, quamvis hanc bonitatis amplitudinem, fundumque non possimus metiri, sicuti videmus è sublimi specula maris vastitatem non inspecto opposito littore, quo circumscribitur, & aquarum gurgite, quo impletur. Potest denique anima in plenitudinem immitti, & omni gaudio prorsus expleri, etsi totam non comprehendat divinitatem; ut potest vas in aquam totum immergi, eaque plenum fieri, etiamsi capere solum possit minimam copiam aquarum.

12. Objectio 2. Opp. 2. Beati totum Deum ita vident, ut nihil eos lateat: Videre objectum, ita ut nihil lateat videntem, est illud comprehendere: Ergo Beati Deum comprehendunt. Ma. pr. Non potest res simplicissima, & carens partibus in se, & dilucide conspici, quin tota videatur: Deus est res simplicissima & carens partibus: Ergo &c.

Solutio. Resp. dist. ma. Nihil eos latet earum perfectionum, quæ sunt in Deo *formaliter*, concedo; quæ sunt in Deo eminenter, nego. Constat responsio ex dictis. Sunt qui his, ac similibus argumentis respondent, comprehensionem requirere æqualitatem & commensurationem cognitionis cum objecto, nempe, ut istud cognoscatur secundum omnes perfectionis suæ gradus. In quorum sententia, etsi Dei videretur plenitudo extensive, non foret tamen visio vere comprehensiva, quod non esset hujus cum re objecta adæquatio. Sed cum istud scholarum dogma improbent eruditi viri quamplurimi; satius erit, si hac recente missa opinione, jamdudum impressis vestigiis gradiamur.

13. Instantia. Dices: Beati Divinam vident omnipotentiam: Divina omnipotentia connotat omnia quæ produci possunt à Deo, & quæ in eo continentur eminenter. Ergo Beati vident & ea, quæ sunt eminenter in Deo, atque illum comprehendunt.

Responsio. Resp. eodem modo dist. majorem: Vident Divinam omnipotentiam in se, id est divinitatem, ejusque vim effectricem creaturarum, conc. vident Divinam omnipotentiam secundum id, quod eminenter præcontinet, nimirum quascunque perfectiones creaturarum, quæ produci possunt à Deo, subdistinguo, communi quadam ac generali perceptione, quam efficit idea omnipotentiæ, conc. peculiari ac distincta, quæ proficiscitur ab idea exhibente in particulari perfectionem singularum creaturarum, quas ipsa connotat omnipotentia, nego. Scilicet ut videas sapientiam, providentiam, omnipotentiam, aliaque Dei attributa, sat est intueri divinitatem, quæ intelligit quidquid verum est, operatur quidquid bonum est, & producere valet quidquid possibile est. Ut vero divinitatem illam comprehendas, requiritur, ut clare percipias etiam objecta ipsa, & effectus, qui ad ipsam divinitatem quomodolibet referuntur.

CAPUT III.

Inquiritur in varias veterum, ac recentiorum de lumine gloriæ opinationes.

SUMMARIUM.

1. 2. Sententia Gregorii Palamæ, aliorúmque Græcorum affertur, & refutatur.
3. Argumenta Gregorii Palamæ solvuntur.
4. 5. Scholastici communiter affirmant, lumen gloriæ esse qualitatem, & habitum supernaturalem infusum.
6. Existimant nonnulli, lumen gloriæ idem esse cum specie impressa.
7. Petavius parum distat ab hac sententia.
8. Opinio Thomassini circa præsentem materiam.
9. In omnibus hisce sententiis magna reperitur difficultas.
10. 11. 12. 13. Lumen glóriæ est ipse Deus, sive divinum, & increatum lumen Beatorum menti intimè affulgens.
14. 15. Præter intimam præsentiam increati luminis, requiritur qualitas, habitus, seu animæ modificatio.
16. Maignani argumentis respondetur.
17. Respondetur fundamento Thomassini.
18. 19. 20. Proponitur, & solvitur objectio.

SATIS

Variæ opiniones de lumine gloriæ.

SATIS fit ex antecedente cap. manifestum, posse rationalem creaturam, si lumine illustretur superno, usque ad beatissimam Dei visionem pertingere, quod nativa ac naturali virtute minime potest assequi. Hujus superni luminis necessitatem demonstrat Viennense Concilium damnans Beguardos, & Beguinas asserentes, *Quod quælibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ad Deum videndum, & eo beate fruendum.* Atque istud impium dogma priori cap. profligavimus. Inquirendum ergo, in quo necessarium illud lumen sit proprie constituendum; quod Concilium, ne Scholasticorum placitis definitionem Fidei immiscereret, caute prætermisit.

1. Opinio Palamæ Gregorii.

Fuit ergo Gregorii Palamæ, aliorumque Græcorum sententia, lumen gloriæ esse lucem increatam, à divinitate diffusam, ab eaque distinctam realiter, etiam corporeis oculis aspectabilem. Pro quorum errore, supino quidem, atque inter hæresum monstra censendo, hæc afferri possent momenta. Primo: Definitum est in Synodo Byzantina act. IV. sub Andronico Juniore, & Joanne Patriarcha contra Barlaamum, & Acindynum, lumen Transfigurationis Dominicæ increatum esse, & à Divina substantia distinctum: idque Monachi omnes Thessalonicenses tam aperte demonstrârunt, ut in horum sententiam Synodus universa descenderit; ac demum Barlaamus ipse, ut refert Cantac. lib. 2. cap. 40. prodiens in medium, veniamque suppliciter petens propriam confessus sit ignorantiam, & causæ cesserit. Deinde, ut argutabatur David Monachus, Dei substantiam neque homo, neque Angelus videre potest, quum Deus inhabitet lucem inaccessibilem: videtur itaque in lumine, quod est quidem increatum & à Deo emanans, sed non Divina substantia. Præterea sic argumentatur Philotheus; Quemadmodum sol ab oculo, ita Deus ab intellectu videtur: At sol non potest videri ab oculo, nisi radiis ab illo effusis; nam si quis propius accedere tentat, ob luminis immensitatem exuritur, & excæcatur: Igitur neque Deus lux inaccessa & invisibilis conspici potest ab intellectu, nisi in lumine quodam Divino à se profluente. Postremum Græcorum illorum argumentum est: Lumen gloriæ est regnum Patris, paratum sanctis ante mundi constitutionem: Regnum Patris æternum est, & increatum: Ergo æternum, & increatum est lumen gloriæ.

Verum contra hanc absurdam Palamitarum opinionem immotum stat fundamentum, quod præmissum est cap. v. superioris libri Prop. III. Quidquid est, aut Deus est, aut creatura: Lumen illud non est Deus: Ergo est creatura. Tum illud Barlaami, & Gregoræ: Quod oculis corporeis visum est, non est lumen increatum ac Divinum: Thaborium lumen corporeis oculis visum est à discipulis: Ergo Thaborium lumen Divinum & increatum non erat. Hæc autem adeo sunt inconcussa, ut ipse Cantacuzenus Gregorii Palamæ studiosissimus cap. 39. scripserit: *Ut legatus Patrum verba ei recensuit, ad cætera quidem se continuit: lucem autem in Thabor increatam audiens, O rem absurdam exclamat; fumum enim fugientes in ignem incidimus. Audi cælum, & auribus percipe terra. Lux in Thabor increata: quid ergo illa aliud, nisi Deus secundum vos? nihil enim increatum nisi Deus. Si autem lumen illud neque res condita, neque Dei natura est, (Deum enim nemo vidit unquam) quid reliquum, nisi vos duobus Diis servire, uni quidem omnium fabricatori, quem & inaspectabilem omnes confitemur: alteri vero ex sententia vestra sub aspectu cadenti, & increato lumini?* Cui argumentationi plura Cantacuzenus ipse, & Philotheus Patriarcha reponunt, sed futilia verba sunt, ut observat in notis ad Hist. Cantac. Gretserus.

2. Prosecutio.

Argumentis autem superius positis facillime occurritur. Nam ad primum dico, Synodum illam Byzantinam, aliasque habitas in causa Barlaami & Acindyni, non esse œcumenicas, ut falso putat Prateolus, sed Schismaticorum Græcorum ab Ecclesiæ sinu, & veritatis fideique lumine aberrantium. Præterea neque certum est, eam Synodum, præsertim cui Barlaamus interfuit, aliquid de increato lumine decrevisse; sed, si quid statutum est, evenit, postquam Barlaamus Byzantio discesserat, frigidius Catholicam veritatem substinente Acindyno. Quamquam vero Cantacuzenus scribit, Barlaamum à Palama publice convictum & propriam confessum ignorantiam, omnem diligentiam pro errore emendando impigre se adhibiturum promisisse; Gregoras tamen lib. X. narrat, noluisse Imperatorem, ut de his, quæ ad dogmata spectabant, ageretur, & Barlaamum sub vesperam spectaculo Synodali absoluto, ignominiam gravissime ferentem, plenis velis in Italiam, & ad Latinorum instituta, quibus erat educatus, rediisse. Secundum autem argu-

3. Solvuntur argumenta Gregorii Palamæ.

mentum, quòd in relatione de dissidio Barlaami, & Palamæ refert David Monachus, si quid efficeret, probaret tantum errorem, qui olim apud Armenios invaluit, non posse divinitatem in se videri, & quem paullo ante impugnavi. Tertium nihil est præter anilem deliratiónem; quippe supponit, operationes ac proprietates Dei realiter distingui à Divina substantia, quemadmodum splendor solis à sole. Postremum denique potest ultro concedi; nam regnum æternum paratumque ante mundi constitutionem nihil est aliud, quàm ipse Deus, qui olim dixit Abrahæ: *Ego merces tua magna nimis.*

4. Opinio Scholasticorum.

Refutata opinione Græcorum, videndum est de communi Scholasticorum sententia. Uno ore affirmant, lumen gloriæ esse qualitatem, & habitum supernaturalem infusum à Deo intellectui Beatorum, quo is ad videndum intuitive Deum elevatur. Quod Theologi probant his argumentis; ac primo: Non minus est permanens in beatis lumen gloriæ, quàm sint in viatoribus fides, spes, charitas, & aliæ supernaturales virtutes: Istæ sunt quidam habitus, & qualitates creatæ, & à Deo infusæ: Ergo qualitas & habitus creatus, & infusus à Deo, est etiam lumen gloriæ. Rursus: Requiritur lumen gloriæ non ex parte objecti, cum illud sit summe intelligibile, sed ex parte potentiæ, quæ perfici debet, & ad actum supernaturalis visionis expeditam adipisci facultatem: Intellectus vero non potest hoc modo perfici, nisi creatam qualitatem à Deo infusam recipiat. Denique: Lumen gloriæ neque Deus est, neque ipsa visio, ut Nominales arbitrantur: Non est Deus, nam alias damnari non debuissent Beguardi, quandoquidem non negarent, Deum ad beatam visionem intervenire; neque est ipsa visio, quia Viennense Concilium definit, requiri lumen ad visionem Dei, ideoque sufficienter hanc ab illo secernit: Atqui si lumen gloriæ non est Deus, neque ipsa visio, necesse est, ut sit qualitas creata, & habitus supernaturalis, animæ infusus: Ergo, &c.

5. Opinio D. Thomæ & B. Aegidii.

Huic sententiæ tam firmiter adhærent D. Thomæ, ac B. Aegidii Discipuli, ut affirment, neque divinitus fieri posse, quod absque hujusmodi creato lumine Divina videatur substantia: quod sequentibus demonstrant argumentationibus. Non potest, inquiunt, oculus carnis videre solem nisi ejus lumine affectus: Ergo neque intellectus Deum, nisi ipsius fulgore ac lumine irradiatus. Ad hæc: Non sufficit ad videndum Deum in se uberior concursus, ut Scotistæ, Tournely, Duhamel, & communiter existimant recentiores, cum istiusmodi concursus nihil ponat in potentia, sed solum influat in actum: Requiritur ergo superinfusa aliqua virtus creata, quam lumen gloriæ propter munus mentem illustrandi compellamus. Tertio, ut arguit Contensonius, tametsi Deus supplere possit causæ secundæ efficientiam, & producere Ex. gr. lucem absque sole, non potest tamen efficere, ut causa aliqua effectum producat absque intrinseca virtute producendi, & sol illuminet non formatus vi illuminandi: Non ergo efficere potest, ut intellectus divinitatem in se attingat, nisi suffultus sit supernaturali luminis gloriæ virtute.

6. Opinio eorum, qui putant lumen gloriæ idem esse cum specie impressa.

Ab hac communiori sententia nonnulli recedunt, qui existimant, lumen gloriæ idem esse cum specie impressa, quam major pars Theologorum docet esse eamdem Divinam essentiam unitam menti beatorum. Et quidem nullam dari claram imaginem ac similitudinem Dei, quæ creata sit, rectissime probat D. Thomas, quoniam per similitudinem inferioris ordinis nullo modo superiora possunt cognosci; non enim per speciem corporis spiritum possumus intelligere, neque per similitudinem hominis angelum: & consequenter neque per creatam imaginem æternam divinamque intueri naturam. Neque vero species & imago tam pura & defæcata potest produci, ut inaccessibilem lucem valeat quomodolibet adæquare. Quam D. Thomæ doctrinam divinitus revelatam noster appellat Aegidius. Putat ergo Emmanuel Maignan cap. xv. Philos. Sacræ Prop. VII. lumen gloriæ esse eamdem speciem Dei impressam, scilicet Divinam essentiam conjunctam cum intellectu creato objective: quod probat ex corporeæ lucis analogia. Si enim, inquit, species coloris nihil aliud est, quàm lux suis radiis retinam feriens, quod communiter dicitur species intentionalis; neque erit lumen gloriæ aliud, quàm ipsa lux divinitatis intellectui beatorum conjuncta. Hac autem sententia, ait præcedente propos. VI., optime conciliantur diversæ Doctorum sententiæ, quorum alii tradunt, lumen gloriæ se tenere ex parte objecti, alii vero ex parte potentiæ. Nam cum sit conjunctio divinæ essentiæ cum intellectu, & objectum & potentiam simul importat. Neque singularis est hæc opinio Maignan, sed eam antiquissimi aliqui Scholastici tradiderunt, quos refert noster Gavardi

Tom.

Tom. 1. Scholæ Aeg. pag. 671. Atque à specie impressa indistinctum esse lumen gloriæ putat etiam Vasquesius, sed non existimat, Divinam essentiam uniri immediate beatorum menti per modum speciei intelligibilis, quod etiam sentit noster Lusitanus, & Argentinas: falso tamen, ut infertur ex dictis.

7. Opinio Dionysii Petavii.

Parum ab hac sententia distat Dionysius Petavius, qui lib. VII. cap. 8. num. IV. duo notatu digna tradit: unum est, quod nemo hactenus liquido demonstravit, qualis sit hujusmodi actuosa facultas, qua ad videndum Deum spiritualis natura fulcitur. Alterum, quod ex veterum doctrina videtur potius ad objectum, quàm ad potentiam intellectricem referri. Antiquiores enim beatissimam illam lucem Deum ipsum interpretantur, ut Plotinus Enn. v. lib. III. c. 17. ubi de Deo inquit: *Hic verus est animæ finis lumen illud attingere: & per ipsum ipsum intueri: non alterius, inquam, lumine contueri, sed per ipsummet, per quod & videt. Per quod enim illuminata est, idipsum est quod videri oportet.* Quibus similia habet S. P. Augustinus lib. 1. de Peccat. meritis cap. 19. In Petavii itaque sententia, nullum est lumen gloriæ, præterquam ipse Deus; quamvis inquirendo potius hæc scribit, quàm rem obscurissimam definiendo.

8. Opinio Thomassini.

At Ludovicus Thomassinus lib. VI. cap. 16. num. VIII. & seqq. nedum arbitratur lumen gloriæ, quod à pluribus annis increbuit, increatum & à divinitate indistinctum; verum etiam esse specialiter personam Spiritus Sancti beatorum mentes illuminantem. Profert vero in hujus sententiæ confirmationem locum insignem Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 18., & alterum Gregorii Nysseni Orat. in S. Steph., qui disertissime docent, Spiritum Sanctum esse lumen illud Divinum, de quo Ps. XXXV. *In lumine tuo videbimus lumen.* Addit ex istorum, aliorumque Patrum doctrina, quod sicut non possumus videre Patrem nisi per Filium, ita neque Filium videre possimus nisi per Spiritum Sanctum, quem Filii imaginem ac similitudinem etiam Athan. in Epist. ad Serapion. & Cyrillus Alex. in XXXIII. Thes. nuncupaverunt. Ita, inquit, constare quo pacto beati videant Deum, & Deus tamen videri non possit nisi à seipso, quia vis, & potentia qua videtur est Spiritus Sanctus, species in qua videtur est Filius; & mens creata sub hac specie, & in hoc lumine delitescens Deum videt. Hæc ille Tom. 1. Th. Dogmat. p. 392.

In expositis Theologorum placitis ubique aliquid offenditur difficultatis. Communior Scholasticorum opinio vera est in quantum locat lumen gloriæ in habitu & qualitate supernaturali elevante potentiam: sed in eo quod sitam plures volunt naturam istius habitus in entitate creata ab anima & intellectu distincta, mihi, ut verum fatear, non probatur. Quæ est enim tam efficax & speciosa entitas inanimis & mortua, quæ inter creaturam & Deum, inter finitum & infinitum inducere possit adæquationem? Et si modo ad recte de veritatibus mutabilibus judicandum eget anima, ut diximus lib. 1., incommutabili, & increato lumine veritatis: multo magis superno & increato lumine opus erit ad videndam in se & facie ad faciem ipsam divinitatem, veritatemque immutabilem. Contra opinio Maignani in eo placet, quod lumen gloriæ à Divina natura unita per modum speciei inseparatum constituat; sed munus luminis gloriæ non satis exponit. Sicuti enim Gratia supernaturalis non est sola unio Deitatis per modum speciei intelligibilis, hanc enim gratiam non negabat Pelagius, qui admittebat propositionem ac manifestationem objecti sub nomine legis ac doctrinæ, sed necessaria est ulterius E. G. ad fidem qualitas supernaturalis confortans & elevans intellectum ac voluntatem; ita ad visionem Dei non sufficit unio objecti ad potentiam, nisi huic superaddatur qualitas & habitus quidam supernaturalis, ut communiter tenent Scholastici. Præterea: Beguardi qui dicebant naturaliter posse videri Deum, consequenter affirmabant Divinam naturaliter uniri animæ per modum speciei intelligibilis, & tamen negabant necessitatem luminis gloriæ: Ergo ad lumen gloriæ præter unitionem Divinæ essentiæ per modum speciei aliquid aliud requiritur. Ob eamdem rationem non satis exacta videtur sententia Petavii existimantis lumen gloriæ ad subjectam rem, non ad videndi potentiam pertinere. Ultima Thomassini opinatio, me quidem judice, penitus falsa est. Recte siquidem Patres contra Macedonianos & Arianos demonstrant, Spiritum Sanctum eamdem habere divinitatem cum Filio, eamdemque Filium cum Patre, quia illustratione Spiritus Sancti cognoscitur Filius, & revelatione Filii dignoscitur Pater, eo quod res inferioris ordinis non possunt ideam rerum exhibere superiorum. At ratio luminis gloriæ non potest specialiter uni Personæ, & non aliis quadrare; tum quia omnes

9. Invenitur in omnibus difficultas.

æqua-

æqualiter in patria sese exhibent aspectabiles; tum quia indivisa sunt opera Trinitatis, quæ communibus & inseparabilibus attributis exercentur. Addo totam Trinitatem esse unum lumen inaccessibile, neque de Patris splendore veram fidem tenentibus separari Filium, & Spiritum Sanctum, ut probat lib. 20. contra Faustum Magnus Augustinus. Ergo si Pater non videtur proprio lumine, neque videbitur lumine Spiritus Sancti, cum sit idem lumen, unum, inseparabile & indistinctum. Quæ cum ita sint, ex præfatis omnibus scitis, ne trochi in morem agamur, profero theorema istud.

10. Propositio

PROPOSITIO Lumen Gloriæ est ipse Deus, sive divinum & increatum lumen beatorum menti intime affulgens, suoque fulgore ac motione imprimens illi qualitatem & habitum; qui tamen non est entitas quædam realiter distincta ab anima, sed ejus ordo, affectio, & modificatio.

Probatur lumen gloriæ esse ipsum Deum intimè præsentem ex SS. Scriptura.

Quod lumen gloriæ sit ipse Deus intime præsens probatur. I. Ex Scripturis, quibus omnes Theologi probant hujus luminis necessitatem. Ps. xxxv. 10. legitur: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Is. lx. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apoc. xxi. 23. *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus*: & xxii. 5. *Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* His verbis designari lumen gloriæ Theologi omnes fatentur: Atqui non aliud innuitur lumen præterquam ipsum Dominum, & Agnum, id est Verbum Patris: Ergo ipse Dominus, ejusque increatum divinumque lumen est lumen gloriæ.

11. Probatur ex Patribus.

Probatur 2. ex PP. præsertim Augustino, qui lib. de moribus Eccl. Cath. cap. xi. ait. *Secutio igitur Dei beatitatis appetitus est, consecutio autem ipsa beatitas. Ac eum sequimur diligendo, consequimur vero non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico, & intelligibili modo contingentes, ejusque veritate, & sanctitate penitus illustrati, atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet.* Lib. xii. de Gen. ad lit. *Aliud est autem ipsum lumen quo illustratur anima, ut omnia vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est, hoc autem creatura: quamvis rationalis & intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, & minus valet. Cum ergo illuc graditur, & à carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo etiam supra se videt illud, quo adjuta videt quidquid etiam se intelligendo videt.* In Ps. xxxv. *Si lumen est, oculos meos parem.* Serm. 284. *Lumen est, accede, cape, vide.* Et lib. i. de Peccat. mer. c. 19. *Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manet in æternum, justificatos præsentia creatoris illuminat.* Hoc loco male scribit Petavius lib. vii. cap. 8. indicari aliquod lumen à divina essentia diversum: quod enim incommutabiliter manet in æternum est idem Deus.

Theologi, qui admittunt lumen creatum, respondebunt allata Scripturæ & Augustini testimonia intelligenda esse de luce objectiva, non de ea quæ se tenet ex parte potentiæ: sed liquido ex dictis constat tam lucem objectivam, quàm illam, qua Deus videtur, esse idem divinum lumen; & eamdem sempiternam divinitatis lucem eam esse, quæ videtur, & in qua videtur: quæ conspicitur, & quæ illuminat: ad quam acceditur, & quæ capitur: qua illustratur anima, & quæ conspicitur. Non ergo inter lucem objectivam & inter eam quæ se tenet ex parte potentiæ aliquod intercedit discrimen.

12. Inter lucem objectivam, & illam, quæ se tenet ex parte potentiæ, nullum est discrimen.

Ratione ita hæc propositionis pars suadetur. Requiritur lumen gloriæ ut Deus in se videatur, quod intellectus finitus & creatus disponi debeat ad objectum supernaturale, quod longe ipsius naturam excedit. Qualecunque creatum lumen non potest ita intellectum disponere, ut clare videat Deum, qui omnem creatam potentiam supergreditur: Ergo qualecunque creatum lumen non potest esse illud lumen gloriæ, quo Deus in se videatur. Deinde: Sicuti impossibile est per similitudinem inferioris ordinis superiora repræsentari & cognosci, ita impossibile est per lumen ordinis inferioris superiora videri, Ex. grat. per lumen candelæ cælum, per lucem solis angelum: Sed ex quo per similitudines rerum inferiorum superiora repræsentari non valeant, D. Thomas 1. P. q. xii. art. 2. recte probat non esse possibilem

13. Probatur hoc ratione.

bilem speciem impressam creatam, quæ Deum, ut in se est, repræsentet: Ergo ex quo lumine ordinis inferioris superiora non videantur, infertur non esse possibile lumen creatum, quo Deus videatur, ut est in se. Denique: Lumen gloriæ nihil aliud præstat, quàm mentem illustrare, movere, ac perficere: Solum lumen divinum abunde illustrat, roborat, perficitque mentem beatorum, cum in se virtutem omnem perfectionemque contineat: Ergo solum lumen divinum est lumen gloriæ.

14. Probatur præter intimam præsentiam increati luminis requiratur qualitas, habitus, seu animæ modificatio probatur I. Quia ex definitione Viennensis Concilii necesse est ut elevetur potentia. Deinde quia sola intima præsentia objecti non sufficit ad visionem, alias quilibet etiam viator, ac damnatus videret Deum; qui ubique est per suam immensitatem, nobisque semper intimior, ut ait Augustinus, intimo nostro. Tertio quia anima videndo Deum perficitur simul ac movetur; sola autem Dei præsentia neque perficit, neque movet.

15. Respondetur habitum fidei, spei, & charitatis esse qualitatem creatam & infusam.

Ergo ad primum communioris sententiæ argumentum respondeo habitum fidei, spei, & charitatis esse qualitatem creatam & infusam, non quod sit entitas quædam distincta ab anima, sed affectio, modificatio, & veluti impressio in ipsa anima divinæ efficientiæ ac virtutis: eo fere modo, quo figura & imago facta impressione sigilli nihil est aliud, quam subjecti dispositio, & affectio. Est igitur lumen gloriæ & lumen increatum, & qualitas etiam & habitus: lumen increatum si accipiatur pro lumine, quo anima perenniter illustratur; habitus & qualitas creata, si accipiatur pro affectione animæ, quam causat divinum lumen. Ita solares radii sunt lumen simul, & species intentionalis: lumen quatenus illustrant oculum; species, quatenus feriunt retinam, & axem opticum imprimunt. Ad secundum respondeo, utique lumen gloriæ se tenere etiam ex parte potentiæ, quoniam objectum intime præsens minime videretur, nisi sese in mentem imprimeret, nec advertentiam, ad quam creatura nativam virtutem non habet, supernaturali efficientia produceret. Ad tertium dico lumen gloriæ esse quidem Deum interiori splendore deitatis propriæ affulgentem, sed ulterius animam afficientem & illustrantem; & merito damnatos Beguardos, quoniam affirmaverant videri divinam essentiam solo lumine naturalis intelligentiæ, non lumine increato ac divino, de quo legitur: *In lumine tuo videbimus lumen.*

Conciliantur autem ex dictis discrepantiæ Theologorum, quorum aliqui negant etiam de potentia absoluta videri posse divinitatem in se absque lumine gloriæ, alii ex opposito affirmant. Etenim videri potest absque lumine aliquo creato, & qualitate infusa distincta realiter ab anima: & videri non potest absque intima præsentia Dei mentem creatam moventis & elevantis. Conciliantur discrepantiæ Theologorum.

Ad argumenta Maignani dico lumen gloriæ esse quidem divinam essentiam unitam intellectui beatorum, sed huic unitioni addendam esse dispositionem, & qualitatem effectam à Deo non solum intime unito, sed etiam operante, ac movente. Atque hoc sensu exponendæ quoque sunt Patrum auctoritates, quas conjecturam faciendo laudat & profert Petavius. 16. Maignani objectionibus satisfit.

Ad Thomassini placitum assero, præter dicta, Spiritum Sanctum dici lumen gloriæ, quia istud non attinet ad naturæ ordinem, sed ad gratiam, cujus auxilio supernaturalia opera efficiuntur. Spiritui enim Sancto gratiarum tribuuntur charismata. At quemadmodum lumen quod videtur non est sola Spiritus Sancti persona; ita lumine, quo videtur, non est solum Spiritus Sancti auxilium. 17. Respondetur Thomassino.

Oppones rursus. Visio beatorum est actio immanens vitalis: Actio immanens vitalis requirit principium intrinsecum animæ inhærens, quod non potest esse Deus, cui repugnat alteri, tanquam forma, inhærere: Ergo, &c. Confirmatur; etenim in voluntate ad amandum supernaturaliter Deum necessaria est gratia, quæ intrinsece animæ inhæreat. 18. Oppositio.

Antiquiores quidam Theologi, inter quos Mayron in III. sent. dist. XII. q. 2. resp. animam videndo & intelligendo non agere, sed pati; ideoque disparem esse inter intellectionem voluntatemque rationis causam; plus enim ad agendum, quam ad patiendum prærequiritur. Et quidem humanam mentem intelligendo pati assentiuntur simul Platonici, & Cartesiani, qui docent haberi perceptionem ex quo mens à Deo informetur rerum ideis, ut II. parte lib. 3. de veritatis inquisitione explicat insignis Philosophus Nicolaus Malebranch, Purchotius 2. parte Metaph. sect. III. cap. 4. &c. Quin & veteres Peripatetici perceptionem spectare docent ad intellectum, quem

Solutio. 1. vocant *possibilem*. At quia intelligendi opus exigit quidem ideas rerumque imagines, quibus mens formatur humana; sed indaginem quoque veritatis, contemplationemque, qua mens excitata objecti impressione aut se convertit ad externa, aut quodammodo in se ipsa recluditur; ideo conc. majori, dist. minorem: Actio immanens, & vitalis requirit principium intrinsecum, quod sit forma quædam, & qualitas distincta ab anima, nego: quæ sit ipsa anima simul cum intima præsentia Dei illam efficienter adjuvantis, ac moventis, concedo.

20. Solutio. 2. Ad confirmationem dico: quemadmodum lumen gloriæ est Deus illustrans mentem & efficaciter voluntatem inflammans ad videndum ipsum Deum, eoque perenniter, beateque fruendum: ita gratia est Dei misericordia, & voluntas sanctam cogitationem & bonum voluntatis motum operans. Atque hoc pacto tam lumen gloriæ, quam gratiæ auxilium, increatum, & creatum dicuntur; id est, increatum, quatenus sunt Deus ipse animæ illapsus ac præsens; creatum vero, quatenus sunt animæ elevatio ac motio vi effectrice Dei præsentis & operantis producta, ut supra dixi. Addo quoque responsionem eorum, qui docent lumen gloriæ esse quidem habitum & qualitatem distinctam ab anima, sed absolute suppleri posse per uberiorem concursum Dei; scilicet quod lumen non est formalis causa, neque principium vitale; quoniam formalis visionis est ipsamet actio mentis: vitale autem dicitur, quod procedit à principio vitali intrinseco, non quod ab exteriori producitur causa; unde fit quod lumen gloriæ concurrat ad visionem Dei tantum efficienter, ut probat art. 2. concl. 3. Tournely. Quamquam Deus & principium intrinsecum est, & operationum animæ potentior causa, quam sit qualitas quæcunque creata, tametsi rationem nullam habere possit partis, ac formæ; ut ait lib. 3. cap. 4. I. B. Du-Hamel. Sed de lumine gloriæ satis disseruisse mihi videor.

CAPUT IV.

An Palamitarum errori Chrysostomus, Theodoretus, & Hieronymus præluserint?

SUMMARIUM.

1. 2. Chrysostomus solùm negavit comprehensionem Dei esse possibilem.
3. 4. 5. 6. 7. 8 Vasquesii, aliorumque argumenta solvuntur.
9. Theodoretus in hac quæstione immeritò erroris insimulatur.
10. 11. Satisfit objectionibus.
12. Neque Hieronymus visionem Divinitatis in se credidit esse impossibilem.
13. Solvitur objectio.
14. Triplex modus explicandi Patres in suspicionem à Vasquesio adductos.

Chrysostomus, Theodoretus & Hieronymus an Palamitarum errori præluserint. SCRIPSIT Chrysostomus contra Eunomium, & Aetium Dei naturam adeo sublimem ac impenetrabilem esse, ut Angelorum quoque prorsus superet intelligentiam: eumque plures cum Græci, tum Latini nominis Patres secuti sunt. Hinc abrepta ab incolis Montis Atho occasio asserendi quod Deus videtur in lumine, sive effluvio divinitatis, non autem in se. Vix Chrysostomum posse excusari censet Gabriel Vasquez disp. XXXVII. cap. 2. & 3. ubi in deteriorem partem trahit alios quamplures. Dubitarur autem præ cæteris de Hieronymo, & Theodoreto: nam si possunt hi ad veram sententiam accommodari; conciliabuntur facile & alii, quorum dicta ambigua sunt & obscura. Defendunt autem istos contra Vasquesium, aliosque pauciss imos, omnes fere pii, doctique Theologi, ac præter illos, qui in Sententiarum libros commentaria ediderunt, Sixtus Senens. lib. VI. Biblioth. ann. 182. Ferdinandus Velosillus in Advert. ad tom. I. Chrysost. quæst. v. Natalis Alexander sæc. IV. cap. V. art. XXX. Dupin. tom. III. Biblioth. Petavius lib. VII. cap. V. & VI. Capisuccus in controversiis, &c.

Serio autem in hac, aliisque circa Patrum mentem disputationibus est observandum, qua occasione, & quibus emergentibus hæresibus scripserint. Videntur enim aliquando in partes declinare extremas, oppositasque adversariis. Ita Cyrillus in suis contra Nestorium Anathematismis scopum dissertationum ejus non attendentibus visus est ad Eutychianos deflectere, & ubi unam adstruit Christi personam, duplicem negare naturam. Atque Augustinus adversus Pelagianos originale peccatum, & Salvatoris gratiam demonstrans visus quandoque est imperitis ad partes acces-

acceſſiſſe Manichæorum, & ubi neceſſitatem prædicat gratiæ, arbitrii tollere libertatem. Itaque exorta Aetii & Eunomii nefaria hæreſi, Catholici PP. clamabant Deum eſſe inviſibilem, id eſt ejus naturam comprehendi non poſſe, neque evidentibus rationibus explicari.

1. Propoſitio 1.

PROPOSITIO I. Chryſoſtomus non viſionem Dei in ſe, ſed ſolam comprehenſionem poſſibilem eſſe negavit.

Probatur Chryſoſtomum tantum negaſſe poſſibilitatem comprehenſionis.

Affero ex eodem Chryſoſtomo teſtimonia luculentiſſima. Homil. III. in Epiſt. ad Philipp. *Juſti*, inquit, *ſive hic, ſive ibi cum Rege ſunt: atque ibi quidem multo magis propius, non quaſi quodam interjecto veſtibulo, non per fidem, ſed facie ad faciem.* In Paræn. 1. ad Theodorum lapſum: *Quid dicemus quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipſum Regem, non per ſpeculum nec per ænigma, ſed facie ad faciem: non amplius inquam per fidem, ſed per ſpeciem?* Et in Oratione de S. Philogono: *Hic quidem nemo Deum vidit: illic autem qui adſunt, perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non ſolum præſentem, verum etiam gloriæ ſplendore condecorantem cœtum.*

2. Confirmatur.

Deinde Chryſoſtomus animadvertens fore ut aliqui ſummam ei petulantiam objicerent, quod ne ſupremis quidem Virtutibus Deum comprehenſibilem eſſe affirmaverit, diſerte Hom. XIV. in Joannem docet, ſe creaturis illam denegare cognitionem, quam de Patre habet Filius, id eſt perfectam, & infinitam, & quæ divinam ſubſtantiam, ejusque efficientiam exhaurit. Hunc vero ſe ipſum interpretandi canonem ac regulam tradit. *Quoties audis Deum nullum vidiſſe, illud intellige, nullum eſſe qui Dei ſubſtantiam exquiſita ratione perceperit.* Ex quibus ſic argumentor: Qui tradit juſtos in patria videre Deum facie ad faciem, non tamen habere pleniſſimam divinitatis cognitionem, quam habet divinum Verbum; is proculdubio negat tantummodo poſſibilitatem comprehenſionis, non viſionis beatæ: Chryſoſtomus docet juſtos videre Deum facie ad faciem, ſed non adeo exquiſite ac plene, quemadmodum videt Filius: Ergo Chryſoſtomus non beatæ viſionis negat poſſibilitatem, ſed ſolius comprehenſionis.

3. Objectio 1.

Opp. 1. Chryſoſtomus Hom. 23. in Geneſ. ait, *Divinæ gloriæ fulgurantem majeſtatem neque Cherubim, neque incorporeæ illæ Virtutes videre poſſunt, ſed averſæ facies tegunt objectis alis.* Et Hom. 14. in Joann. *Id quod eſt Deus non modo prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli, neque Archangeli.* Idem affirmat Hom. 2. 3. & 4. de incomprehenſibili Dei natura. Igitur poſſibilitatem viſionis Dei revera negat Chryſoſtomus.

Solutio.

Reſp. hæc de viſione perfecta, & exquiſita, cui adæquatur objecti intelligibilitas, eſſe accipienda. Conſtat reſponſio ex dictis, ex ſcopo Chryſoſtomi, ex præmiſſis contextibus, & ex verbis, quæ citata Hom. XIV. ſubjicit: *Multi Deum cognoſcimus, & tamen ipſam ſubſtantiam, qualis eſt: ſolus ejus Unigenitus cognoſcit, qui certam notionem, viſumque, & comprehenſionem habet; qualem Filium de Patre habere par eſt.*

4. Inſtantia.

Inſurgit Vaſqueſius: Citata Hom. XIV. ait Chryſoſtomus: *Si eos percuntaberis,* (ideſt Angelos) *nihil ab his de Dei ſubſtantia audies, ſed tantum referentes: Gloria in altiſſimis Deo, &c.* Igitur aliquid de ſubſtantia Dei enarrare non poſſunt: At narrare poſſent, ſi intuitive viderent: ergo intuitive non vident.

Solutio.

Reſp. narrari, & explicari non poſſe divinam, altiſſimamque naturam vocabulo aliquo exprimente quidquid in ſe Deus eſt, ut dixi lib. II. cap. 1. ſicut enim circumſcribi non poteſt termino, ita explanari non poteſt voce; ut audacter putabant Aetii, & Eunomii gregales. Diſtinguo itaque primum conſ. Angeli aliquid de ſubſtantia Dei enarrare non valent, quod perfecte divinam cognoſcibilitatem, & notitiam adæquet, quam habet Unigenitus in ſinu Patris; concedo: Aliquid enarrare non poſſunt ulla prorſus ratione, ſubdiſtinguo, quia Deum non vident; nego: quia Dei natura etiamſi videatur mente, non poteſt deſignari verbis; concedo. Plura namque percipi poſſunt, quæ narrari non valent, ut de arcanis myſteriis, quæ vidit Paulus in raptu, ait 2. ad Corinth. XII. 4. *Non licet homini loqui.*

5. Urgetur.

Inſiſtit Vaſqueſius: Anomæi non adeo erant inſani, ut ſibi comprehenſivam cognitionem arrogarent; non ergo de comprehenſione contra eos agit Sanctus Antiſtes.

Reſpondetur.

Reſp. neg. ant. De Eunomio enim ſcribit idem Chryſoſtom. Homilia II. de incomprehenſibili Dei nat. *Auſus eſt homo dicere, Deum novi, ut ipſe Deus ſe ipſum novit. Hæccine confutatione indigent? Hæccine demonſtratione? An non ſatis eſt, hæc ſola verba proferre, ut tota eorum impietas reveletur? Etenim hæc inſania eſt perſpicua, amentia inexcuſabilis, &c.* Et Hieronymus in cap. II.

11. Matth. *Erubescat Eunomius*, inquit, *tantam sibi notitiam Patris & Filii, quantam alterutrum in se habeant, vindicans.*

6. Objectio 2. Opp. 2. Chrysostomus cognitionem Angelorum, quam de Deo habent, appellat revelationem & indulgentiam ei similem, qua sese Deus Patriarchis, & Prophetis manifestavit.

Solutio. Resp. id quidem recte contra Anomæos; ut videlicet ostenderet visionem Dei non pertinere ad naturalem vim intelligentiæ, sed esse gratiæ beneficium ipsa fide, & prophetici spiritus illustratione præstantius.

7. Objectio 3. Opp. 3. Ut probet Dei invisibilitatem, Chrysostomus utitur exemplo oculi corporei, atque idem de oculo affirmat & de intellectu Angelorum: Oculus corporis nullatenus videt Deum, ut est in se: Ergo per Chrysostomum neque oculus mentis, sive intellectus.

Solutio. Respond. Quemadmodum ad visionem oculi requiritur imago radiis circumfusis, & in tunicas, humoresque inflexis finita ac picta, ita ad comprehensionem necessaria est quod veritas & virtus objecti sit in mente undequaque nota, & circumscripta; unde infinitum nulla ratione potest à creatura comprehendi. Dist. itaque majorem. Chrysostomus idem affirmat de oculo corporis, & de oculo mentis; id est, docet Deum immensum atque infinitum nulla posse finita intelligentia comprehendi, sicut non potest ulla sensibili specie repræsentari, concedo: id est, putat eamdem vim ac potentiam inesse sensibus, ac menti nego majorem.

8. Objectio 4. Opp. ultimo: Asserit Hom. XIV. Deum visum ab Angelis solummodo post assumptam humanitatem.

Solutio. Resp. Post assumptam humanitatem visum fuisse ab Angelis Divinum Verbum speciali quodam modo comprehensum & circumscriptum, non in sempiterna substantia, sed in forma servi, & in similitudine hominum.

9. Propositio 2. Propositio II. Ut Chrysostomus, ita Theodoretus immerito erroris in hac quæstione à quibusdam insimulatur.

Probatur innoxius Theodoretus. Sese abunde purgat Theodoretus sequentibus locis. Comment. in epist. ad Ephes. tom. III. suorum operum ait: *Nunc bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus. Per fidem enim ambulant, non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.* Et in vita S. Jacobi Anachoretæ, *Collectis*, inquit, *undique multis prophetis, multisque Apostolis, & Martyribus quamplurimis omnes una in arca reposuit, cum sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.* Habet similia in vita S. Eusebii. Itaque hinc ratio ista depromitur: Qui vident facie ad faciem, & Divino potiuntur conspectu, Deum, ut in se est, intuentur: Justorum animæ per Theodoretum vident facie ad faciem divinoque aspectu & contemplatione potiuntur: Ergo per Theodoretum Deum, ut in se est, intuentur.

10. Oppositio 1. Opp. 1. Theodoretus in Dialogo, qui inscribitur Atreptos, id est, *Immutabilis*, ait: *Impossibilis est hominibus, imo etiam Angelis divinæ naturæ contuitus.* Et in cap. 14. epist. 1. ad Corinth. *Hic videmus symbola Dominici corporis: illic autem ipsum Deum videbimus; id enim significat* facie ad faciem. *Videmus autem ejus, non quæ sub aspectum non cadit, naturam, quæ à nullo cerni potest: sed eam, quæ de nobis sumpta est.* Ergo Theodoretus facie ad faciem solam Christi humanitatem videri testatur, non vero inaccessam divinamque naturam.

Solutio. Resp. Theodoretum priores tres Dialogos conscribere contra Eutychianos, qui cum unicam assererent in Christo naturam, consequenter putabant etiam Divinam in terris apparuisse. Quoniam vero Hæreticus, quem Heraniſtem vocat, plures errores ex superioribus hæresibus simul consuerat, ut in Præfatione Atrepti Theodoretus declarat, ob Anomæorum qui tunc grassabatur errorem, Divinam essentiam indiscriminatim vocat invisibilem, ea nempe visione, quam arrogabant sibi Eunomiani, comprehensiva, ac plenissima. Dist. itaque ant. Impossibilis est per Theodoretum Divinæ naturæ contuitus, corporeis oculis, ut existimabant Eutychiani, concedo; oculis mentis, subdistinguo, contuitus modulo rationis nostræ attemperato, qualem statuunt Orthodoxi, nego: exquisitus ac plenus, qualem jactabant Anomæi, conc. Hujus autem distinctionis priorem partem tradit aperte eodem Dialogo Theodoretus, ubi postquam asseruit Divini Verbi incarnationem ex Baruch. v. 15. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est:* & ex Apostolo 1. ad Timoth. 6. *Deus manifestatus est in carne;* ait: *Apte ergo Divinus dicit Apostolus, Deus manifestatus est in carne. Per hanc siquidem apparuit natura, quæ cerni non poterat. Per hanc illam quoque viderunt Angelorum turmæ: visus est enim, inquit, Angelis. Nobiscum igitur hujus doni particeps facta est etiam incorporea natura.* Nimirum Angeli post

post incarnationem Dominicam viderunt Deum indutum humanitate, qui non poterat divinitate comprehendi; ut dixi præced. prop. ad ult.

Quod vero Theodoretus deneget Angelis solam visionem plenam & comprehensivam, constat ex eodem Dialogo; ubi postquam comparavit visionem Angelorum ei, quam & Prophetæ & Patriarchæ habuerunt degentes adhuc in terris, excludere se comprehensionem, quam sibi Aetiani arrogabant, satis indicat dicens: *Sic ergo de Angelis intelligamus audientes quod semper vident faciem Patris vestri: non vero vident Divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ universa comprehendit.* Commentariis autem in Epist. 1. ad Corinth. constat sermonem instituere de Christi humanitate, cui recte potest accomodari illud Apostoli: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Nam videndi quoque Salvatorem nostrum flagramus ardore, quem adoramus speciebus ac symbolis velatum in Sacramento Corporis sui. Quo inflammatus ardore idem Apostolus ad Philipp. 1. 23. *Coarctor*, inquit, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.*

11. Oppositio 2. Opp. 2. Trahitur à nobis Theodoretus in hunc sensum, quoniam in Comment. Ep. ad Ephes. fatetur Justos aliquando visuros Deum facie ad faciem: Atqui hoc etiam loco loquitur de Humanitate Christi: Ergo nullo fundamento ad communem sensum ille pertrahitur. Pr. minor; nam recitatis verbis hæc subnectit: *Videbunt naturam pro nobis assumptam, ab omni creatura adoratam, & sanctos una regnantes.*

Solutio. Resp. dist. mi. Loquitur Theodoretus de humanitate Christi, quæ sola sit aspectabilis fidelibus, & infidelibus post corporum resurrectionem in extremo Judicio, concedo: quæ sola sit visibilis beatis Animabus in Paradiso Sanctorum, nego. Distinguit illic Theodoretus quod videbunt Justi, qui ambulant per fidem, & quod videbunt fideles simul, & infideles. De justis affirmat visuros magnitudinem bonorum, quam vident modo per speculum & in ænigmate: de utrisque ait, quod aspicient assumptam à Divino Verbo naturam. *Fideles*, inquit, *vident tanquam in speculo & in ænigmate: per fidem enim ambulant non per speciem: tunc autem videbunt facie ad faciem.* Et statim: *Fideles & infideles videbunt naturam ex nobis sumptam, &c.* Itaque per Theodoretum qui ambulant per Fidem videbunt facie ad faciem ignotam nunc bonorum omnium amplitudinem, quam credunt ac sperant; Infideles vero solam Redemptoris humanitatem, non illam beatitatis plenitudinem, quam præparavit Deus diligentibus se. Ergo Fideles ac justi præter sumptam à nobis naturam, sempiternam quoque ac Divinam intuebuntur.

12. Propositio 3 PROPOSITIO III. Neque D. Hieronymus visionem divinitatis in se credidit esse impossibilem.

Probatur innoxius S. Hieronymus. In Commentariis ad 1. Esaiæ cap. V. 10. scribit S. Hieroymus: *Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus, & potuerimus cum Apostolo dicere: nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, quasi à Domini spiritu.* Quæ Epistola 112. explicans Augustinus ait: *In his verbis hominis Dei multa consideranda sunt. Primum quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit tunc nos visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum.*

13. Solvitur objectio. Dices: Ait ibidem Hieronymus: *Faciem Domini secundum naturæ suæ proprietatem à nulla videri creatura.*

Resp. non videri quidem divinitatis naturam juxta sui proprietatem, scilicet plene, & tam exquisita cognitione, quæ illius æquare possit infinitatem.

14. Triplex modus explicandi Patres in suspicionem à Vasquesio adductos. Quoniam vero hujus generis plurima reperiuntur in Patribus, propter quæ à Vasquesio adducti sunt in suspicicionem erroris; triplicem, ad illorum sensum deprehendendum aperio viam. Ac prima est, si eos interpretemur de oculis corporeis, quibus omnino redditur invisibilis substantia spiritualis & inextensa. Et quidem *visio* usitatissima significatione corporis sensum videtur potius designare, quàm mentis: ut enim in 1. Periarchon scribit Origenes, sive germanus ille, sive Rufini fraude depravatus, *Aliud est videre, aliud cognoscere. Videre & videri, corporum res est: cognosci & cognoscere, intellectualis naturæ est.* Hinc Joann. xx. 19. & innumeris Scripturæ locis, verbo *videndi* sensus comprehenditur, seu corporalis substantiæ contuitus. Altera via planissima & expedita est, si Patrum dicta accipiamus de comprehensione, de qua S. P. Augustinus ait: *Ideo Deum nemo*

vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Quo sensu Theodoreti & Chrysostomi verba paullo ante ad dogma Catholicum revocavimus. Postremo plura de præsentis vitæ statu, præsertim vero juxta nativam mentis capacitatem possunt exponi; de qua priori capite disputavimus. Hanc triplicem rationem ac viam ostendit lib. VI. Bibl. S. Sixtus Senensis: is eam acceperat à D. Thoma I. P. q. XII. art. 1. ad 1., qui præsertim secundum interpretandi modum amplectitur: & Angelicus Doctor ex Augustino laudata Epistola 112. modo 114. ad Paulinam. In qua Epistola S. P. priorem viam aperit cap. 5. dicens: *Corporalibus oculis non quæritur, nec circumscribitur visu.* Secundam cap. 6. ubi ait: *Plenitudinem divinitatis nemo comprehendit.* Tertiam ac ultimam cap. 14. scribens Deum *invisibilem esse natura videri autem, cum vult, sicut vult.* Tanto Magistro non erit perdifficile Ambrosii, Eucherii, Anastasii, Theophilacti, Euthymii, aliorumque sensa deprehendere.

CAPUT V.

Num juxta Augustinianam Theologiam Dei natura oculis cerni possit corporeis.

SUMMARIUM.

1. Quidnam senserit in hoc puncto Petavius?
2. 3. Præmittuntur scitu necessaria.
4. 5. 6. 7. 8. S. Augustinus assertivè docuit, Deum esse invisibilem oculis corporeis, omniáque suppeditavit argumenta, quæ in hac quæstione Theologi proferunt.
9. 10. 11. 12. An post Resurrectionem Beatorum corpora futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturæ, est alia quæstio, & hanc S. Pater prudentissimè non definivit.
13. 14. 15. S. Augustinus accuratè demonstrat, se dictam sententiam non probare.
16. 17. 18. 19. 20. 21. Enodantur objectiones.

Quid senserit Petavius.

CORPORALIBUS oculis Deum esse invisibilem universa fatetur Theologorum caterva, ita ut mirentur aliqui eximium Ecclesiæ Doctorem Augustinum in re tam manifesta ac patente dubium ancipitemque exitisse. Imo vir clarissimus & in assidua veterum lectione versatus non solum Sanctum Parentem dubium natare scribit; verum etiam aliquando oppositum opinantis partes agere, & ne tolerabilem quidem opinionem explicare. Petavii lib. VII. Theolog. Dogmatum cap. 11. num. 3. istud judicium est. At habet Augustinus in Sacrarum disciplinarum palæstris innumeros ac strenuissimos Defensores; qui tenent perspicacissimæ mentis Patrem nullibi asseveranter contrariam vulgari opinioni tradidisse sententiam. Ego vero omnium minimus non solum Augustini ingenuam probo doctrinam; sed fidenter quoque pronuncio, præstantissimum Ecclesiæ Doctorem & firmissime Deum carnis oculo invisibilem tradidisse, & circa hanc veritatem nunquam penitus dubitasse. Atque id lubentius affirmo, quod præter Augustiniani instituti Scriptores certum istud ratumque habeant Thomassinus lib. VI. cap. XV. Juenin dissert. IV. art. 3. Cardinalis Gotti Tract. de Vis. Dei Quæst. 1. Dub. v. Tournely Q. x. art. 1. Habert cap. XIV. Paragraph. IV. Boucat Tom. 2. dissert. 1. art. VII. aliique quamplurimi.

Ut vero juxta Augustini principia quæstio solvatur, & simul ejus auctoritas vindicetur, recolendum est, quod monui cap. 2. prop. 1., in hoc situm esse oculi naturam, ut ad ejus visionem requiratur, quod anima sese convertat ad contemplandam rem objectam non immediate in se, vel in idea congenita, sed in imagine, quam radii à singulis objectorum punctis prodeuntes, & in tunicas & humores inflexi mirabili naturæ magisterio pingunt in retina. Quapropter visio suapte natura exigit, ut per eam exteriora cernantur objecta, eaque partibus singulis, tanquam pennicillis, in oculi fundo exaratis, non in se inspiciantur: quod si fieret, non sensus perageretur, sed intellectio. Eadem enim anima & sentit & intelligit: sentit ac videt ministerio oculorum, dum per radiorum impulsum fertur in simulacra vi exteriori depicta: intelligit, dum ad internas ac per se notas ideas convertitur. 2. Notandum 1.

Notandum præterea ætate Augustini fuisse nonnullos etiam Episcopali præditos dignitate, qui asserebant in altera vita futurum fore, ut Deus corporalibus oculis videatur, quam opinionem S. P. Epistola 92. alias 6. refellit, veramque 3. Notandum 2.

ramque dementiam appellat. Sed cum quidam Episcopus Augustiniana Epistola illatam sententiæ suæ notam conqueretur, & assereret post generalem corporum resurrectionem carnales oculos evasuros spirituales & alterius naturæ, & consequenter ad videndam in se divinitatem idoneos; Augustinus singularis modestiæ exemplo & pacis servandæ laudabili studio dedit ad Fortunatianum Epistolam 148. olim 111. in qua veniam enixe precatur, si quid in præcedenti acerbius à se scriptum fuerit; repetens tamen recta fide tenendum esse quod Deus, cum sit incorporeus, est omnino oculis carnalibus invisibilis. An vero post resurrectionem corpora alterius futura sint conditionis ac naturæ, ut efficiantur spiritualia, propter commotum Episcopum definire non existimat opportunum: sed tamen argumenta profert invicta, quibus hæc postrema opinatio impugnatur, quam merito dicit tolerabiliorem priori, id est arbitrantium quod Deus videri possit oculis hujus corporis: *quia*, inquit, *conatus mentis utcunque ferendus est volentis corpus convertere in spiritum; non in corpus Deum.* Pollicetur autem se de hoc corpore spirituali alibi disputaturum: quod præstat Epist. 147. alias 112. & lib. XXII. de civit Dei cap. 29. ita tamen, ut ubique propendeat in sententiam negantem corpus illud spirituale, de quo unicuique liberum relinquit opinandi, quidquid sibi videbitur magis accedere ad veritatem.

Distinguenda est igitur duplex quæstio; una, in qua Augustinus constantissime perstitit, & negantem sententiam propugnavit, possitne divinitas cerni corporeis oculis: alteram, quam prudentissime indefinitam reliquit, sed propriam nihilominus aperuit mentem, num corpora resurgentium erunt spiritualia. Quibus prænotatis ostendam 1. Augustinum firmissime tradidisse, quod Deus nulla ratione videri potest oculo corporali: deinde quod prudenter definire noluit quæstionem de spirituali corpore resurgentium: ulterius quod hæc nullo modo spectat ad præsentem disputationem; & denique, licet istam arbitrio reliquerit opinantium, se tamen stare pro contraria sententia satis manifestasse, atque spiritualia resurgentium corpora negavisse.

4. Propositio 1. PROPOSITIO I. Augustinus affirmavit Deum invisibilem esse corporeis oculis, non dubitanter, sed assertive.

Hanc propositionem probo apertissimis ejusdem Augustini testimoniis. Nam lib. 1. de Trinit. cap. 6. ait: *Videri autem Trinitas humano visu nullo modo potest.* Et lib. VIII. cap. 4. *Non enim est corpus, ut carneis oculis inquiratur.* Lib. de serm. Dom. in monte cap. 2. *Quàm ergo stulti sunt illi, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur.* Et Epist. ad Italicam 6., nunc 92. *Deus est lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc nondum est. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit.* Et prope finem ejusdem Epistolæ: *Multa proferri possunt ad istam dementiam refutandam. Ad hoc enim fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam Sanctorum animus exercetur.* Hanc vero sententiam tanta constantia tenuit Augustinus, ut male eam quibusdam audientibus, Epistola CXLVIII. ad Fortunatianum Siccensem Episcopum ita scripserit: *Sicut præsens rogavi, & nunc commoneo, ut fratrem nostrum, de quo collocuti sumus, videre & rogare digneris, ut ignoscat mihi si quid durius & asperius in se dictum accepit in ea Epistola, quam me modo scripsisse non pœnitet, quia dixi istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros. Causam quippe adjunxi cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio intervalloque visibilis. Nihil enim videre aliter istius Corporis oculus potest. Et ne illud quod dictum est,* facie ad faciem, *sic accipiatur, tanquam membris corporis terminatus sit Deus. Ideo me ergo dixisse illud non pœnitet, ne de ipso Deo tam impie sentiamus, ut eum non ubique totum, sed per localia spatia divisibilem existimemus. Talia quippe his oculis novimus.* Non video quid his manifestius possit proferri. Probatur Augustinum assertivè affirmâsse ipsum esse invisibilem oculis corporeis.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Augustinus nedum tradidit oculis carneis non posse conspici Deum, sed ipse omnia suppeditavit argumenta, quæ proferunt in hac quæstione Theologi, & alia longe clariora his, quibus utuntur vulgares Scholastici.

6. Probatur Augustinum suppeditasse omnia Theologorum argumenta. Theologi probant oculum corporeum non posse ad visionem attolli divinitatis triplici genere argumentorum, Scripturis, Patribus, ac ratione. Scripturis, quia locis citatis cap. 1. Prop. 1. Deus dicitur invisibilis, & cum non sit invisibilis mente, consequitur quod sit invisibilis carnali oculo. Patribus, quoniam

niam id asserunt Ambrosius, Hieronymus, & alii. Ratione, quia spiritualia non sunt objectum potentiæ corporeæ: Atqui hæc omnia differtissime tradidit Augustinus: Ergo Augustinus ipse argumenta omnia suppeditavit, quibus probant Theologi Deum cerni non posse oculis corporalibus. Prob. mi. Augustinus Epistola XCII. ad Italicam n. 3. exponens textum Apostoli 1. ad Tim. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, &c. Per hoc,* inquit, *videri ab homine non potest, per quod videt homo corpore corpora. Nam si mentibus piorum esset inaccessibilis, non diceretur Ps. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: & si mentibus piorum esset invisibilis; non diceretur: Videbimus eum sicuti est.* Alia scripturarum loca eodem modo S. P. exponit Epist. 147. alias 112. cap. 9. & 148. olim 111. cap. 3. Priorem ergo argumentationem ex Scripturis petitam idem Augustinus Scholasticis præmonstravit. Alteram ex Patribus quis Augustino tradidit luculentius? Eadem Epistola CXLVII. cap. 6. recitat plura ex Comment. Ambrosii in Lucam lib. 1. cap. 3. Inter quæ hæc habentur: *Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde; nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur afflatu, nec sentitur incessu.* Alia profert cap. XI. alia cap. XIV. alia cap. XXIII. n. 7. *Sanctus autem Hieronymus ait*: (hæc Augustinus) *Videre Deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest:* & n. 9. *Alio loco evidentius dicit, non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem & Spiritus Sancti, quæ una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis.* Igitur Augustinus nec argumenta prætermisit, quæ à Patrum auctoritate petuntur. Rationem autem, qua utuntur Theologi, affert magnus Augustinus Epist. ad Italicam n. 3. scribens: *Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem. Non ita est Deus invisibilis & incorruptibilis.* Vide & Epist. 148. n. 1. Quælibet ergo Scholasticorum argumenta, quibus probatur divinam substantiam invisibilem esse corporeis oculis, S. P. Augustinus prævidit, protulit, illustravit.

7. Probatur à natura oculi.

Præter ea, quæ Scholasticis sunt communia, quædam ille producit clarissima & apertissima. Primum est à natura oculi, quæ, ut prænotavi, est potentia attingens objecta externa in imagine radiorum adminiculo picta, non percipiens in se, immediate res intime præsentes, nam hoc munus est intellectus. At Augustinus apposite hoc utitur ratiocinio Epist. 148. num. 2. ubi ait: *Istius namque corporis oculos dixi non visuros Deum. hoc intuens quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere nisi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt: nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.* Quibus similia habet S. Fulgentius ad Inquisit. 3. Ferrandi. Ex quo sequitur Deum videri non posse oculo corporis, quoniam intime præsens est menti.

8. Probatur exemplis.

Deinde utitur S. Pater exemplis aptissimis. Quorum primum est depromptum ab aliis sensibus: de quibus scribit in Epist. ad Italicam n. 5. *Cur solis oculis corporeis hoc donum attributum esse contendunt, non autem cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit bibi? Et moles erit, ut possit & tangi?* Aliud exemplum petit ex charitate, de qua Epist. 147. n. 44. ait: *Ecce etiam charitas quantulacumque in nostra voluntate consistit, nobisque conspicua est, nec in loco videtur, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu; quanto magis Deus ipse, cujus hoc pignus in nobis est?* Tertium exemplum ingeniosissime affert ex hac eadem disputatione; petit enim cap. 16. illius Epistolæ à Paulina, utrum ea, quæ vera esse discernit ex jam propositis ac disputatis, videantur mente, vel corpore. Et postquam ostendit videri intellectione, non sensu: *Iis ergo, quæ vides* (inquit) *diligenter fidenterque perspectis atque distinctis, attende, quæ credis in hoc ipso sermone, &c.* Quorum argumentorum hæc vis est: Si posset corporalibus oculis divinitas in se videri, posset & tangi, & bibi, & olfactu, halituque sentiri: posset videri charitas, veritas, & mentis perceptio, quæ solo animo discernitur. Atqui nullus affirmat posse Deum ut in se est, manibus, auribus, naribusque sentiri, vel sub carnalium oculorum aspectu cadere virtutes, animique passiones. Ergo nullus pariter debet asserere, quod oculis carnalibus possit divinitas videri immediate in se ipsa.

9. Propositio 3.

PROPOSITIO III. Utrum post Resurrectionem Beatorum corpora futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturæ, est alia quæstio à præcedenti: &

& hanc S. Pater prudentissime non definivit.

Probatur Augustinum hanc propositionem prudentissimè non definisse.

Evidenter hanc propositionem demonstrat S. Pater Epist. CXLVII. num. 49. scribens. *Sunt autem alii Deum quidem ipsum corpus non esse minime dubitantium; sed ideo eos, qui ad vitam aeternam resurgent etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quod si ita est, quantum distat à superiori opinione, & quam sit tolerabilius, etiamsi verum non sit, puto facillime judicari. Primum, quia multum interest, utrum de Creatore, an de creatura aliter aliquid sentiatur, quàm veritas habet. Deinde, quia conatus mentis: utcunque ferendus est, volentis corpus convertere, in spiritum, non in corpus Deum. Postremo quia id quod ego in Epistola mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est: non enim dictum est nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum, non corpus videbit.*

10. Probatur ratione.

Ratione quoque probatur. Affirmare quod Dei natura cerni possit corporalibus oculis, quum isti, ut constat ex dictis, non possint cernere nisi corpora, est impie sentire de Deo, illumque per localia spatia facere divisibilem; quæ est hæresis Anthropomorphitarum & Audianorum: credere autem quod corpus ex animali resurgat spirituale, ut videre possit substantiam incorporalem, nullisque membrorum lineamentis ac finibus terminatam, non est aliquid impium de Deo sentire, neque illum intervallis locorum circumscribere. Ergo qui affirmat in generali resurrectione corporeos oculos spiritualis futuros esse naturæ, non affirmat oculos posse, dum carnales sunt, & corporei, divinam in se videre naturam: & consequenter hæc quæstio longe diversa est à priori.

11. Probatur Augustinum prudenter egisse, dum quæstionem hanc reliquit in suspenso.

Quod vero S. P. prudenter se gesserit, dum quæstionem hanc in suspenso reliquit, probatur. Quæstio utrum Deus videri possit oculis carnis duplici sensu agitabatur, ut constat ex eadem Epist. cap. XXI. Aliqui præsumebant Deum esse corporeum, & consequenter posse videri corpore: & aliqui fatebantur Deum esse incorporeum, posse tamen videri oculo corporis, si corpus vertatur in spiritum. Prima sententia est hæresis Anthropomorphitarum: altera est quæstio pure philosophica: illa falsa est, & sacris literis & rationi adversatur; hæc, licet sit falsa, difficile exemplis & Scripturarum auctoritate potest convelli. Ut prior sententia refutetur, satis est si demonstretur Deum non posse videri oculo corporali: ut impugnetur altera, necesse est ut demonstretur corpus animale non esse in spiritus naturam transiturum. Jam vero ita argumentor. Prudenter se gerit quisquis hæreticam impugnaturus sententiam illam undequaque exagitat, & philosophicas quæstiones aut prætermittit, aut ad illam hæresim evertendam detorquet: Augustinus, dum probat carnales oculos non posse Deum cernere, impugnat hæresim Antropomorphitarum opinantium Deum esse corporeum; & contra hanc hæresim detorquet philosophicam quæstionem, quia si necesse est ut oculi spirituales evadant ad hoc ut possint videre Deum, jam Deus non est corporeus; & ex alia parte quæstionem hanc philosophicam non definit; Ergo Augustinus prudenter se gessit.

12. Dices.

Si dixeris, Cur ergo Augustinus quæstionem de Corpore spiritali pertractat citata Epistola CXLVII. eamque repetit lib. XXII. de Civit. Dei cap. 29. ubique nutans, & anceps? Responsio est in promptu. Dixi, contra Augustini librum de videndo Deo, sive Epistolam CXLVII. vel alterum XCII. ad Italicam mussitasse Episcopum quemdam Audianum, de quo scribit Fortunatiano alteram exemplari plenam humilitate. Ne Audianus Episcopus persisteret asserendo Deum esse corporeum, propterea quod videri debet in cælo, respondet argumentis jam recitatis, quod videri quidem debet, sed mundo corde, ac mente, non oculo. Ne insurgeret Audianus, esse opinionem multorum, quod Deus videri quoque debeat oculo corporis; ne alio disputationem avertat, statim Augustinus reponit, ne in horum quidem sententia consequi Deum esse corporeum, quoniam hi talem sperant spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat; & per hoc spiritus Deum videbit, non corpus. An non undequaque premit Antropomorphitam, & propria sententia, & etiam aliena, quæ illi opponebatur? Placide ad hanc revertitur citato lib. de Civit. Dei: disputat de corpore spirituali; nec ibi quæstionem definit. Id fateor: non ei occurrunt certa exempla, aut divinarum testimonia scripturarum: at negat tamen oculos elevari posse ad visionem Dei, nisi in naturam transeant spiritualem, semper in quæstione dogmatica sibi con-

Solutio.

13. Propositio 4.

ſtans, & adhuc hæſitans de Philoſophica.

PROPOSITIO IV. Tametſi Auguſtinus noluit definire quæſtionem de Corpore ſpirituali, quam aliqui Catholici eo tempore propugnabant, demonſtrat tamen accurate ſe hanc nequaquam probare.

Probatur 1. Auguſtinum demonſtrare quòd non probaverit hanc ſententiam.

Attende, quæſo, Auguſtini mentem, maximamque prudentiam. Primo Epiſtola 147. alias 112. hanc de corpore ſpiritali ſententiam appellat tollerabiliorem hæreſi Audianorum, ſed tamen falſam. *Quantum diſtet*, inquit, *à ſuperiori opinione, & quam hoc ſit tolerabilius, etiamſi verum non ſit, puto facillime judicari.* Deinde cap. XXII. ait videri ſibi, quod hæc de ſpiritali corpore opinio, aut tollat naturam corporis, aut conduplicet eſſentiam ſpiritus: *Eo modo quippe, aut conduplicabitur ſubſtantia ſpiritus, ſi & corpus ſpiritus erit; aut ſi unus erit ſpiritus hominis, ita ut commutato, & converſo in ſpiritum corpore, neque geminatione, neque incremento conduplicetur: nec omnino ullius acceſſu quantitatis augeatur; metuendum eſt ne nihil aliud dici videatur, quam corpora non illa mutatione*

14. Probatur 2.

immortalia manſura, ſed nulla potius futura, & omnino peritura.

In lib. autem de Civit. Dei ubi diſputationem reaſſumit: *Aut ergo per illos oculos*, inquit, *ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quod & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis, ſive ſcripturarum teſtimoniis divinarum vel difficile, vel impoſſibile eſt oſtendere: Aut, quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, ut videatur ſpiritu à ſingulis nobis, in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cœlo novo, & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura; videatur & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perveniente directi*, ideſt in effectibus, in quibus cauſa cognoſcitur, quemadmodum in motibus corporis videtur anima, ut ait S. Thomas q. XII. art. III. ad 2. imo idem Auguſtinus eo loco dicens: *Aliorum quisque vitas, cum ſint indiviſibiles, per corpus videt, &c.* Vide Auguſtinum ſuipſius Interpretem diſertiſſimum.

15. Probatur 3.

Accedit quod Auguſtinus Scripturæ loca, quæ Dei viſionem promittunt, non de corporeis oculis accipit, ſed de oculis mentis & cordis non ſolum Epiſtola 147. num. 37. & 39. & Ep. 148. num. 17. verum etiam lib. laudato de civit. Dei XXII. cap. 29. & alibi. Ex quibus ita argumentor. Auguſtinus revera in eam ſententiam non propendet, quam vocat tolerabilem ſed falſam, quam putat tollere naturam corporis, quam ad intelligendum difficiliorem exiſtimat, & qua nunquam aſſeveranter utitur in exponendis Scripturis: Talis eſt ſententia de corpore ſpiritali: Ergo non propendet in eam Auguſtinus. Quare autem in eam alternat fluctuatque? Recte quidem, ac ſapienter. Primo quia hæc erat plurium etiam Catholicorum opinio. Secundo quia librata infinita Dei omnipotentia non debemus credere impoſſibilia quæcunque nobis ardua videntur. Tertio quia docere nos voluit regulam de aliorum ſententia judicandi. A qua regula num longe abeat Vaſqueſius, qui diſp. 40. cap. 1. aſſerit Auguſtinum docuiſſe Deum oculo corporeo non ſolum poſſe, ſed etiam nunc à beatis videri, nec non Petavius qui lib. VII. cap. 2. ſcribit S. Patrem dubium natare, & minus, quam dudum fecerat, probabilem, imo ne tolerabilem quidem opinionem exponere, poterit quisque ex dictis facile comprehendere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

16. Objectio 1.

Quamvis ex ſupradictis argumenta omnia evaneſcant, quæ probant aut poſſe oculis corporalibus videri Deum, aut Auguſtinum dubium in hac quæſtione alternaſſe: in gratiam tamen Tironum omnia breviter perſtringemus &c. primum ſit: Non ſemel Deus apparuit Abraham, Jacob, Moyſi; ejusque viſionem poſſibilem oſtendit Job, dum ait XIX. 26. *In carne mea videbo Deum meum.* Ergo carnali oculo divinitas cerni poteſt.

Solutio

Reſp. nego conſeq. Etenim vel Deus, vel Angelus in aſſumptis corporibus non ſemel Patriarchis apparuit, aliquibus etiam ſingulari privilegio quam familiariſſime, & absque internuncio, atque manifeſta, non imaginaria revelatione, locutus eſt: quod juxta hebraicam phraſim eſt colloqui *facie ad faciem.* Num vero quidam divinam quoque naturam viderint oculo mentis ac ſpiritu, diſputabitur infra. Ad teſtimonium Job obſervat S. Pater XXII. de Civit. Dei cap. 29. appoſite ſcriptum eſſe: *in carne mea,* non, *per carnem:* quippe reſumptis corporibus ſinguli, etiam qui modo purgantur, quorum typum Job gerebat, mente frui debent Dei conſpectu. Poteſt & exponi de Deo incarnato, & humanitate Chriſti, *qui reformabit cor-*

corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, ut inquit Apoſt. ad Philip. 3. & idem Auguſtinus reſpondet. Commendatur & ibi fides Reſurrectionis, in qua idem numero homo ex eadem carne conflatus reviviſcet, ideoque de Chriſto venturo ad judicium poteſt exponi: & propterea ait: *Rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Ideſt, ſuſcitabor in hoc eodem corpore, hiſce oculis in noviſſimo die conſpiciam Judicem univerſorum; non alius, non commutatus in aliam carnem, ego ipſo reſurgam, & hac ipſa carne circumdatus ante Chriſti tribunal comparebo.

17. Objectio 2. Arguitur 2. Videntur exteriora objecta ab oculo, dum illum movent localiter & excitant nervum opticum: Deus movere poteſt localiter oculum, ejusque nervum opticum excitare: Ergo ab oculo cerni poteſt.

Solutio. Reſp. diſt. maj. dum excitant, & radiorum preſſione pingunt exterioris corporis in retina imaginem, concedo: dum movent absque impreſſione iſtiusmodi imaginis, nego. Eodem pacto diſt. min. Deus poteſt localiter oculum movere, non efficiendo aliquam imaginem ſui, concedo: efficiendo & imprimendo ſpeciem & imaginem, nego. Ergo ſi localiter fibras oculi moveat; ea excitatione percipiet quidem animus eſſe aliquam moventem cauſam, at hanc minime ſenſibiliter cernet. Quippe eo verſus, ubi radiorum flexione pinguntur rerum imagines, nullam illic, niſi referentem corpora colorata poteſt inſpicere. Vide cap. 2. prop. 1. ad 2.

18. Objectio 3. Opp. 3. Poteſt intellectus creatus cernere objectum increatum: Igitur poteſt corporalis ſenſus intueri ſpiritualia.

Solutio. Reſp. nego conſequentiam; etenim natura intellectus in eo ſita eſt, quod contemplari poſſit intelligibile. Intelligibile eſt quidquid uniri poteſt menti, eamque illuminare. Deus, tametſi infinitus atque increatus uniri poteſt humanæ menti, imo ab ea ſejungi non poteſt, illam vero valet præſentia ſua illuminare, eſt enim lux vera, & veritas immutabilis. Igitur Deus à creatura cognoſci poteſt. *Deo junctum eſt*, (ait Auguſt. quæſt. LIV.) *quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum, &c.* E contra natura ſenſus poſita eſt in hoc, quod poſſit anima per illum ſentire externa objecta corporea; quæ cum non ſint per ſe unita menti, ſed aliquo ſeparata intervallo, exhibentur in imagine ac ſpecie, ad quam anima corpori colligata ſe convertens advertit in corporis affectione, quod non poterat lumine percipere interiori. Atqui Deus non poteſt aliquo intervallo recedere ab anima, nec membrorum lineamentis finiri. Ergo Deus nequit conſpici carnali ac ſenſitiva potentia: *Iſtius autem corporis oculi omnino non poſſunt cernere niſi corpora, quæ ab eis aliquo loci intervallo ſeparata ſunt*, inquit Epiſt. 148. S. Pater. Vide prop. 2. & cap. 2. prop. 1. loc. cit.

19. Objectio 4. Quarto loco objicitur: Baptiſmatis aqua gratiam cauſat, quæ eſt qualitas ſupernaturalis, & ignis corporeus ſpiritus torquet reproborum. Quare ergo elevari non poteſt oculus ad videndam Divinam, corporisque expertem ſubſtantiam? Sed hæc nullius ſunt momenti; neque enim aqua vel ignis hæc phyſica efficientia producunt; ſed aqua eſt gratiæ cauſa moralis, ac ſpiritus infernali torquentur igne per alligationem & apprehenſionem: quæ omnia alibi explanabuntur. Quamquam & illud reponi poſſet, oculum eſſe viſionis vitalem ac principem cauſam, quæ ſua virtute, ac vitali motu operatur: aquam autem baptiſmatis, & ignem inferni cauſas eſſe duntaxat inſtrumentales, quæ non propria agunt virtute, ſed illius, cujus inſtrumenta ſunt, nempe Divinæ omnipotentiæ ac juſtitiæ.

20. Objectio ultima. Ultimo ſic arguitur. D. Auguſtinus lib. XXII. de civitate Dei cap. 29. ait: *Longe alterius erunt potentiæ* (oculi) *ſi per eos videbitur incorporea natura.* Et infra, *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acrius videant, ſed ut videant & incorporalia*: Sentit ergo Auguſtinus quod incorporea natura reapſe cerni debeat oculis carneis.

Solutio. Reſp. diſt. conſequens. Id cenſet Auguſtinus abſolute, & ſi oculi corporales permaneant, nego: vide Prop. 1. & 2. Id ſentit hypothetice, & ſi in reſurrectione corpus evadat ſpirituale, ſubdiſtinguo, & hanc hypotheſim quam aliqui vivente Auguſtino admittebant, & ad quæſtionem iſtam nullatenus attinet, S. Pater explicat duntaxat, & in ſuſpenſo relinquit, ut oſtendi Prop. III. concedo: Et hanc hypotheſim aſſeveranter, definite, & ex propria mente ipſe comprobat, nego. Conſtat enim S. Patrem quæſtionem proponere, explicare, & ſententiam de Corpore ſpirituali judicare difficiliorem, ut demonſtravi propoſit. IV.

Neque ullius est momenti, quod adversarii opponunt, S. Patrem testari se plenissime quæstionem citato loco dirimere, ut profitetur II. Retract. cap. 41. Istic enim quæ scripserat in libro de videndo Deo censet quidem, sed non retractat. In quo libro quantum dilucide asseruerit non posse oculis cerni nisi rem corpore & loco divisibilem, abunde monstravi. De spiritali autem corpore difficillimam sane, gravissimamque quæstionem diligentius in libris de civit. Dei pertractasse, utique ipse fatetur: sed etiam hanc à priori diversam se affirmat explicavisse, non vero definivisse. Explicavit autem hinc & inde disputans accuratissime. Ex libris itaque Retractationum quæ à me dicta sunt non evertuntur, sed confirmantur. *De videndo Deo*, inquit, *scripsi librum: ubi de spiritali corpore, quod erit in resurrectione Sanctorum, inquisitionem diligentiorem distuli, utrum, vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur; sed eam postea quæstionem sane difficillimam in novissimo, id est in* XXII. *libro de civitate Dei satis, quantum arbitror, explicavi.*

CAPUT VI.

Utrum aliqui adhuc in hac mortali vita degentes Deum viderint, in utramque partem discutitur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Sententia affirmativa probatur.
4. 5. 6. Probatur etiam sententia negativa.
7. 8. 9. Solvuntur argumenta sententiæ affirmativæ.
10. 11. 12. Solvuntur etiam argumenta sententiæ negativæ.

An aliqui adhuc viatores Deum viderint.

LIBRATIS Patrum ac Theologorum momentis, num Moyses, Paulus, & quidam alii eximiæ sanctitatis viri adhuc viatores Deum viderint, videtur mihi res ambigua, & in partem utramque disputabilis. Non enim de rei agitur possibilitate, quam in dubium vertere nefas est; sed de facto, cujus neque aperta sunt Scripturarum testimonia, neque constans Patrum traditio, neque una Doctorum nostrorum sententia. Quamobrem adolescentibus nostris, ut de ingenii sui acumine aliquod periculum faciant, liberam do arenam, & quomodo contra adversarios instruere se debeant, eorumque tela retundere, demonstrabo.

1. Probatur viatores Deum vidisse ex Scriptura.

Quisquis igitur subsistinere velit affirmantem sententiam, poterit illam sequentibus argumentationibus comprobare. Primo Num. XII. 6. 7. 8. de Moyse legitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni Domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Et Exodi XXXIII. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem.* Et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam. Qui respondit: Ego ostendam omne bonum tibi.* De Paulo 2. ad Corinth. XII. *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quæ est enim revelatio tam mirabilis, quæ verbis designari non potest, nisi manifestatio divinitatis, de qua Isaias cap. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti diligentibus te?* Scripturis itaque videtur consentanea sententia affirmans.

2. Probatur ex Patribus.

Eamdem confirmare possumus Patrum auctoritate. Etenim Augustinus lib. II. de Gen. ad lit. cap. 27. de Moyse hæc scribit: *Concupiverat enim, ut in Exodo legimus, videre Deum, non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in Tabernaculo; sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur, &c.* Eadem repetit de Moyse ac Paulo Ep. 147. alias 112. cap. XIII. n. 31. Et Hilarius lib. I. de Trinit. cap. 3. & lib. VIII. cap. IX. Rupertus lib. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 28. Isidorus Hispalensis cap. 37. de vita & morte SS. narrant Esaiam fuisse à Judæis interfectum, quod scripserit cap. 6. -- VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM EXCELSUM -- &c. Ait autem Hilarius: *Deum Propheta vidit, & gloriam ejus usque ad invidiam Propheticæ dignitatis aspexit.* Basilius quoque de Moyse scribit Hom. I. in Hexam. *Qui octogesimum ætatis agens annum vidit Deum, ut erat homini videre possibile, immo ut nemini potius licuit alii.* Et Ambros. lib. 2. cap. 2. *Hic itaque, non in visione, neque in somniis, sed ore ad os cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per ænigmata,*

gmata, sed clara atque perspicua præsentiæ Divinæ cognitione dignatus. Omitto autem quæ de seipso narrat Augustinus lib. IX. Confess. cap. 10. Et de Sancto Benedicto D. Bernardus serm. IX. de Diversis.

3. Probatur ex congruentiis.

Congruentiæ etiam satis manifestæ possunt afferri. Quis enim hoc privilegium concessum negaverit B. M. V., quam scimus creaturas omnes gratiarum cumulo, & amplitudine præcellere meritorum? Et certe hanc ei gratiam fuisse collatam tradunt Rupertus, Albertus Magnus, & Pater pauperum Thomas Archiepiscopus Valent. serm. de Resurrect. necnon Theologi eruditissimi, ut observat Gavardus Quæst. IV. de Invisib. Dei art. IV. De Moyse autem ac Paulo ait S. Thomas 2. 2. quæst. 175. ad 1. congruenter manifestatam illis essentiam fuisse Divinam; *nam sicut Moyses fuit primus Doctor Judæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium.* Scripturis itaque, Patribus, & probabilibus congruentiis sic opinio affirmans defenditur.

4. Probatur Viatores non vidisse Deum ex Scriptura.

Negativa sententia pariter ex sacris Scripturis primitus sic ostenditur. Exodi XXXIII. Moysi summopere desideranti Divinam essentiam conspicere respondit Dominus: *Non videbit me homo, & vivet.* Et insistenti petitionibus versu ult. ait: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quibus verbis aliqui Christi humanam formam, aliqui imperfectam visionem, aliqui manifesta Dei opera putant significari. Joann. cap. I. v. 18. ait: *Deum nemo vidit unquam.* Scripsit autem, quod valde notandum est, post Epistolam 2. ad Corinth. in qua Apostolus raptum suum refert usque ad tertium cælum. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, scribit quoque Paulus in VI. ad Timoth. scripta post Epistolam ad Corinthios nuper laudatam. Hæc autem minime diceret, si videre Deum sibimet fuisset paullo ante concessum. Scripturis itaque hæc secunda sententia non adversatur.

5. Probatur ex Patribus.

Probatur autem ex PP., & missis Irenæo, Tertulliano, Origene, aliisque vel errore Millenariorum suspectis, vel subobscure loquentibus, idem aperte docent Nazianz. Orat. 34. S. Leo serm. de Transfig. Gregorius lib. 18. Moralium, S. Evaristus Epist. I. & alii, quos refert Petavius lib. VII. cap. XII. & Sylvius Quæst. XII. art. XI. Quantum vero spectat ad Augustinum, etsi aliquando stetit in priori sententia, huic tamen senior ac doctior factus accessit: nam Tract. 3. in Joann. ait: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est; typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.* Lib. 2. de Trinit. c. 16. *Cum vero hic apertissime demonstretur, nec desideranti hoc fuisse concessum; quis audeat dicere, per similes formas, quæ huic quoque visibiliter apparuerunt, non creaturam Deo servientem, sed hoc ipsum quod Deus est cujusquam oculis apparuisse mortalium?* Similia repetit S. P. lib. 3. contra Maxim. cap. 12. Quæst. 154. super Exodum, lib. 4. de Symbolo ad Cathecum. cap. 3. Ex quibus satis colligi potest, inquit Sylvius Augustinum non judicasse quod Moyses & Paulus in hac vita Deum viderunt, tametsi aliquando fuerit in eam sententiam propensior.

6. Probatur ex conjecturis.

Neque desunt etiam pro hac parte probabiles conjecturæ. Primo enim in Dei visione nostra sita est beatitudo: Beatitudo semel habita non potest amitti, nec Deus potest eam subtrahere, quoniam pœnam nunquam irrogat absque culpa: Si ergo Paulus ac Moyses Deum vidissent, in hac vita fuissent beati, & nunquam in posterum ipsa privati essent beatitudine. Deinde adhuc viatores extitissent, nec tamen ambulassent per fidem; fides enim tollitur manifesta revelatione eorum quæ creduntur. Itaque rationi, Patribus, & Scripturis videtur negativa sententia pariter consentanea.

7. Solvuntur argumenta sententiæ affirmativæ.

Hactenus pro utraque parte protulimus argumenta. Modo dicam quo pacto singula possint vicissim retundi. Scripturarum textus pro parte affirmante facillime possunt exponi. In XII. cap. Num. ostenditur tantum discrimen inter Moysen aliosque Prophetas, quibus per somnia & imaginarias visiones Dominus locutus est, cum Moysi apparuerit frequenter, familiarissime, & absque internuncio, & eum fuerit adlocutus non solum propheticorum vaticiniorum velamine, sed manifesta legis, rituum, rerumque gerendarum significatione. Quod etsi quibusdam aliis momentanee fuerit concessum, ut Abrahæ sub quercu Mambre, & Jacobo luctanti cum Angelo, Moysi tamen datum legimus sæpenumero, & ordinaria amicorum consuetudine. Et si pertinaciter insistas, Moysen vidisse Dominum secum familiariter colloquentem; possum & istud concedere: erat enim Angelus ille, non Deus, ut habetur Actor. VII., idque tandem animadver-

Exponuntur textus SS. Scripturæ.

tit Augustinus Tract. III. in Joannem scribens: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem.* Eodem modo expeditur textus Exod. XXXIII. de quo tamen est aliquid particulariter advertendum. Comminatus fuerat Dominus v. 3. se non ascensurum ulterius cum Moyse ob populum durae cervicis, divinisque jussibus reluctantem. Hoc luctus ac timoris causa. Moyses itaque Dominum placaturus ait: *Praecipis, ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum, praesertim cum dixerit, novi te ex nomine, & inveneris gratiam coram me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Quid ergo est. *Ostende mihi faciem tuam*, nisi, Sis, quaeso, ut feceris hactenus, dux itineris nostri, ne moriamur in solitudine? Certe hunc sensum ipsa lectione poterit quisque dignoscere, neque hanc explanationem potest rejicere quisquis oculos in hebraicum injecerit, ubi legitur, *Ostende mihi, quaeso, viam tuam* הודיענא את דרכך; Verum est quod Moyses in hujus promissionis tesseram, *Facies mea praecedet te*, postulavit quoque, ut manifestationis particeps fieret divinitatis, repetens, *Ostende mihi gloriam tuam.* Verum huic petitioni respondit Dominus: *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te*, id est, Praeter id, quod petis, omnia tibi praestabo, exhibebo favorem, patrabo signa, ero dux ac rector itineris, faciam quidquid vis: veruntamen: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & vivet.* Denegavit ergo Deus Moysi gratiam quam petebat; atque ut eum novo singularique cumularet beneficio, sese illi manifestavit à tergo, id est fulgentissimo quodam lumine, quod esset divinitatis indicium, at non facie ad faciem. De raptu autem Pauli levior est difficultas, quoniam ipse non ait se in tertio cælo vidisse Deum, sed audivisse arcana, quae ratus est esse silentio occultanda. Neque anceps fuisset an hujusmodi raptus in corpore contigisset vel extra, si claram Dei obtinuisset visionem, quae adeo debet esse vivida ac splendida, ut procul ignorantiam omnem, dubitationemque depellat. Id vero adeo indubitatum est, ut idem Apostolus post raptum scripserit ad Timotheum, quod nullus hominum Deum viderit. Atque hoc pacto argumenta petita ex sacris literis diluuntur.

8. Respondetur Patribus. Ad PP. auctoritates respondeo non esse hanc quaestionem ex genere illarum, in qua necesse est, omnes Ecclesiae Doctores convenire. Quamquam & ad ea quae opponuntur patet responsio. Nam quod attinet ad Augustinum, in opere de Genes. ad liter. plura quaesita esse quam inventa, & eorum quae inventa sunt pauciora firmata, fatetur idemmet in II. Retract. cap. 24. Deinde constat ex dictis, in postremis operibus suis priorem rejeciisse sententiam. Praeterea potest ubique exponi de vividiori quadam ac sublimiori contemplatione in raptu, non vero de plena ac manifesta per speciem. Quod narrat Hilarius de Esaia occisum fuisse, quod scripserit à se visum Deum, fateor verum esse: sed Judaei, qui Prophetam intestino prosequebantur odio, quod eos appellasset Principes Sodomorum, populumque Gomorrhae, ut scribit citato loco Isidorus Hispalensis, inde mortis injustissimam causam praetexerunt. Constat namque cap. VI. narrari à Propheta visionem per ecstasim quam habuit in templo, & vaticinari judicium de Rege, primoribus, ac populo faciendum. Ambrosius lib. v. de Fide cap. ultimo oppositum docet, probatque ex Scripturis; unde & ipse in eadem opinatione non stetit, vel exponi debet, quemadmodum diximus de Augustino. Is vero, ac Benedictus, aliique eximia sanctitate praediti raptu sublimiori dignati sunt, sed non clarissima visione Dei, nisi exuti corporibus. Unus est Basilius, quem frustra Estius in II. dist. VIII. §. X. ex ejus Homilia I. de Jejunio ad se trahere studet; nam is, ut observat Petavius, post verba superius producta addidit: *Moysen in potiendis praesentibus Dei conspectibus fuisse, dum viveret, Angelis coaequalem.* Sed Basilio opponitur Gregorius Nazianz. Hieronymus, Cyrillus, Athanasius, & Epiphanius, quorum verba refert Sylvius, Petavius, Estius, Smising, & L'Herminier, majori praecæteris eruditione.

9. Satisfit conjecturis. Conjecturis autem postremo loco productis resp. multo fuisse convenientius, ut nemo ante beatissimam Christi animam Divino frueretur aspectu; quod potissimum valet de Moyse: item, ut nullus in via esset simul viator & comprehensor: ulterius, ut beatitudo non ad momentum, sed ad perennem servaretur felicitatem. Quae tamen vellem discuti cum exceptione B. M. Virginis, cui majorem gratiarum copiam contulit Deus, quam ulli mortalium. Attamen neque Deiparam in terris vidisse in se Deum, salva pietate ac fide possumus affirmare: quod & magnus numerus docet

cet Theologorum, & nulli Apostolicæ Ecclesiæ opponitur definitioni.

10. Solvuntur argumenta sententiæ negativæ.

Reliquum est ut argumenta solvantur negativæ sententiæ. Atque ad verba Exodi XXXIII. dico, utique ibi denegatam Moysi visionem beatam, præstantissima namque gratiarum dona non statim petentibus conferuntur, ne existimentur communia; at concessam esse postmodum colligitur ex cap. XII. Numerorum. Quem postremum locum non possumus de sola frequentia ac familiaritate Divini sermonis accipere: utrumque enim hinc affirmatur, & aperta significatio divinorum decretorum per ea verba; *Ore enim ad os loquor ei:* & visio beatifica & gloriæ participatio, per subsequentia, *Et palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Hinc LXX. verterunt, καὶ τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε, *Et gloriam Domini vidit.* Neque possumus existimare, Moysen vidisse tantum facie ad faciem Angelum, quum aperte asseratur facie ad faciem vidisse Dominum, quod hebraica lectio designat vocabulo Dei propriissimo, ac tetragrammato. Porro legem datam ministerio Angelorum constat ex cap. VII. Act. Apostolor. & ex cap. 2. ad Hebr. sed solos Angelos apparuisse Moysi non recte illinc infertur: nam ipse Moyses morti proximus Deut. XXXIII. v. 2. cum Angelorum exercitu Dominum legem daturum apparuisse, his verbis testatur: *Dominus de Sinai venit, & cum eo Sanctorum millia.* Angeli quoque nomine Deum designari observat Hilarius in I. de Trinit. cap. 3. dicens: *Habes dispensationem in Angelo, quia in Angelo officium est non natura: habes in naturæ nomine Deum, quia Angelus Dei Deus est.* Revera Act. VII. 3. dicitur Angelum apparuisse Moysi in igne rubi; & tamen Ex. III. 2. ait ille qui apparuit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Ergo ex quo lex lata fuerit ministrantibus Angelis, non consequitur Moysen Angelos vidisse, non Deum. Fuit quidem dictum Moysi: *Non videbit me homo, & vivet:* Sed hoc ita ab Augustino explicatur: *Deum nemo videbit vivens vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus & alienatus à carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam rapitur & subvehitur visionem.* Hæc Augustinus lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 27. qui similia repetit lib. de vid. Deo, sive epist. 147. cap. XIII. Joannes vero cap. I. loquitur de visione comprehensiva, de ea nimirum, quam habet Unigenitus in sinu Patris, ut constat ex textu: alias neque Angeli Deum viderent; male enim de solis hominibus quidam dictum putant, *Deum nemo vidit:* Est enim græce Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε cum exclusione tam hominum, quam Angelorum. In I. ad Timoth. 6. excluditur pariter visio Dei plenissima, & ea quæ per sensum oculorum habetur: & præterea nihil obstat, quin in generalibus assertionibus aliqui singulari Dei beneficio intelligantur excepti, quum idem Apost. v. ad Rom. scribat omnes peccasse in Adam, à qua generali sententia pie à plurimis creditur immunem esse Deiparam.

Exponuntur textus Scripturæ.

11. Explicantur Patres.

Quod spectat ad PP. negandum non est plures in oppositam abiisse sententiam, & hanc esse ob horum auctoritatem valde probabilem. Non sunt tamen pro negativa in tanto numero, ut adversarii arbitrantur. Etenim Gregorius Nazianz. aliique Græcorum scribunt contra Eunomii & Aetii discipulos: quod & facit Ambros. in v. de Fide cap. ultimo, qui propterea intelligendi sunt de visione comprehensiva. Alii proculdubio loquuntur universali quadam assertione, à qua specialissimo Dei privilegio aliqui excipiuntur. Quidam, qui expresse Moysen commemorant, de quotidianis ac frequentissimis Dei visionibus verba faciunt, non de illa singulari ac rarissima, quæ narratur in Numeris. Hac ratione conciliantur discrepantes Augustini sententiæ, Moyses enim vidit Angelum & ignem in Rubo, sed vidit quoque Domini gloriam in Sina. Non cogimur ergo asserere quod S. P. à priori sententia discesserit, præsertim cum ipse tali fuerit ingenio, ut aperte fateretur quid, & ubi inter se pugnantia scripsisset.

12. Satisfit rationibus.

Rationes denique postremo allatæ non debent studiosum juvenem deterrere. Priori namque, quam urget Franciscus Sylvius, satisfit dicendo inammissibilem esse beatitudinem, quæ confertur Sanctis post mortem ac permanenter, tanquam merces & corona prædestinatorum; non eam beatitudinem momentaneam, qua dignantur viri præstantissimæ sanctitatis, transeunter, & quasi prælibamine futuræ felicitatis. Neque hujus visionis subtractio dicenda est pœna, quia manifestatio divinitatis nondum est corona justitiæ, sed beneficium simile raptibus contemplantium, quos necesse non

non est diutissime permanere. Idem respondetur ad alteram conjecturam, quæ affertur ab Estio: nullus enim habitus destruitur nisi contrario. At actus actui, habitus habitui opponitur: & consequenter actus visionis momentaneus ac transiens non destruit habitum Fidei stabilem ac permanentem. Habes igitur pro utraque sententia argumenta, argumentorumque solutiones: atque his sufficienter, quantum arbitror, pertractatis, poteris pro lubitu tam de una, quam de altera disceptare.

CAPUT VII.

Sintne beatæ visionis modo participes Elias & Enoch?

SUMMARIUM.

1 Enoch, & Elias probabilius Dei conspectu nondum fruuntur, nisi fortè momentaneis raptibus, & transeunter. 2. 3. 4. 5. 6 Satisfit objectionibus.

An Elias, & Enoch videant Deum.

ENOCH ET ELIAM sive in Paradiso, sive alio in loco adhuc vivere, & extremis temporibus contra Antichristum venturos, tenet, inquit Rabanus in lib. de Antich. fides Christianorum. Quæritur ergo an his saltem, qui translati sunt ne viderent mortem, & adhuc in corpore ad bonum universæ Ecclesiæ servantur, visio illa fuerit concessa, qua Beatorum animæ perfruuntur.

1. Propositio Probatur Enoch & Eliam nondum videre Deum, nisi transeunter.

PROPOSITIO: Enoch & Elias probabilius Dei conspectu nondum fruuntur, nisi forte momentaneis raptibus, ac transeunter.

Demonstratur: Nondum Eliam & Enoch vita functos communior opinio est, quam tenere veteres omnes Rabbinos affirmat R. David in lib. 2. Regum, & traditionem esse discipulorum Domini scribit Irenæus lib. v. adversus hæreses. Eam sequuntur Patres, præsertim Gregorius Magnus hom. XXIX. & S. P. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 3. & lib. VI. contra Julianum, aliique tam multi, ut Aretas apud Estium in cap. XLIV. Eccl. asserat id credi inviolabiliter à tota Ecclesia: videtur etiam evinci ex lib. Apocal. cap XI. 3. ubi legitur, *Et dabo duobus testibus meis, &c.* quem locum omnes fere Interpretes de Helia & Enoch exponunt. Probabilior est ergo, licet non satis explorata, hæc de Elia & Enoch nondum vita functis opinio: Atqui Beatitudo saltem permanens, omnium consensu, non confertur nisi dissoluta hujus habitationis domo, expletoque laborum cursu: Ergo permanens Dei fruitio nondum his duobus collata est.

2. Oppositio 1. Opp. 1. Eccles. XLIV. 16. habetur: *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum:* & IV. Regum 2. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Hic autem, inquit Calmet dissert. de Patriarcha Enoch art. 2. debet intelligi Paradisus Sanctorum, & cœlum Empyreum. Ergo Enoch & Elias in cœlis versantur, ideoque divino beantur aspectu.

Solutio.

Resp. nego conseq. nam Paradisi nomine intelligitur quilibet locus, in quo feliciter vivitur, & cœli nomine etiam superior pars aëris designatur: quoniam & volatilia *volucres cæli* Ps. VIII. 9. appellantur, & Latroni nondum reseratis cœli januis per Ascensionem Redemptoris, Lucæ XXIII. 43. dictum est: *Hodie mecum eris in Paradiso.* In textu Ecclesiastici Paradisi nomen in græcis, hebraicisque desideratur. Apposuit primum Arabs interpres: & merito Vulgata nostra retinuit, quum Enoch mortalis vitæ ærumnis fuerit sublatus. Denique si de Beatorum patria accipi possent loca præfata, sequeretur Christum Dominum nequaquam primum omnium in cœlos assumptum: contigit namque longe ante Christum istorum raptus. Itaque Elias per turbinem, Enoch repentino raptu in ignotam mundi plagam fuere translati.

3. Instatur.

Dices: Revera raptos in cœlum, tradunt Ecclesiæ Patres. Athanas. serm. de Assumpt. Dom. scribit, *Enochum immortalitatis terminos accepisse:* Tertullianus de Resurrect. carnis cap. 58. *De orbe translati*, inquit, *& hoc ipso jam æternitatis candidati.* Hieronymus epist. ad Pamachium: *Necdum mortui, & Paradisi jam coloni, habent membra cum quibus rapti sunt, & translati.* Bernardus serm. 6. de Ascens. *Felices plane, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo.* Et Avitus Vienn. Episc. postquam dixerat Enoch translatum in cœlos lib. IV. Carm. capite 6. ait:

Quam-

Quamquam, qua Noe proavus conscenderat Enoch,
Elias cursu post tempora longa secutus
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis.

Solvitur. Resp. Eliam & Enoch, quum à mortalitatis contagione illos præservet mirabilis Dei providentia, atque tali confirmet gratia, ut nullo terrenarum cupiditatum desiderio premantur, merito dici ab Athanasio immortales, à Tertulliano æternitatis candidatos, à Bernardo & Avito felices ac translatos ex orbe, à Hieronymo Paradisi colonos. Certe Bernardus eo sensu felices vocat, quod eis *omnes materiæ & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum: nec cupiunt nisi Deum*, ut sermone explicat præcedenti. Eo itaque modo fruuntur Deo, quomodo fruuntur animæ viatorum, qui Deum specialiter diligentes diliguntur ab ipso, Angelicis dignantur conspectibus, neque sensuum pulsantur illecebris, neque dæmonum tentationibus. Quandoque etiam divina apparitione recreari videtur mihi verosimilius. Cæterum si contendas in Christi ascensione & istos in cœlum assumptos, ut opinatur citato loco Hieronymus, quod tamen negat cum majori Sanctorum Patrum numero Ecclesiæ columen Augustinus, jam non restat præsenti locus disputationi.

4. Insurgitur. Insurges: Paradisi nomine, si de loco, ad quem Enoch translatus dicitur, quæstio instituitur, intelligi nequit Hortus voluptatis, quem pro Adam plantavit Dominus à principio. Quamquam enim Augustinus lib. contra Julianum VI. illic vitam degere scribat, *ubi est ipsum lignum vitæ, ubi sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas:* obsolevit tamen ista priscorum Patrum sententia; & probabilior est Recentiorum opinio, aquis diluvii paradisum terrestrem fuisse obrutum, & ejusdem loci situm ac viciniam incolis esse refertam. Igitur Enoch in Paradisum voluptatis nequaquam translatus est, sed in Paradisum Sanctorum.

Respodetur. Resp. Enoch, & Eliam ad ignotam terræ regionem translatos esse, ubi in magna corporis animique viventes quiete expectant mundi interitum, ut soluto mortis debito & ipsi cum universa carne resurgant. Sive sit hortus Eden, sive domicilium aliud longe ab hominum cognitione remotum, divinare præsumptio non debet humana. Nullum ex veteribus tradidisse, quod aquis diluvii, vel alia de causa terrestris Paradisus deperierit, affirmat Bellarminus lib. de Gratia primi Hominis cap. 14. Magna ergo probabilitate asseritur quod Paradisus adhuc supersit, ibique mundi exitium expectent præfati Patriarchæ clarissimi, ut scribit aliquando Augustinus. At is de istorum in terris vita nullibi dubitat; de loco autem non semel hæsitat, fluctuatque. Nam lib. 1. de Peccat. meritis & remiss. cap. 3. *In Paradiso*, inquit, *fortasse pascuntur, sicut & Adam, priusquam propter peccatum exire meruisset.* Et lib. de peccato originali cap. 23. in delectu quæstionum, in quibus quid verum sit humana & infirma suspicione conjicitur, has locat: *Cum quæritur qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet: vel cum quæritur ubi sit nunc Elias & Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere.* Quapropter cum magno Protoparente dicimus Eliam & Enochum adhuc esse superstites: ubi, & quibus vivant substentaculis, ignoramus.

Opp. 2. Nisi Enoch & Elias divino fruerentur conspectu, etiamnum viatores forent ac mererentur: Id vix redditur Theologis credibile; quippe indies illorum meritum augeretur, tantoque sæculorum intervallo omnium Sanctorum, Virginis quoque Deiparæ, excederent sanctitatem: Sunt ergo in Patria, ac in termino, bonorumque operum ac laborum retulerunt mercedem. 5. Oppositio 2.

Resp. non unam esse Theologorum sententiam an Elias & Enoch viatores adhuc sint, & in statu merendi. Negant Vasquez 1. 2. disp. 206. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 55. Pererius Tom. 1. in Genes. lib. 7. cap. 5. quæst 5. Estius in cap. 4. Genes. In horum itaque sententia nego majorem. Quamvis enim Elias & Enoch confirmati sint in gratia, sunt nihilominus extra hominum conversationem, tanquam hanc vitam non amplius agentes, nec reficiuntur Ecclesiæ sacramentis, nec meritum sibi comparant, quemadmodum erant PP. in Limbo, inquit Estius, & quemadmodum sunt animæ defunctorum in Purgatorio, ait Vasquesius: scilicet ne mereantur officit tantum status, non defectus gratiæ vel charitatis. Sunt & qui censent adhuc mereri, ut Abulensis, Joannes de la Haje, aliique apud Syl- Solutio.

Sylveiram Opusc. tertio resolut. 1. Atque juxta horum placitum nego quod possint, quantavis charitatis opera exerceant, ad meritum Dei Genitricis unquam pertingere. Etenim non ex diutina solummodo exercitatione virtutum meritum comparatur: sed etiam ex vehementi dilectione; in qua absit ut aliquis Reginam Angelorum ac dominam valeat æquare. Quod si talia opinantibus conditionem status opponas; respondebunt, dummodo vivant in corpore, non tolli rationem meriti per hoc quod sint extra communem vivendi ordinem, quoniam & Catharinæ Senensi, & Mariæ Magdalenæ Virgini absque corporali cibo vitam agere datum est aliquamdiu, sive in ecstasim raptis, sive sumpta in alimonium sacra duntaxat Synaxi, eoque tempore fuisse amplioribus meritis cumulatas: hanc vero rationem minime militare pro Animabus corpore solutis, & reddentibus pro minimo quadrante rationem.

6. Objectio ultima. Ultimo objicies: Sacrum ac perantiquum Carmelitarum Institutum S. Patris Eliæ solemni cultu Festum concelebrat à Romanis Pontificibus approbatum. In exitu quoque animæ illam solent presbyteri Deo commendare per merita Eliæ & Enoch. Sunt ergo ambo Sanctorum sorte, & Dei visione donati.

Resp. Responsio. nego consequentiam. Invocantur enim religioso cultu, quod confirmati in gratia, & corpore & spiritu per Dei protectionē nec deficientes, nec proficientes certissime credantur amici Dei, constet judicio Ecclesiæ singularis illorum virtus, & revelatus sit in Scripturis futurus eorum exitus. Quæ si cæteris viatoribus convenirent, posset & iis solemnis cultus decerni. At vero militantibus, quorum ignoramus finem, exhibendum est charitatis officium, non apotheosis triumphus: & orandum est ut perveniant ad consummationem virtutis, antequam illis votum reddamus honorificationis & laudis. Esse tamen discrimen quoddam inter istos, aliosque Sanctos ultro fatemur; quum & his magni reservetur gloria certaminis, & forte, quod visum Estio, in particulari preces nostras ignorent, & oretur Deus, ut propter eorum merita, & beneficia ipsis collata nobis propitiatus accedat. Quod unice ex precibus pro animabus morti proximis comprobatur.

CAPUT VIII.

An Sanctorum animabus post diem judicii sit clara visio Dei differenda.

SUMMARIUM.

1. Turpes Cerinthi errores.
2. 3. Falsum dogma Papiæ, & quinam in hoc consenserint.
4. 5. 6. Figmentum est, & anilis fabula illud mille annorum regnum à Cerintho excogitatum, & à Papia, licèt tolerabiliùs inductum.
7. & seqq. Satisfit objectionibus.

1. Turpes Cerinthi errores. PRÆCIPUAM hujus libri aggredimur controversiam, num Justorum animæ, quibus nihil pœnarum luendum supereſt, sint supernorum civium gloriæ, splendorisque consortes. In qua & turpes Cerinthi errores, & falsa Papiæ dogmata, & subobscura veterum Patrum dicta aliquam à nobis postulant operam. Ergo Cerinthus circa annum vulgaris Aeræ LXXX. præter alia hæresum portenta, quæ veluti sibi ab Angelis revelata venditaverat, hanc spargere cœpit doctrinam, quod post resurrectionem in terris futurum sit Christi regnum apud instauratas Jerosolymas, Justis inter cupiditates voluptatesque carnis versantibus. Quod cum referant Cajus qui initio III. sæculi floruit apud Eusebium lib. III. Hist. Eccles. cap. 28. Dionysius Alexandrinus, & alii, nullum est dubium, quin Cerinthus Chiliastarum, sive Millenariorum conditor debeat haberi.

2. Falsum dogma Papiæ. Altero post Cerinthum sæculo, & circa an. CXVI. vixit Papias Syrus Hieropolitanus Episcopus: quem Irenæus lib. v. cap. 33. appellat Auditorem Joannis, & Sancti Martyris Polycarpi sodalem: sed, auctore præfato Eusebio lib. III. H. E. cap. 39. Papias ipse in Præfatione librorum suorum quorum inscriptio erat, *Expositio Oraculorum divinorum* aperte testatur se nunquam Apostolos audivisse, sed eorum duntaxat discipulos. Hominem *perexigui judicii* eum vocat Eusebius, certaque profert illius insciticæ exempla, inter quæ istud de Christi regno ad mille annos post resurrectionem in terra hac duraturo. Sanctos tamen satiandos fore impuris cu-

cupiditatibus & obstringendos observatione legalium, ut dixerat Cerinthus, Papias, nequaquam existimavit. Hunc fuisse virum disertissimum, & eruditissimum ac scripturæ peritum habetur cap. 36. ejusdem libri Historiæ Eusebii; sed diligenter observandum est cum doctissimo Henrico Valesio hoc elogium ab antiquis mss. abesse, neque legi apud Rufinum: unde nulla exinde accedit tenuissimo judicio Papiæ commendatio.

3. Quinam Papiæ consenserint.

In Papiæ errorem consenserunt (quod dissimulandum non est) aliqui priorum sæculorum Patres: inter quos enumerantur Irenæus, Justinus, Nepos in Aegypto Episcopus, Lactantius, alii. Quorum plerique tametsi mille annorum regnum non expresse admittant, censent tamen differri ad diem judicii animarum beatitudinem, cum interim occultis clusæ receptaculis Judicis adventum expectent, suorumque operum retributionem. Hanc gloriæ dilationem propugnavit initio v. sæculi Vigilantius. Eodem tenebantur errore tempore Florentini Concilii celebrati anno 1438. nonnulli Græcorum: eoque impliciti sunt plurium superiorum hæresum sutores, & Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimi Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus. Quidam in hujus dogmatis patrocinium locis quibusdam obscurioribus abutuntur Ambrosii, Augustini, & Bernardi: quos, hunc præsertim, ad partes trahere conantur Millenariorum. Pro quibus stetisse quoque Joannem XXII. tradunt cum illius ætatis Historicis plures Theologi, quamvis è cathedra hanc quæstionem non definiisse etiam Gallorum eruditissimi fateantur. Itaque agendum primo de regno mille annorum juxta sensa Cerinthi, & Papiæ: deinde resolvenda est quæstio de beatitudinis dilatione: præterea inquirendum de mente Ambrosii, Augustini, ac Bernardi; ac tandem de errore, quem tribuunt Joanni Papæ, judicium nobis est pronunciandum.

4. Propositio 1.

Propositio I. Figmentum est & anilis fabula illud mille annorum regnum à Cerintho excogitatum, & à Papia licet tolerabilius, inductum.

Probatur 1. ex Ss. Scriptura.

Ostenditur 1. ex Scripturis. Cum enim Pharisæi carnalibus imbuti opinionibus futuram crederent resurrectionem ad vitam animalem, in qua cibo potuque opus esset, & rursum jungi deberent connubia; ait Christus Dominus Matth. XXII. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei.* Verum est quod horum verborum sensus exponitur à Luca: *Neque enim ultra mori poterunt.* At si corpora resurgentium non erunt amplius obnoxia morti, ac defectui; ad quid epulæ? ad quid sexuum commixtio? quæ ad generis deserviunt conservationem. Præterea Paulus ad Rom. XIV. 17. *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Quæ verba non solum per metonymiam debent accipi, quod non paratur jus ad Regnum Dei edendo ac bibendo, sed etiam proprie absque transnominatione, quum statim addat Apostolus, *In esca & potu* pacem non esse, nec gaudium in Spiritu Sancto. Hæc duo loca potissimum urgent Cerinthum. Addo contra Papiam ejusdem Apostoli testimonium 1. ad Thessalonic. IV. 16. ubi Christi adventu, & mortuorum resurrectione narratis, ait: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ubi post Christi descensum non Chiliastarum, sed sempiternum regnum promittitur. Atque regnum istud prædicitur Lucæ I. 33. illis verbis: *Regni ejus non erit finis;* quæ Constantinopolitanum Concilium inseruit Symbolo adversus Appollinaristas errori Millenariorum addictos. Merito ergo à Damaso in Romano Concilio celebrato anno 373. tanquam sacris literis contraria Millenariorum hæresis fuit proscripta.

5. Probatur 2. ex Ss. Patribus.

Hanc auctor librorum de cœlesti Hierarch. c. VII. *fabulam* vocat: idem præstat quæst. 2. Epist. ad Hedibiam Hieronymus. Origenes lib. 2. de Principiis cap. 12. & in Prologo in Cantic. exortam scribit ex intellectis sensu Judaico Scripturis. Stultam insaniam S. Ephrem Opusc. III. appellat. De ea scribit Cajus Romanæ Ecclesiæ presbyter loco citato: *Cerinthum, qui per revelationes, quasi à magno Apostolo scriptas, portenta finxerat, velut ab angelis sibi ostensa, intromisisse hanc doctrinam, qua affirmat, post resurrectionem, regnum Christi in terris futurum, & rursus cupiditatibus & voluptatibus carnem Jerosolymæ versantem servituram. Quin & dixisse inimicum illum Scripturarum divinarum, fallere volentem, in nuptialibus festis mille annorum spatium transactum iri.* Et Eusebius de libris Dionysii Alexandrini eodem loco scribit: *Causam præbuit Nepos quidam Episcopus Aegypti, qui promissiones sanctis hominibus factas in Divinis voluminibus, Judaico sensu exhibendas docebat, & nescio quod mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra fore affirma-*

bat . . . . Hunc ergo Dionysius in libris de Promissionibus acriter impugnat.

Dixi Regnum mille annorum à Papia tolerabilibus inductum, cum Augustino xx. de civit. Dei cap. 7. *Quæ opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando, &c.* Sed tamen sententia Millenariorum etiam in sensu Papiæ recto Judicio Ecclesiæ damnata est, ut diximus, magisque proxima firmabitur propositione.

6. Probatur. 3. contra Cerinthum.

At contra Cerinthum etiam deductas à ratione possumus argumentationes urgere. Nam 1. Quo pacto auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, post consummatas Mosaicæ legis figuras, perfectamque Danielis de perpetua abominatione prophetiam expectare fas est, & liberatos à legis servitute rursus circumcisioni, & legalium subjicere vetustati? Deinde quænam Regni, cui Sancti invideant, conditio est, quærere ciborum abundantiam, gulæque ac ventris ingluviem? *Nullo modo*, inquit Augustinus citato loco, *ista possunt nisi à carnalibus credi.* Contra Papiam vero, qui illicitas impurasque voluptates minime cum Cerintho expectandas esse affirmavit, sed inculpatas, ac spirituales duntaxat, præter ea quæ dicentur de præsenti gloria Sanctorum, constat veram rationalis hominis delectationem ac voluptatem esse videre Deum, eique perpetuo adhærere; ut habetur in Ps. xxxv. 9. 10. *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Solvuntur Objectiones.

7. Oppositio 1.

Cerinthus frivolis quibusdam sophismatibus absurdam nitebatur palliare sententiam. Ac primo opponebat. Matthæi xix. 29. continetur Christi promissio, quod omnis qui reliquerit temporalia. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: Igitur sanctis præter regnum cælorum sempiternamque beatitudinem centuplum reddendum est divitiarum, voluptatum, epularum, honorumque, quibus pro Christi amore nuncium miserunt.

Solutio.

Resp. nego consequentiam. Sanctus enim Hieronymus lib. III. in Matth. cap. 19. ait: *Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Hoc autem centuplum non est ipsa æterna vita, ut quidam exponunt; nam & verba redundarent, & Marci x. 30. aperte promittitur centuplum *nunc in tempore hoc*, æterna autem vita *in sæculo futuro.* Sed est hæc centuplicata merces, superabundantia gaudii in tribulationibus & angustiis, affluentia bonorum in paupertate spiritus, atque voluptas ex fraterna charitate, quæ, ut observant in hunc locum Origenes, Theophilactus, & auctor Quæst. ad Ortod. Q. cx, longe superat qualecunque toleratum rerum dispendium. Atque hanc interpretationem approbat August. Epist. 89. ad Hilarium, ubi exponit *centuplum in hoc sæculo* per illud 2. Corinth. 6. *Nihil habentes & omnia possidentes*, necnon Chrysost. hom. 40. in Genes. 17. dicens id completum fuisse & in Abraham, quando relicta paterna Domo in terram abiit peregrinam. Ergo tum centuplum in præsenti vita redditur, atque ut ait Marcus, ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ *in tempore hoc*, nequit hoc loco designari regnum Chiliastarum.

8. Oppositio 2.

Opp. 2. Matth. v. 6. habetur: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ergo justis satietas quoque, epularumque copia parabitur.

Solutio.

Resp. nego conseq. Nam saturitas istic promittitur spiritalis & cælestis, non terrena, & carnalis. Talis quippe erit satietas, qualis nunc fames & sitis. At loquitur Matth. de fame, & siti spiritali, id est, justitiæ. Ergo & de spiritali saturitate. Fames præterea, ac sitis citato textu translatione quadam vehementem significant appetitionem, ut cum dicitur à Virgilio: *Auri sacra fames*, & à Plutarcho *Qui non esurit, aut sitit vindictam.* Ita saturitas plenum animarum gaudium vocabuli translatione demonstrat: quod non est in sacris literis inusitatum. Legimus in Ps. xvi. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et cvi. 9. *Satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.*

9. Oppositio 3.

Opp. 3. Lucæ xxii. 29. *Ego dispono vobis*, (inquit Christus Dominus) *sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Poteratne clarius exprimi futurus conviviorum in Christi regno apparatus?

Solutio.

At hæc ejusdem generis sunt. Edere & bibere metaphorice idem sunt ac frui

&

& oblectari. Quo loquendi genere utitur Christus, quia solebat apud Judæos per verba edendi ac bibendi felicitas populariter describi. Sic de cælestis doctrinæ suavitate dictum Prov. IX. 5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Esaiæ LXV. 13. *Servi mei comedent, & bibent.* De ubertate Gratiæ Joannis IV. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De fide cap. VII. 38. *Qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Confer & locum Apoc. XXII. 17. Hac itaque tritissima Scripturarum phrasi cæleste regnum sub mensæ apparatu signatur. Putant quidam hoc impleri in præsenti sæculo, dum fideles reficiuntur Eucharistia, quæ in regno Dei, id est Ecclesia Catholica, de mensa Dominica ministratur. Addo his translationibus Apostolicam describi dignitatem. Duabus quippe notis solent cognosci proceres regni, honoris & potestatis. Honos est in mensæ regalis consortio: potestas in Judiciorum participatione. Utrumque Christus apud Lucam XXII. spopondit: Honorem dicens, *Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo;* potestatem consequentibus verbis, *Et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.*

10. Oppositio 4. Quarto opponunt Cerinthiani: Matth. XXVI. 29. Christus in Cœna recumbens ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei.* Nedum mensa, sed & vinum, & quidem uvis expressum, loco isto commemoratur.

Solutio. Sed eadem est adhibenda responsio. Vinum lætitiam frequentissime significat, & amicorum charitatem, ut II. Cant. 4. & Zachariæ IX. 17.; idque, quod vinum exhilaret cor hominis. Neque aptior Christo proferri poterat analogia. Vinea Ecclesia dicitur tam in novo, quàm in veteri testamento: *Vinea facta est dilecto meo,* inquit cap. V. Esaias: *Ego plantavi te vineam electam,* Jeremias II. 21. *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, &c.* Matth. XXI. 33. Appellatur Christus I. Cant. 13. *Botrus,* Joannis XV. *Vitis;* ibidem cælestis Patris *agricola,* Fideles vero *palmites.* Non potuit ergo melius designari gaudium Sanctorum quàm sub metaphora *Vini,* sive attendatur consueta scripturarum locutio, sive conferantur quæ de Ecclesia, ejusque capite ac membris dicta sunt. Atque ita *Vindemia, & racematio* judicium, & uvæ contusæ, & calcatæ Divinam in impios vindictam figurant, plenumque apud Joelem *Torcular* exuberantes nequitias. Sic optima est scripturarum cohærentia, si *Vinum* hoc loco spiritaliter accipiamus. Quod ut facilius à nobis percipiatur, appellatum est *Novum,* id est alterius, & longe præstantioris virtutis, quàm illud sit, quo bibax inebriatur. Hoc sensu in Apocalypseos XXI. Beatorum patria appellatur *Jerusalem nova:* & ne cum Cerintho dictum putes de instaurata Palestinorum metropoli, monet Apostolus ad Galatas IV. 26. scribens: *Quæ sursum est Jerusalem.* Sunt qui ad literam Christi verba interpretantur de sumptione potus cum discipulis post resurrectionem, de qua Petrus Act. X. ait: *Qui manducavimus, & bibimus cum illo.* Hanc interpretationem non approbat Guilelmus Estius, quoniam istud nondum erat in regno patris, neque novum in comparatione ultimæ cœnæ. Theologi tamen eruditissimi & istam amplectuntur explanationem: pro qua respondere possumus Estio, Regnum patris dici Ecclesiam, quam Christus acquisivit sanguine suo: novum vero, & inauditum, quod habens corpus incorruptibile biberit & comederit, ut *certiori argumento* (inquit Chrysostomus hom. 83. in Matth.) *firmaret resurrectionem.*

Objicies 5. Apocalyps. XX. V. 2. legitur: *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille:* v. 3. *Misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum; ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Hoc loco prædicitur apertissime postrema Ecclesiæ persecutio per Antichristum diabolo suadente atque impellente. Prænunciatur enim v. 4. Judicium: *Et vidi sedes, &c.* Post judicium istud consequitur regnum mille annorum: *Et regnaverunt cum Christo mille annis.* Ergo post Judicium regnum mille annorum certissime futurum est. Secundo prædicitur ibidem duplex resurrectio, duplex judicium. Prima est resurrectio justorum ut fruantur regno annorum mille, de qua v. 5. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consumentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Erit

11. Oppositio 5.

igitur post resurrectionem justorum regnum Chiliastarum. Secunda resurrectio, & secundum judicium prædicitur v. 13. *Et mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Post hæc mors secunda, & impiorum sempiternum supplicium. Tertio: Per regnum mille annorum, quod promittitur cap. xx. 6. non possumus intelligere, ut quidam arbitrantur, cæleſtem gloriam, qua nunc fruantur electi, quoniam regnum millenarium erit post resurrectionem Justorum & ante resurrectionem impiorum, ut constat ex dictis: & gloriæ cælestis consequetur post damnationem reproborum, ut describitur immediate sequenti capite. Accipiendum est ergo regnum habendum in terris post primam resurrectionem. Denique citatis verbis, *Erunt Sacerdotes Dei & Christi*, haud obscure insinuatur in regno Milliario immolandas esse victimas, & innovanda legis holocaustomata, ut ajebat Cerinthus, cujus hæc sunt præcipua momenta.

12. Solutio. Ut obscurum Apocalypseos intelligatur oraculum, singulæ ejus partes sunt breviter percurrendæ. Itaque cap. xx. versu 1. memoratur Christi primus adventus: & dicitur *Angelus habens clavem abyssi, & catenam magnam*, quoniam potestatem habet cælestium & infernorum, & captivam duxit captivitatem. Hinc versu 2. dicitur satanas ligatus *Per annos mille*, quia per adventum Christi cohibenda erat usque in finem sæculi dæmonis sævitia ac potestas. Adstringitur autem duratio mundi ad mille annos, ut perfecto numero notaretur hujus temporis plenitudo, inquit S. P. Augustinus lib. xx. de civit. Dei cap. 7. Ob futuram Antichristi persecutionem, quæ creditur duratura tribus annis, & sex mensibus, additur: *Post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Interim & sæculo permanente sedes positæ sunt, & pro animabus *Decollatorum* datum judicium, quod describitur versu 4. Decollatorum animæ sunt martyres, quorum frequentissimum securis supplicium, simulque spiritus justorum ac pœnitentium. At per sedes non judicium extremum post Resurrectionem futurum significatur, istud enim describitur v. 11. & seq., sed aut particulare, aut Ecclesiæ regimen, in quo ligandi atque solvendi auctoritas exercetur. De istis *Decollatorum* animabus scriptum est, *Vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis*, scilicet hoc temporum intervallo, & ante corporum resurrectionem, quo dormierunt in Christo, animæ non perierunt, non detinentur Tartari ruderibus, sed ad gloriæ solium translatæ sunt. Ex quibus colligitur, quod regnum istud mille annorum, quod tribuitur solis animabus, non corporibus, & constituitur antequam solvatur satanas, & mortui magni, & pusilli resurgant, nequit esse regnum Chiliastarum, quod & corporibus promittunt, & post generalem resurrectionem expectant.

13. Duplex est mors, & resurrectio. Præsens animarum gloria appellatur resurrectio prima. Duplex est mors, duplex resurrectio. Prima mors est mors tam bonorum, quàm malorum, id est separatio animæ à corpore: altera mors, ut constat ex versu 14. est impiorum ad sempiternum ignem damnatio. Prima resurrectio est beatitudo animæ, ita enim appellatur etiam ab Apostolo ad Hebræos cap. xi. 35. & à Daniele xii. 2. Resurrectio secunda erit dum corpora à mortuis resurgent, quod legitur v. 12. Quia vero vita æterna, & prima anastasi ac resurrectione non gaudent animæ impiorum, propterea additur v. 5. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima*: Scilicet non vixerunt neque vita animæ & Dei consortio, neque vita corporis, quam tandem resument in gehenna carne simul ac spiritu cruciandi. Ab hac damnatione immunes erunt animæ Justorum; unde v. 6. legitur, *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem*, id est certi sunt non esse mittendos in stagnum ignis. Ergo Martyres ac pœnitentes qui jam habent partem in resurrectione prima & in spiritus beatitudine, neque subjicientur unquam morti secundæ & damnationi animæ & corporis, antequam consummentur mille anni, & adveniat statutus mundi interitus, sunt *Sacerdotes Dei & Christi*, & sunt, qui *regnabunt cum illo mille annis*, ita prosequitur v. 6. Sacerdotes dicuntur, id est plebs sancta, regale Sacerdotium, ait S. P. Aug. xx. de civit. Dei cap. 10. Item quia reddunt Deo sacrificium laudis, inquit Estius. Rursus quoniam sunt intimi Dei amici, exponit Natalis Alex. Neque vero de hostiarum immolatione ritu Judaico possumus ista accipere, quum sermo sit de animabus *Decollatorum*, non de hominibus in corpore viventibus, ut constat ex dictis.

14. Respondetur ulterius. Quamquam penitus dilutum est Milenariorum fundamentum, tamen juvat dicta

dicta singulis argumenti partibus applicare. Ad primum nego consequentiam, non enim versu 4. describitur judicium faciendum post resurrectionem sanctorum Martyrum, cum nulla hactenus memorata sit resurrectio, & omnes simul tam boni, quàm mali præsentari debeant ante tribunal Christi, illis dexteram occupantibus, & his sinistram; ut aperte narratur Matth. xxv., & 2. ad Corinth. 5. Ad 2. nego nomine Resurrectionis primæ intelligendam esse corporum reviviscentiam, non animæ beatitudinem. Ad tertium dico post universalem resurrectionem consecuturam esse gloriam consummatam ac plenam, & vestiendos electos duplici stola, beatitudine nimirum animæ & corporis, quum ii sola anima nunc Deo fruantur. Ad 4. nego Sacerdotes eos tantum dici, qui juxta legem Moysis imolant hostias, & cruenta peragunt sacrificia: nam de omnibus prædestinatis legitur Apocalyp. 1. 6. *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & patri suo.*

15. Expositio Apocalypsis Grotii. Hactenus dicta vera sunt, & apud Sacrarum literarum interpretes vulgatissima. Grotius Apocalypsim nova quadam, & ingeniosa methodo exponit. Ait Sanctos regnare cum Christo per dona sanationum, quæ conspiciuntur apud ipsorum Memorias, & per honores, quem illis Ecclesiæ palam habuerunt. Ante tempora autem Constantini neque tutum erat ad martyrum monumenta concurrere, & vigente Paganismo, metui debebat ne honores martyrum à Paganis in superstitionis suæ defensionem abriperentur. Constantinus pro Christianismi libertate edictum vulgavit anno cccxi. Mille post annis orta est Domus Ottomanica; quam condidit Othmen Ciliciæ præfectus, qui primam imperii sedem, occupata Bythinia, posuit circa annum 1302. Quoniam vero Ottomani in Asiam, & Græciam Mahumetis invexerunt impietatem, & inde mala innumera & Ecclesiæ & religioni evenerunt; dicitur quod consummatis mille annis solvendus erat satanas, & seducturus gentes terræ, Gog, & Magog. Quo nomine designatas ait Asiam, & Siriam, ubi Domus Ottomanica cœpit primum dominari. De ea consequenter dictum est, quod debebat circuire castra Sanctorum, & civitatem dilectam; quoniam in ejus ditione inclusæ sunt omnes septem Ecclesiæ, quibus conscripta est Apocalypsis; & tenet nedum civitatem Jerusalem, sed & Constantinopolim, quam *novam Sion* appellant Græci. Hanc debellavit, fecitque Imperii Turcici sedem Mahomet II. Ottomanicæ stirpis princeps, anno 1453. Igitur juxta Grotium vere regnum Martyrum mille annorum spatio duravit, quod modo inter eos coarctatum est, qui illorum servant religiosissimum cultum. Ita hæc dicta sunto, ut nullatenus à priori Patrum explicatione sit recedendum. Dignus est tamen mihi visus Grotius, ut illius quoque interpretationem adferrem & propter literalem sensum, cui Catholicorum sententia non omnino repugnat, & propter egregium de cultu Martyrum testimonium; in gratiam solummodo Novatorum, qui hominem pluris faciunt, quàm Romanæ Communionis Interpretes universos.

CAPUT IX.

Sequitur quæstio de præsenti statu Animarum sanctarum.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 9num tam ex Scriptura, & sanctis Patribus, quàm ratione efficaciter probatur, Dei visionem, & gloriam animâbus corporibus exutis nec ad minimum tempus differri, si nullâ conspersæ sint maculâ.
9. Et seqq. varia adversariorum argumenta afferuntur & solvuntur.

De statu animarum Sanctarum. ALTER autem error à Millenariorum fabulis, ut diximus, longe diversus, & quo implicatos novimus nonnullos priorum sæculorum Patres, erat, quem sequenti explodimus assertione.

1. Propositio. PROPOSITIO: Nec ad minimum tempus exutis corporibus animabus Dei visio & gloria differtur, si nulla conspersæ sint macula.

Hanc definitionem Fidei, de qua extat Decretum Benedicti XII. in Extravaganti *Benedictus Deus*, Florentini Concilii Sess. ultim. in Decreto unionis, & Tridentini Sess. xxv. Scripturis, Patribus, ac rationibus comprobamus. Scripturarum quidem momenta sunt. Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Nam dormire ac somnum capere corporalem mortem significat

Probatur 1. animabus sanctis non differri Dei visionem.

ficat passim, sed apud Psalmistam frequentissime, in III. 6. IV. 9. LXXV. 6. &c. Eccles. XI. 28. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Retribuere est bonis, malisve dare quod æquum est. Consonat Ecclesiastico illud vulgatissimum:

Pascitur in vivis livor; post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Probatur ex SS. Scriptura.

Rursus 2. ad Corinth. v. 1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est superindui cupientes*: & v. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Item ad Philipp. I. 23. *Coarctor autem in duobus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos.* Dissolvi animæ de corporeo carcere notat discessum: & græce habetur ἀναλῦσαι, quod proprie est *redire*, nempe ad Deum, de quo Eccles. XII. 7. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Actorum quoque 7. Stephanus *Intendens in cælum vidit gloriam Dei.* Et in divino officio addit Ecclesia: *Vidit & introivit.* Demum in Apocalypsi VII. 9. & 15. dicitur Sanctos amictos stolis albis stare ante thronum, & in conspectu agni; non *procul* sed prope & juxta, quod in Græcis demonstrat propositio Ἐπὶ cum genitivo, quæ etiam idem est ac *super*. Et cap. XIV. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Habet hic Vulgata *Amodo*, Græci, ἀπαρτι, quod valet, *Jam nunc, hoc ipso tempore* requiescunt, quoniam merces illos consequitur. Ita per metonymiam opera & virtutes dicuntur justos persequi, & anteire, quod donetur corona, si merita decedentium præeant. Addunt nonnulli verba Christi ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ea satis ambigua demonstrat Petavius lib. VII. cap. 14. & Juenin. dissert. IV. art. 2. Paradisus equidem generale est nomen, ubi feliciter vivitur; neque hinc definire possumus, ubinam recepta fuerit latronis anima, an in cælis, an in sinu Abraham, an in aliquo alio receptaculo voluptatis. Hoc tamen loco utuntur ad rem nostram eruditi Theologi, Estius, Habert, Tournely, Gotti, Henno, alii. Ego medium incedo iter, & cum Petavio arbitror incertum esse, quo loco statim post mortem latronis anima fuerit recepta, cum aliis puto ex tunc fuisse beatam, & consortem regni, quod petierat dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Cum enim Deus ubique sit, nullum dubium est, quin Paradisi felicitas habeatur, ubicumque se videndum exhibeat. Vide Bellarminum lib. I. De Sanct. Beatitud. cap. 3. & Jansenium, ac Maldonatum in cap. 23. Lucæ. Ex præmissis autem Sanctorum Bibliorum testimoniis argumentatio ista consurgit: Statim ac dormiunt justi, & illorum domus corporea dissolvitur, fiunt præsentes ad Dominum, redeunt ad Creatorem suum, aperjuntur eis cæli, ingrediuntur illuc, consequitur suorum operum merces, & retributio laborum: Hæc omnia Dei visionem, & sempiternam præferunt beatitudinem: Ergo Justorum animæ statim post mortem vident Deum, optatissimamque beatitudinem adipiscuntur.

2. Probatur 2. ex Patribus à primo Sæculo.

Accedit perpetua Sanctorum Patrum traditio. Primo enim Ecclesiæ sæculo, ex quo nullum hæretici pro sua potestate sententia proferre, Hermas antiquissimus Scriptor in vulgatissimo Pastoris Opere, quod ut Canonicum divinumque veteres nonnulli laudarunt, lib. 3. similit. 8. docet omnes, qui pie obeunt, pœnitentibus exceptis, jam in cælis coronari, ut videre potes Tom. I. PP. Apostolic. Cotelerii. Clemens in Epist. ad Corinth. quam sine dubio genuinam scribit & Clericus ad annum LXIX. 6. de Petro ait: *Martyr effectus discessit ad debitum gloriæ locum.* Ignatius, cujus Epistolas editas ab Isacio Vossio omnes recipiunt, & contra Dallæum defendunt Dupin, Alexander, & Armachanus, ad Roman. scribit: *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Sinite me purum lumen haurire, &c.* Occubuit autem Ignatius anno CVII.

3. à 2. Sæculo

Altero quoque sæculo, si Papiam excipias, de quo recole dicta superiori capite, & Justinum, qui hac in parte alternavit, diserte veritatem Catholicam tradiderunt Polycarpus Epist. ad Phil., & Ecclesia ejus Smyrnensis apud Eusebium lib. IV. H. Eccl. cap. 15. ubi de beatissimo Antistite ait: *Per tollerantiam devicto injusto præside, immortalitatis corona recepta, cum omnibus Apostolis omnibusque justis exultans Deum glori-*

glorificat. De Cajo Romanæ Ecclesiæ presbytero dictum est supra. Extat in Apologia Athenagoræ apertissimum hujus traditionis argumentum, videlicet: *Persuasi sumus, nos hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longe meliorem esse victuros, ut apud Deum, & cum ipso simus.* In vetustissimis quoque Act. S. Symphorosæ apud doctissimum Ruinart p. 20. ita Martyr sanctissima de viro suo Getulio, & Amantio fratre compellavit Hadrianum: *Elegerunt enim magis decollari quàm vinci, passi mortem, quæ pro nomine Christi susceptа inter homines terrenos quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter angelos vero decus & gloriam sempiternam: inter quos nunc gradientes & trophæa passionum suarum dantes cum æterno rege vita æterna fruuntur in cælis.* Passa est anno Christi 120. Lucius Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem fudit anno 162. dum ad supplicium duceretur, ait: *Se Urbicio magnam gratiam debere, quippe qui hujusmodi malis Dominis liberatus ad optimum patrem, regemque esset migraturus.* Solus ergo Justinus in hac quæstione fluctuare videtur: sed in Dialogo cum Tryphone fatetur contra se stare multos: *Qui puræ, piæque Christianorum sunt sententiæ.* Ubi contra omnium exemplarium fidem novi Chiliastæ particulam negantem inseruerunt. Enim vero cum quæsisset Trypho, an profiterentur Christiani instauratum iri Jerosolymam, ibique Christianos una cum Judæis ac Proselytis beatam vitam ducturos, *Fassus sum*, inquit, *& prius me & plures alios hoc sentire, quemadmodum etiam vos omnes scitis futurum: sed multos, qui puræ piæque sunt Christianorum sententiæ addicti, hoc non agnoscere tibi significavi.* Neque obstat, quod in priori parte Dialogi nihil tale reperiatur, nam pag. 300. postquam dixit Jesum suscitatum à mortuis, sequuntur verba, quæ cum superioribus minime connexa sunt, & lacunam ibidem docti viri observarunt, etiam Grabius in Spicilegio PP. sæculi II. & Joannes Clericus in Historia duorum sæcul. ad annum CXL. n. XVIII. Nec pariter obest, quæ Justinus subjicit: *Se, & si qui rectæ per omnia sententiæ Christiani sunt, & carnis resurrectionem futuram nosse, & mille annis in instaurata, exornata & aucta Jerusalem pios victuros.* Hic enim invehitur in Gnosticos, qui Christiani vocabantur, sed corporum negabant resurrectionem. Ex quibus colligere juvat & Justinum nimis fuisse liberalem Tryphoni dando Christum venturum, ut regnet in instaurata Jerusalem, & sincere oppositam multorum Christianorum traditionem fateri.

Ex tertio sæculo numerantur à Novatoribus Tertullianus & Irenæus: at Apostolicæ Traditionis assertores habemus Clementem Alexandrinum lib. v. Stromatum, Dionysium Alexandrinum, qui scripsit adversus Irenæum & Nepotem Aegypti Episcopum, Origenem lib. 2. Periarchon, in 6. contra Celsum, & Hom. v. in diversos, Methodium martyrem, & alios, præsertim Beatissimum Cyprianum. Qui in exhortatione martyrii cap. ultimo: *Quanta est*, inquit, *& quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eos statim, ut Deus videatur, & Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas? Terris repente subtraberis, ut in regnis cælestibus reponaris.* Similia repetit in lib. de immortalitate Animæ, & alibi. Hortatur etiam Moysem, & Maximum Epist. xv. alias XXXVII. his verbis: *Beati fatis, qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes jam de sæculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei ad complexum, & osculum Domini, Domino ipso gaudente, venerunt.* Irenæum itaque Millenariorum imbutum errore fatemur cum doctissimo Petavio lib. VII. cap. XIV. Natali Alex. sæculi 2. dissert. VII. aliisque ingenuis Scriptoribus. At Irenæus lib. v. adversus hæreses cap. ult. non diffitetur esse plures, qui Sanctorum animas statim ab hominis morte in cælos recipi contenderent. Neque obstat, quod hi, auctore Irenæo, *Supergrediantur ordinem promotionis justorum*; nec enim hæreticam putat istam esse sententiam, sed in aliquo tantùm cum Gnosticis conspirare, ut supra diximus de Justino. Estius in IV. sentent. Dist. 45. §. 3. laudat pro sententia nostra Irenæum lib. 1. contra hæres. cap. 2. & §. 4. respondet ad ea quæ in contrarium objiciuntur, sed Irenæus satis aperit mentem suam lib. v. cap. 5. ubi affirmat Justorum animas recipi quidem in Paradisum post mortem, sed hunc non alium esse, quam illum, in quo Deus ab initio posuit hominem, quem plasmavit: illuc translatos Justos, illuc Paulum asportatum, ibi susceptam Latronis animam, ibi manere Sanctorum animas usque ad consummationem coauspicantes incorruptelam. Quapropter justos translatos in cœlum revera non existimat Irenæus.

4. à 3. Sæculo.

5. Justinus, ac Tertullianus concordantur.

Possumus tamen hunc, aliosque omnes etiam Justinum, ac Tertullianum, qui tamen libros de Anima scripsit jam Montanista, ad aliquam concordiam cum cæteris revocare. Etenim Patres illi, qui Sanctorum animas ad inferos dicunt descendere, qui recipi in Paradisum terrestrem, qui in loco invisibili quiescere putant, non eas in aliquem pœnarum locum abjiciunt, neque aperte negant apud Deum, qui ubique est, vivere, & æterna gaudia degustare. Quapropter *de statu* dissentire non videntur, tametsi minimè conveniant *de loco*. Hæc conciliaturæ ratio non fugit sapientes viros, ut dicemus infra disputantes de mente Augustini. Hanc nedum amplectitur, sed etiam erudite propugnant Joannes Vossius disput. VI. de statu animarum, quæst. 2. Errat tamen fortasse Vossius, dum scribit idem sentire Calvinum, quod lib. IV. institut. cap. XXV. commate VI. statuat certò animas Deo vivere, & nihil definiendum esse de loco. Nam lib. III. ejusdem Operis cap. XXV. pag. 365. Calvinus ait: *Stultum ac temerarium esse inquirere, quo in loco sint animæ justorum, & an gloria fruantur, nec ne. Interea cum scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriæ coronam eo usque differat, contenti simus his finibus divinitus nobis præscriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem consedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant.* Ergo Calvinus non ita credit Justorum animas vivere, ut Dei visionem, & gaudia sempiterna possideant. Porro, si animabus Sanctorum adversarii gloriosam concederent beatitudinem; *Non essemus*, inquit Bellarminus lib. I. de Beatit. SS. c. 6. *multum solliciti de Cælo illo corporeo.* Sed redeo ad institutum.

6. à 4. Sæculo.

A quarto sæculo, si Lactantium exceperis virum quidem Grammaticum ac Rhetorem eloquentissimum, non autem Theologicis doctrinis valde eruditum, ejusque generis pauciissimos; omnes in hanc nostram positionem conspiraverunt. Docet id Athanasius, qui in vita Antonii narrat Ammonis Monachi animam visam in Cœlum deferri. D. Basilius orat. de Gordio Martyre; *Erat enim affectus*, inquit, *non ut qui in lictoris manus deventurus esset, sed velut Angelorum manibus se ipsum commissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent.* Lege & orat. in 40. Martyres, & de laudibus Julithæ. Gregorius Nyssenus orat. funebri in Pulcheriam filiolam Theodosii: *Si à te*, ait, *puella migravit, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clausit: verum sempiterno lumini aperuit. A tua mensa discessit, sed ad Angelicam adjuncta est. Hinc est avulsa planta: verum in Paradiso consita est. Purpuræ florem exuit: at cælestis regni amictum induit.* Vide & orationem 2. in XL. Martyres. Nazianzenus pariter orat. XX. precatur Basilium, ut sese post obitum excipiat, & simul Beatam Trinitatem valeant contemplari. Clarius Sanctorum beatitatem indicat XI. orat. in Gorgoniam sororem suam, & in X. quam scripsit in fratrem Cæsarium. Chrysostomus in posteriorem Epistolam ad Corinth. ait: *Beati, & ter Beati qui illis bonis fruuntur, &c.* & in orat. de S. Philogonio: *Hinc abiens, & Civitatem suam relinquens, in alteram, quæ est Dei, Civitatem ascendit, & hanc Ecclesiam deserens in illam conscriptus est: quæ est primogenitorum descriptorum in Cælis, & festis istis relictis ad celebrem Angelorum conventum translatus est.* Prætermitto S. Ephrem, Hieronymum lib. contra Vigilantium, & Epist. ad Marcellum, Cyrillum Alexandrinum in lib. ad Reginas, Monologium Græcorum, hymnos Prudentii, & quotquot in Thesauro Cocci, & apud Controversiarum Fidei Tractatores, collectos invenias.

7. Probatur ex communi observatione Ecclesiæ.

Jam vero ex dictis istud promitur argumentum. Illud certa fide tenendum est, ut commonet Vincentius Lirinensis n. 2. & Aug. lib. 2. de Baptismo cap. 7. quod per universam custoditur Ecclesiam, & semper, ubique, & ab omnibus traditum est; quamquam unus, vel alter extiterit aut imperitus, aut ingenii pertenuis, aut imbutus erroribus, qui in adversantem sententiam declinaverit, & maximè, si & hic doctrinam oppositam puram & catholicam fateatur. At ab exordio nascentis Ecclesiæ ad hæc tempora omnes Ecclesiæ Patres tradiderunt, Beatorum animas Deo vivere, & Majestatis divinæ lumine colustrari, & qui ejusmodi traditioni adversantur, judicio præclarissimorum virorum, sive homines exigui ingenii fuerunt, ut Papias; sive sola profana eruditione, & literarum cultura celebres, ut Lactantius; sive nullatenus ausi sunt opinioni detrahere contrariorum, ut Justinus & Irenæus: Ergo quod animæ justorum certamine expleto coronatæ perpetua felicitate triumphent, erit certa, inconcussa, & firmissima fide tenendum.

Deni-

8. Probatur ultimò ratione.

Denique probatur ratione. Ac primò: Impiorum animæ post mortem ad inferna descendunt, ibique maxima torquentur pœna; id enim catholica tenet fides, & probat exemplum divitis Evangelici Lucæ XVI. Atqui Deus non minus ad puniendum, quam ad præmiandum pronus est, imo misericordia ejus superexaltat judicium, tantumque reddendæ mercedis suamet obstringitur lege, ut Joelis ultimo dicat: *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis.* Si ergo statim post mortem punit, statim post mortem reddit proculdubio coronam. Deinde: Pium ac sanctum desiderium quod à superna charitate excitatur, & indies augetur exercitamento virtutum, non est dicendum inane, & à proprio fine alienum. Tale desiderium habent justi, dum vivunt, ut coronam immarcescibilis gloriæ percipiant, dicentes cum Apostolo 1. ad Philipp. *Desiderium habemus dissolvi, & esse cum Christo,* atque ab hac lacrymarum valle in cœlestem Jerusalem transferri ardentissimè cupiant. Ergo inane ac frustraneum credendum non est desiderium hujusmodi. Postremo si ad extremum Judicium singulis reservetur corona, quænam erit melior conditio Fidelium post Christum passum, præ veteribus Patribus, qui in sinu Abraham usque ad redemptionis tempora detinebantur? Quid præstitit his descensus Christi, si de tenebris, ubi tanquam in refrigerii loco morabantur, eos non evocavit ad lucem? Cur olim expetebatur temporum plenitudo, ut Deus servili indutus conditione plebis suæ relaxaret facinora, cælestis Jerusalem construeret ædificia? Quare post Christi mortem, Martyrum obitus natalis dies appellatur, solemnique ritu, precibus, hymnis, & universæ Ecclesiæ colitur plausu, & lætitia? Verum hæc non est opus longa oratione suadere.

Satisfit adversantis sententiæ argumentis.

9. Objectio 1.

His argumentis adversarii ducuntur. 1. Matth. xx. v. 8. legitur: *Cum sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.* Ergo sub vesperam, id est, in fine mundi, merces unicuique tribuitur.

Solutio

Communis responsio est, per ea verba, *Cum sero esset,* non finem mundi, sed terminum vitæ designari, vel si ad extrema mundi referantur, accipienda esse de beatitudine completa, & corporum simul & animæ glorificatione. Possumus tamen parabolam non incongrue intelligere de Ecclesia, quam vineam & regnum Dei vocari supra monui. Ad Ecclesiam suam quosdam vocavit Deus primo mane, idest ab exordio mundi per legem naturæ: quosdam circa horam tertiam, & media mundi ætate per legem Moysis; quosdam denique *Cum sero esset,* & finis legis, captivitatis, & culpæ, per legem Evangelicam. Hinc de primis ac secundis dicitur quod *Convenit ex denario diurno,* & præstitutam mercedem spopondit: quoniam sub dispensatione fœderis Sinaitici merces proposita erat definita, ac sensibus obvia, nempe naturalium bonorum affluentia, longæva vita, & terræ Chanaan possessio. Nil tale dictum ultimis: quoniam merces in lege Evangelica repromissa talis est, quam nec oculus vidit, nec auris audivit. Qui primi hanc amplexi sunt, fuerunt Gentiles, legi Moysis non addicti, neque ullam habentes repromissionem; ideoque responderunt Patrifamilias: *Nemo nos conduxit.* Neque inusitatum est comparationibus hujus generis vocationem gentium, & regnum Dei designari. Hæc mea sententia est. Propterea nego consequentiam. Scopus enim parabolæ est, Gentiles ultimo ad fidem, & Ecclesiam adscitos, non minorem accepturos mercedem, quàm Judæi, qui Deo cultum exhibuerunt sub servitute legis, & in eorum comparatione portaverunt *Pondus diei & æstus.* Atque hæc merces dicitur rependi sub vesperam, quia neque vigente priori lege, neque durante Mosaica, sed tantum in postrema, idest, post institutionem Evangelii, reseratum fuit cælum. Posset quoque parabola interpretari de variis justorum generibus: quorum aliqui ab ineunte ætate Deo servierunt, aliqui in vitæ decursu severius vitæ amplexi sunt institutum, aliqui jam senio confecti resipiscentes prioris vitæ rationem deplorant: qui tamen si in pari charitatis perfectione decedant, singuli denarium, idemque præmium à Deo remuneratore recipient.

10. Objectio 2.

Alter locus promitur ex eodem Matth. cap. XXV. v. 34. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Ergo electi ante Judicis adventum Regnum non possident.

Solutio.

Sed hæc verba non animabus separatis, sed in corpore viventibus dicentur: unde distinguo cons. Regnum non

possident degentes in corpore, & completa beatitudine concedo: glorioſi anima ſola, & nondum conſummata felicitate, nego. Neque alium eſſe Evangelicorum verborum ſenſum conſtat ex ſequentibus. Impii enim proculdubio cruciantur in gehenna, & tamen reſuſcitatis dicetur: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

11. Objectio 3. Tertio objicitur celebre teſtimonium Pauli ad Hebræos XI. 39. ubi de Sanctis veteris legis ait: *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Duo ibi affirmat Apoſtolus, unum, veteres Patriarchas non habuiſſe repromiſſionem; alterum, non eſſe felicitate ſempiterna donandos ſine nobis. Omnes ergo uno, eodemque tempore debent Juſti in cæleſtem patriam aſſumi.

Solutio. Reſpondeo Paulum ibidem commendare virtutem fidei, & veterum Sanctorum exemplo nos ad patientiam hortari. Veterum autem Patriarcharum duas veluti claſſes diſtinguit, unam eorum qui, ut ait v. 33. *Adepti ſunt repromiſſionem*, aliam illorum, qui ut ſcribit v. 39. *Repromiſſionem non acceperunt.* Qui repromiſſionem adepti ſunt, ut ibidem ait Apoſtolus, ſunt Gedeon, David, Samuel, Barac, Jephte, Samſon, & Prophetæ. Qui repromiſſionem non acceperunt, ſunt omnes teſtimonio fidei probati, quos memoraverat, Abel, Henoch, Noe, Abraham, Jacob, Joſeph, Moyſes, aliique experti ludibria, verbera, vincula, & carceres. Ex tanta ergo nube teſtium, ideſt qui ſperandarum ſubſtantiarum nobis exhibuerunt promiſſionem, hortatur Paulus, ut nos per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Nego itaque conſequentiam, non enim Apoſtolus per repromiſſionem intelligit cæleſtem gloriam, ſed ſolum poſſeſſionem terræ Chanaan, primis quidem Patriarchis repromiſſam, ſed datam eorum poſteris. Alias ſi repromiſſionis nomine intelligit gloriam conferendam poſt diem judicii, quare de Davide, Samuele, ceterisque habitatoribus Chanaan, dixit, *Adepti ſunt repromiſſiones?* At inquit Paulus, *Ne ſine nobis conſummarentur.* Utique non fuerunt ſine nobis, & ante Chriſti redemptionem participes æternorum bonorum, pro quibus fide certarunt, & non erunt ſine nobis, & ante Chriſti judicium donandi immortalitate corporis, pro qua lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt. Recte iccirco ait S. Paulus: *Deo pro nobis melius aliquid providente*: non ſolum more humano, & quia cenſentur honoratiores qui expectantur, quam qui expectant, veluti in conviviis, ut exponit Chryſoſtomus; verum etiam quia ad tolerantiam paſſionum præter fidem & rerum ſperandarum ſubſtantiam, datum eſt nobis exemplum Chriſti, uberior gratia, neque oportet ut alios expectemus ad habendam repromiſſionem, quemadmodum Patriarchæ nos expectarunt. Alioquin ſi in novo quoque teſtamento expectanda eſt retributio, quomodo verum erit, nobis melius Deum providiſſe? Si objicias verba Apoſtoli dicentis ibidem v. 16. *Nunc autem meliorem appetunt*, id eſt cæleſtem, *patriam*; dico particulam *nunc* referri ad tempus, quo vivebant in terra, & tenere locum adverſativæ; vel illativæ, ut animadvertunt Theologi: quorum reſponſionem confirmant verba præcedentia: *Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Nunc* oppoſitionis eſt ſupra cap. IX. v. 26. & præſens pro præterito, hoc eodem capite v. 14. & 16. quorum collatione ſenſus Apoſtoli ſatis redditur manifeſtus.

12. Oppoſitio 4. Opp. 4. In 2. ad Timoth. IV. 8. ait Apoſtolus: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.* Corona juſtitiæ eſt gloria cælorum: Ergo cælorum gloria confertur tantum in die illa, ideſt, in die judicii finalis.

Soluſio. Quidam reſpondent diem illam, de qua Apoſtolus, eſſe diem reſolutionis corporis, ac mortis, quam inſtare ac prope eſſe, ait ibidem v. 6. Sed quia *illam diem* ubique Apoſtolus appellat diem judicii, ut in hac eadem Epiſt. cap. I. v. 12. *Potens eſt depoſitum meum ſervare*, ideſt corpus cuſtodire, *in illum diem*, & 2. ad Theſſalon. cap. I. v. 10. ideo reſpondeo, Coronæ vocabulo perfectam beatitudinem corporis & animæ ſignificari, & ſolemnem publicam aſſumptionem. Sic dicimus potitos regno, nondum tamen corona circumdatos, qui tametſi vere principantur, non referunt ſpectante univerſo ſenatu, ac plaudente populo, regium diadema.

13. Objectio 5. Rurſus objiciunt. In 1. ad Corinth. cap. XV. 16. hæc leguntur: *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris; Ergo & qui dormierunt in Chriſto perierunt.* Rejicienda eſt igitur

tur ad resurrectionis tempus omnis fides nostra, omnis spes.

Solutio. At futilis sane illatio. Apostoli, ut evincerent verum esse Christi dogma, hoc præcipue usi sunt argumento, quod si falsa docuisset, non resurrexisset à mortuis. Hinc prædicta omnia consectaria necesse est evenire: Si non resurrexit, falsa nos docuit: si falsa nos docuit, falsa est fides nostra: si falsa fides nostra, nondum à peccatis redempti sumus: si nondum à peccatis redempti sumus & fallax est fides nostra, perierunt qui dormierunt in Christo, uti Stephanus qui causa Evangelii lapidibus obrutus est. Econtra si Christus resurrexit, & veram fidem nos docuit; certissima spes manet, ut per ipsum justificati resurgamus & nos, & seminato corpore animali resurgat corpus spiritale, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Patens est sola lectione Paulinæ Epistolæ sensus.

14. Objectio 6. Arguitur 6. 1. Joannis III. v. 2. legitur *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Non ergo videtur, antequam appareat, & veniat judicaturus vivos ac mortuos.

Solutio. Duplex est horum verborum significatio. Prima literalis ac plana: Nondum apparuit quod erimus, id est, quomodo futuri sumus in meliore illo sæculo, cujus in eo, qui sanctificat nos, spem habemus. Sed si apparuerit, tunc erit, quando similes ei erimus non sanctitate tantum, sed & beatitudinis æternitate. Juxta hunc sensum nego consequentiam; quandoquidem ea verba *Cum apparuerit* referenda sunt ad præcedentia, *Nondum apparuit quid erimus:* & de Christi adventu nec verbum quidem hoc loco. Altera est, *Cum apparuerit Christus*, & hac explicatione admissa, dico quod similes ei erimus corpore & anima, juxta similitudinem Christi Capitis nostri. Ut enim docet S. P. Augustinus in Epist. ad Dioscorum, & norunt Theologi omnes, ex visione beatifica etiam in corpora Sanctorum gloria immortalitatis splendorisque redundat. Prior responsio etiam quorumdam Sectariorum sensu probatur, ut constat ex Criticis Sacris in hunc textum, præsertim ex Commentariis Hugonis Grotii.

15. Objectio 7. Præterea ita argutantur. Apocalypseos VI. 9. hæc occurrunt: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*: & v. 10. *Clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra.* Quis autem dixerit animas subtus altare positas & judicium ac vindictam postulantes sempiterna perfrui beatitudine?

Solutio. Verum nil juvat Heterodoxos liber Apocalypsis, in quo cap. sequenti v. 15. dicitur hujusmodi animas stare ante thronum Dei; & hoc eodem loco, qui objectatur v. 11. additur, *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, &c.* Nonnulli vetustissimi Codices habent: Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ στολὴ λευκὴ *Et data est illis singulis stola una*, id est, ut Bernardus interpretatur, gloria animæ. Nomine igitur altaris intelligenda est humanitas Christi: & quia Sanctorum animæ nondum resumptis corporibus sunt infra conditionem glorioſi corporis Christi, ideo dicuntur esse subtus altare. Quod si ibidem clamant voce magna, non ergo dormiunt, neque veluti alto sopore pressæ jacent usque ad extremum judicium. Istud vero expetere dicuntur, & quia magnum habent resumendi corpora desiderium, & quia Divinæ voluntati conformes non solum charitate flagrant, sed etiam zelo justitiæ. Ne valida videatur hæreticorum argumentatio, pauca addam. Utitur Joannes juxta consuetudinem scripturarum rerum sensibilium exemplo. Cælum assimilari templo neminem latet, cum de cælesti Jerusalem eodem libro cap. XXI. 22. scriptum sit: *Dominus Deus omnipotens templum illius est*: & cap. XI. 19. *Et apertum est templum Dei in cælo.* Ita victimæ respondent Justis ac Martyribus, dicente Paulo ad Philipp. 2. 17. *Immolor supra sacrificium*, & 2. ad Timoth. IV. 6. *Ego enim jam delibor.* Ergo hunc arbitror habere sensum Apocalypsim. Quemadmodum victimarum sanguis ad limen fundebatur altaris, non extra, sed intra templum, ut in conspectu Sanctuarii Sacrificium præstitum exhiberetur; ita mactatæ pro Christo animæ ad ejus pedes procumbunt non extra cardines cæli, sed intra; habentes testimonium Dei, & caracterem martyrii sui, quod præstat Deo sacrificium laudis, & æquitatem poscit vindictæ.

16. Objectio 8. Insurgunt 8. In II. Machab. cap. XII. 44. habetur: *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Ergo nisi sit Resurrectio, nullum defunctorum animæ habebunt levamen, nullam felicitatem.

Solutio. Resp. dist. consequens: non habebunt felicitatem, nisi sit resurrectio prima,

qua solvantur à peccatis, & donec consummentur dies sæculi regnent cum Christo, conc. Nisi sit resurrectio secunda, qua resumptis corporibus judicentur; subdistinguo, non habebunt felicitatem plenissimam, ac stolam duplicem, concedo: felicitatem animæ, ac stolam unam, nego. Resurrectionem quam frequenter sumi pro migratione ad æternam vitam, etiam Drusius in xx. Lucæ 36. & Glassius Tract. de Synedoche generis ostenderunt. De qua resurrectione dixi in Resp. ad ult. præcedentis: & de ea Apost. 1. ad Corinth. 15. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus, si resurrectio non est.* Lucas cit. loco: *Filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis;* & Psal. 1. *Non resurgent impii in judicio.* De hac igitur resurrectione, quæ est spei nostræ objectum, sermo fit in libro Machab., ubi consulto dictum est: *Nisi resurrecturos speraret;* Resurrectio namque corporalis potius creditur, quàm speratur: neque de ea oramus pro mortuis; nec omnibus, qui surgent è monumentis, salubres sunt nostræ oblationes ac preces.

17. Objectio 9. Opp. 9. In pluribus Liturgiis Jacobi, Basilii, Cyrilli, aliisque Græcorum ac Syrorum fiunt supplicationes pro Sanctis, ut eos beata retributio comitetur, ut illis sacrificia prosint ad gloriam, ut ipsorum animabus donetur requies. Similia recitavit olim Romana Ecclesia in Festo S. Leonis, ut habetur in Extravaganti de Celebrat. Missarum c. *Cum Marthæ*, & in Festo S. Marcelli, ut constat ex Sacramentario Gelasii. Plura etiamnum extant id genus in Missali Romano, ut in Secreta S. Leonis, quæ non fuit cum priore Oratione immutata. Quotidie etiam in Canone Missæ deprecamur, ut omnibus in Christo quiescentibus, & dormientibus in somno pacis detur locus lucis ac refrigerii. Non ergo gloria & beatitudine modo fruuntur, quamvis in pace dormiant, electi.

Solutio. Resp. in his, aliisque Liturgiis peti gloriam accidentalem, nempe majorem in Ecclesia cultum, nominis exaltationem, rerum gestarum præconia, imitationemque virtutum. Est enim gloria, ut eam definit Augustinus, frequens de aliquo fama cum laude: & jure vocant Græci Δόξαν, quasi existimationem & opinionem, à δοκέω, quod est, *videor, puto.* Hinc de manifestatione sui nominis ait Christus Joan. xvii. 5. *Clarifica me tu Pater.* Istam ergo claritatem, istam frequentem laudem, istam gloriam Martyribus deprecamur: imo & beatissimæ Trinitati dicimus: *Gloria tibi Trinitas*, id est, Gloria laudis. Deprecamur & aliquando Sanctis requiem, dum indiscriminatim pro omnibus vita functis oramus, cum in horum complexu sint animæ Purgatorii. Clarissimum inter alia occurrit exemplum orationis Villelmi Abbatis, qui pro Divo Parente Augustino, quem inter Cælites venerabatur, & indiscriminatim pro illius genitoribus Patricio, & Monica ita precabatur: *Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, & famulæ tuæ Monicæ; & si quid pro Anima filii ipsorum Domini mei Augustini Confessoris tui mihi misero peccatori licet vel intimo cordis affectu desiderare.* De qua PP. Ben. in notis ad lib. ix. Confess. Aug. cap. 13. Si vero etiam Sanctis precatur Ecclesia requiem, (quæ orationis forma jam pene exolevit) petit gloriam corporis, cujus resurrectionem animæ separatæ ita vehementer expetunt, ut non omnino quiescant: quod proximo capite declarabo.

Opp. 10. Hilarius Pictaviensis in Ps. 120. scribit *Justorum animas in sinu Abrahæ locari & nondum recipi in regno Dei*, & in Ps. 130. *Humanæ lex necessitatis est*, inquit, *ut sepultis corporibus animæ ad inferos descendant.* Et Chrysostomus Hom. 39. in priorem Epistolam ad Corinth. *Sine carne*, ait, *anima admirandis illis bonis non fruetur.* Ergo dogma, quod propugnamus, Ecclesiæ Patribus adversatur. 18. Objectio 10.

Resp. nego consequentiam. Et quod spectat ad Hilarium, ipse aperte distinguit regnum Christi à regno Dei, illud in quo animæ permanent usque ad sæculi consummationem; istud vero in quo mors omnino perimitur, quod fiet per gloriosam resurrectionem, & corporum claritatem. At gloriam & visionem Dei à Regno Christi nequaquam sejungit, neque sinum Abrahæ separat à superna Jerusalem: sed in Psalm. 65. *Martyres*, inquit, *in cœlestis domicilii habitaculum introierunt.* Commentario in Psalm. 130. loqui Hilarium de Sanctis veteris Testamenti arbitratur Juenin; sed alii melius respondent, Hilarium existimasse, quod quisquis moritur, exemplo Christi debet ad inferos descendere, & ea loca lustrare, quæ Christus consummationem veri hominis non recusans dignatus est visitare. Quod & docuit lib. de Anima cap. xv. Tertullianus. At illic animas detineri Hilarius non credidit, sed aperte affirmavit in Psalmum 141. *Transire in cœlestem Hierusalem, in terram viventium, in Paradisi incolatum, in regnum hæreditatis.* Solutio.

Ad

Ad auctoritatem vero Chrysostomi, constat illum negare gloriam animarum in hypothesi quod corpora non resurgant, non quia sine corpore Anima coronari non possit; sed, quia si una pars æterna mercede frustretur, consequenter incoronata jacebit etiam altera: quo sensu ait Apostolus 1. ad Corinth. xv. *Nam si mortui non resurgunt, vana est fides nostra.* Lege in hunc locum Apostoli Theophilactum, & de mente Chrysostomi vide Velloxillum in Advert. Sixtum Senensem in VI. Biblioth. an. 264. Petavium lib. VII. cap. XIII. num. IV. & Estium in IV. sent. dist. 45. §. 6. &c.

19. Objectio ultima. Opp. ultimo: Anima sine corpore non meretur; Ergo sine corpore non coronatur.

Solutio. Resp. nego ant. quippe non omnia bona opera exercentur per corpus, sed plura sola animi cogitatione, & voluntate. Præterea anima meriti causa princeps est, & corpus instrumentalis. Ad hæc, anima separata à corpore felicitatis capax est; corpus anima expers, nequaquam. Rursus: necesse est, ut corpus in pulverem comminutum putrescat, & in eo culpæ originalis pœna impleatur; quemadmodum eamdem pœnam experta est anima in ergastulo carnis. Quæ objiciuntur de Animabus veterum Patriarcharum, & de ipso Christo, qui statim post mortem non ascendit in cœlum; quum illis expectandus esset Redemptoris adventus, is vero pro Fidei confirmatione aliquandiu in terris fuerit commoratus, non opus est, contra protervos ac repugnantes minutissime repellamus.

CAPUT X.

Quid senserint Ambrosius, Augustinus, ac Bernardus de præsenti Animarum Sanctarum statu?

SUMMARIUM.

1. 2. Duo notanda pro genuino horum Patrum sensu capessendo.
3. Catholico dogmati de animarum beatitudine non adversatur S. Ambrosius.
4. 5. 6. 7. Solvuntur objectiones ex D. Ambrosio desumptæ.
8. 9. Quòd S. Augustinus fluctuet de secretis receptaculis animarum, est summæ ejus perspicacitatis indicium.
10. Verumtamen de gloria, & felicitate earum non dubitat.
11. 12. Solvuntur objectiones.
13. Immeritò carpitur à Durando S. Bernardus; nam neque is à catholico recedit dogmate.
14. Et seqq. Satisfit objectionibus.

Sententia SS. Ambrosii, Augustini, ac Bernardi de sanctarum animarum statu.

IN tertia hujus controversiæ parte pollicitus sum, me demonstraturum, quid fuerint opinati Ecclesiæ præclarissimi Patres Ambrosius, Augustinus, & Bernardus, quorum data opera superiori capite non memini, ut id exequerer diligentius. Ambrosius quidem in lib. de Bono mortis animarum memorat nescio quæ *promptuaria*, ubi novissimum putat eas expectare judicium. Quem librum scriptum, ut traditur anno 387., difficulter conciliari cum dogmate Catholico, si crude, & ad literam legatur, ait Tournely tom. 1. pag. 293. Contra optimæ notæ, refertum sententiis utilibus & solidis, necnon ratiociniis certis, reique convenientissimis, inquit lib. 2. Bibl. Dupinius. At Augustinus olim & ante Episcopatum se Millenariis consensisse, fatetur lib. de civit. Dei cap. VII., ex qua tamen confessione apparet se priorem abjecisse sententiam. Commemorat tamen sæpesæpius animarum secreta receptacula, quæ ubi consistant, dubius huc, illucque trahitur. Loquitur de iis in Ench. ad Laur. cap. 109. XII. de civitate Dei cap. 9. in XII. de Genes. ad lit. & alibi. De Bernardo ait Durandus haud recte Joannis Apocalypsin intelligentia assecutum.

Duo notanda sunt pro genuino horum PP. sensu capessendo. Primum, quæstionem de statu animarum discrepare à quæst. de loco: unde Vives comment. in lib. XII. de civit. Dei cap. 9. *Non dubitat*, inquit, *de earum gloria etiam ante judicium, sed de loco gloriæ. Nam ubique possunt beatæ esse, cum ubique sit Deus, cujus fruitione fiunt beatæ.* Persuasum equidem nobis est Beatorum animas in cœlos recipi, quod jam constat ex Lugdunensi Concilio II. in profess. Fidei, ex Trid. sess. 25., ex pluribus fidei formulis, ex Bullis Canonizationis Sanctorum, ex communibus Ecclesiæ precibus, ex universorum Fidelium sensu; sed nondum accedente tanto lumine, prudentissime dicebantur versari Justorum animæ in abditis receptaculis, propter

1. Notandum.

pter ambiguam, & tunc valde fluctuantem de loco animarum opinionem.

2. Notandum 2. Alterum notatione dignum est, quod animæ plene purgatæ, quamquam Deum vident, non tamen totò impetu, & nulla alia inclinatione affectæ illum intuentur. Sunt enim natura sua formæ corporum, & mediam stationem tenentes superne reguntur à Deo, inferne materiam regunt; & si alterutro fraudentur, ægrescunt quodammodo & languent. Sollicitat ergo eas naturale desiderium suorum corporum: idque penitissima ipsarum natura petit, & æquitatis judicium. *Quo appetitu* (ait magnus Augustinus lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 35.) *retardatur quodammodo anima, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* Plura illic ad hanc rem illustrandam proloquitur S. Pater. His adnotationibus totà conflictatio sedari potest. Sit igitur

3. Propositio. Propositio I. Catholico dogmati de Animarum Beatitudine non adversatur Sanctissimus Mediolanensium Antistes.

Probatur S. Ambrosium non adversari catholico dogmati. Ipse enim lib. x. in Lucam ait: *Unde te evocem, Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? unde te, inquam, evocem? De cœlo, ubi jam choro insertus es Angelorum.* Epist. 54. de SS. Gervasio, & Protasio: *Quorum anima in cœlo, corpus in terra.* Epist. 59. Thessalon. *Acholius superiorum incola, possessor civitatis æternæ, illius Jerusalem, quæ in cœlo est, videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia jamdudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem.* In ipso libro de Bono mortis cap. XI. *Hanc remunerationem*, inquid, *habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem.* Atque hunc librum absolvit sic fideles hortando, ut impavidi mortem subeant: *Intrepide pergamus ad Redemptorem nostrum Jesum, intrepide ad Patriarcharum Concilium, intrepide ad Abraham patrem nostrum, cum dies advenerit, proficiscamur. Sed nunc Pater etiam atque etiam extende ad suscipiendum hinc pauperem manus tuas, aperi gremium tuum, expande sinus tuos, ut plures suscipias, quia plurimi in Deum crediderunt. Ibimus eo, ubi servulis suis Dominus Jesus mansiones paravit. Sequimur te, Domine Jesu, sed ut sequamur accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides, præmium. Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. Pande illud tuum bonum, quod videre desiderabat David. Demonstra nobis illud bonum, quod est simile sui, semper indissolubile atque immutabile, in quo sinus æterni.* Ambrosius ergo censet Justorum animas corpore solutas assumi in cœlos, videre facie ad faciem pulchritudinem cœlestis Jerusalem, eisque lumen sempiternum splendescere: Qui id sentit non anceps est de præsenti gloria Sanctorum: Ergo jam nunc justos gloria circumdatos tradidit beatus Ambrosius.

4. Oppositio 1. Opp. 1. Ambrosius in lib. de Bono mortis cap. x. affirmat Justorum animas receptas esse in quibusdam promptuariis, ibique expectare extremum judicii diem, ut coronentur.

Responsio. Resp. Ambrosium per hæc Promptuaria designare diversas mansiones, quæ sunt in domo Patris, & per coronam consummatam beatitudinem, cujus propter inditam inclinationem ad corpus animæ afficiuntur desiderio: nam in eodem libro Justorum animas sublime ad Deum evolare pluries repetit, ut constat ex dictis.

5. Oppositio 2. Opp. 2. Eodem lib. cap. x. commendat illorum sententiam, qui tenebant Justorum animas ad inferna descendere citans IV. librum Esdræ cap. 7.

Responsio. Respondeo cum Estio eam commendare ut veram pro eo tempore quo dicta fuit, id est ante Christi mortem ac Redemptionem; nam infra, ut vidimus, diserte significat rapi electorum animas in superiora habitacula. Quamvis & extra cœlum possent frui gloria, ut dixi in 1. adnotatione. Vide etiam quæ dixi Capit. præcedenti ad x. de sententia aliquorum Patrum, quod omnes animæ debeant exemplo Christi descendere ad Inferos. Quare demum non possumus hæc explicare de Animabus non plene purgatis?

6. Oppositio 3. Opp. 3. Ibidem Ambrosius cap. XI. statuit septem ordines lætitiæ Animarum Sanctarum, quorum nullus Dei visionem complectitur: imo ait animas gloriam suam prævidere, & sine trepidatione ad vultum Dei festinare.

Responsio. Resp. falsum esse, quod à prædictis septem ordinibus Ambrosius Dei visionem excludat; ait namque: *Quintus ordo exultationis uberrimæ habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis corporis carcere in lucem libertatemque pervenerint, & repromissam sibi possideant hæreditatem.* Et infra eodem cap. num. 49. *Hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei.* Prævident ergo glo-

gloriam consummatam, in qua Deum impetu intuebuntur vehementiori.

7. Oppositio ultima

Opp. ult. In 2. de Abel & Cain cap. 2. *Solvitur*, inquit, *corpore anima; & post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri ambigua suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur.*

Responsio.

Resp. Ubicunque sit anima, ante Judicii diem in ambiguo suspenditur. Dum solvitur corpore, antequam perveniat ad locum tormentorum aut gloriæ, angitur trepidatione animi, & expectatione sententiæ. Quæ in Purgatorio, non sunt quidem de certitudine salutis sollicitæ, at sunt tamen de duratione pœnarum. Regnantes in cœlis expetunt duplici stola vestiri, & pendent adhuc ab extrema die: de qua Matth. xxiv. 36. *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum.*

8. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Quod Augustinus fluctuet de secretis Receptaculis Animarum, est summæ ejus perspicacitatis indicium; verumtamen de gloria & felicitate non dubitat.

Probatur 1. fluctuationem Augustini esse perspicacitatis indicium.

Ante Augustini tempora de loco Animarum non explorata erat traditio. Quidam asserebant tam pios, quam impios εἰς ᾅδην in infernum descendere, ut fuse docent Irenæus lib. v. capite ult. Tertullianus de Anima cap. lv. & Origenes non uno loco. Nomen autem inferni ambiguum erat; nam aliquando accipiebatur prout solis convenit damnatis: & aliquando pro recondito loco, in quem mortuorum animæ inferuntur, vel à quo extrahuntur, sive pœnarum sit, sive quietis. Hoc secundo sensu Patres illi loquebantur; quietem enim dabant justis, impiis supplicium. De situ quoque inferni plerosque dissentire, auctor est in cap. xxiv. Matthæi B. Chrysostomus. In sinu Abraham piorum animas requiescere plurimi asseruerunt. Ambrosius caute illarum mansiones appellavit, ut vidimus, promptuaria, & observatione altera in Mich. videtur paradisum à cœlorum regno distinguere. Hieronymus & Cyprianus docent justos cœlestem inhabitare Jerusalem. Jam priorem propositionis partem sic probo: Nondum explorata Traditione de situ animarum, cautus est ac summe perspicax, qui asserit eas versari in abditis receptaculis, aut in sinu Abraham, aut in secreto Patris, aut in Paradiso, neque audet definire ubi sint ejusmodi habitacula: At ætate Augustini certi nihil compertum erat, in quo definito loco Justorum animæ consisterent: Ergo rectissimum jure meritoque visum est Augustino illas in secretis receptaculis collocare.

9. Confirmatur.

Constantior tamen est S. Pater in illorum opinione, qui Justorum animas statim à morte in cœlos recipi contendebant. Etenim lib. xx. de civitate Dei cap. 15. pro certo habet non descendere ad inferos, neque una cum impiis detineri custodia, ut crediderunt Novatianus de Trinit. capit. 1. & Lactantius lib. vii. cap. xxi. Et lib. 2. quæst. Evangelicarum cap. 28. in Psal. 119. & lib. iv. contra Julianum cap. 3. sinum Abrahæ, requiem Animarum, & regnum cœlorum indiscriminatim pro una, eademque re usurpat. Unde aliqui putant cum Estio in iv. dist. 45. §. neque S. Patrem ancipitem fuisse de loco, ac diversis vocabulis unum designasse habitaculum, in quo interim videtur Deus, sed nondum perfecto gaudio propter inclinationem animæ ad corpus.

10. Probatur 2. Augustinum de gloria & felicitate non dubitare.

Pars altera propositionis ostenditur primo, quoniam S. P. redarguens commentum Pelagianorum, qui asserebant parvulos sine baptismo morientes æternam vitam consequi, sed non regnum cœlorum, utrumque illos adipisci si post baptismum decedant, utroque privari si fungantur vita non baptizati, constantissime docet lib. iv. contra Julian. cap. viii. serm. xiv. de Verbis Apostoli cap. 3. & in 1. de Prædest. SS. cap. 13. Regnum autem cælorum & vita æterna per Augustinum nihil est aliud, quam Deum videre, ut constat ex Tract. 21. in Joannem. Ergo animæ solutæ corporibus, nullique obnoxiæ peccato per Augustinum vita æterna, cœlorum regno, & Dei visione fruuntur. Præterea libro 9. Confess. cap. vii. de Nebridio ait: *Et nunc ille vivit in sinu Abrahæ, quidquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit . . . . Jam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem suum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua felix.* Tractatu item 124. in Joan. hunc discipulum, quem Jesus præ cæteris diligebat, non in sepulchro dormire scribit, ut quidam falso opinabantur, sed onere solutum corporis ad summam perfectamque perveniisse felicitatem, de qua Apost. Paulus ajebat, *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Lege & librum xii. de Genes. ad lit. capite 34. in Psalm. 119. & xx. de civit. Dei cap. 7. Laudant aliqui librum Meditat. cap. 22., sed an sit Augustini, inter eruditos non convenit.

11. Objicitur 1.

Argues 1. Augustinus serm. 259. scribit post diei Judicii ventilationem celebrandum esse sabbatismum in terra:

& 12. de Civitate Dei cap. IX. in secretis receptaculis piorum animas locat.

Solutio. Resp. præfato sermone teneri Augustinum Millenariorum errore, à quo postea resipuit, quamvis forte ea verba *in terra* genuina non sunt, utpote quæ ex uno ms. Vaticano fuere suppleta. At lib. XII. de Civit. Dei, ut Vives & Coquæus observarunt, de loco anceps est, non de gloria: & fortassis abditas sedes intelligit mansiones cœlestes.

12. Objicitur. 2. Argues 2. Enarrat. in Ps. 43. in Epist. ad Fortun. & tract. 49. in Joannem ait reservari singulis gloriam post resurrectionem, quando Christus apparuerit, & cum in Angelos profecerimus.

Solutio. Resp. Hæc Augustinum docere de universa Prædestinatorum Ecclesia, quæ solum post diem judicii plene triumphos aget: vel si in particulari loquitur de piorum Animabus, de gloria corporis est explicandus: si alicubi, ut in Epist. 148. de visione Dei verba facit, intelligendus est de visione expedita & vehementi, quam non retardet naturalis ad corpora inclinatio, ut contingit in Angelis. Quæ omnia constant cum ex dictis, tum ex Epist. 119. ad Januarium cap. 13. ubi ait: *Animæ quippe omnium Sanctorum ante resurrectionem sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione, qua corpora recepta vegetantur.* Plura vide apud Hieronymum Torrens. in Confess. Augustiniana cap. 2.

13. Propositio 3. Propositio III. Immerito carpitur à Durando beatus Bernardus; nam neque is à Catholico recedit dogmate.

Probatur S. Bernardum benè sensisse. Notavi Durandum, propterea quod paullo durius Doctorem eximium insectatus est, eum magnæ devotionis virum, non magnæ auctoritatis compellans; sed alii quoque modestius scribunt, Bernardum asserere Justorum felicitatem ante diem Judicii suspensam: imo Petavius, *De Bernardo*, inquit lib. VII. cap. ult. n. IX. *notissima res est, hunc in opinione illa fuisse.* Falluntur tamen. Etenim Doctor mellifluus Serm. XIX. de diversis ait. *Hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam.* Lib. de diligendo Deo cap. 10. *Immersas* (Martyrum animas) *ex toto credimus immenso illi pelago æterni luminis, & luminosæ æternitatis.* In vita S. Malach. cap. ultimo: *Pro hujusmodi ergo delectus à Deo & hominibus non immerito hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate quàm nomine: sed nunc felicius glorioso in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria, & felicitate lætatur .... Exultat in Domino spiritus Malachiæ, quod levatus pondere corporis, nulla jam fæculenta vel terrena materia prægravatur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem & incorpoream transiens creaturam pergat totus in Deum, & adhærens illi, unius sit cum eo spiritus in æternum.* Serm. 5. de dedicat. SS. *Post multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati.* Serm. 2. in Sanctum Victorem: *Jam cælos ingressus vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei.* Lege & Epist. 266. Serm. 6. in Cantica, & de Obitu Umberti. Ex quibus sequens efficitur ratiocinium; Non adstruit suspensam Justorum beatitatem, qui affirmat Justos nunc intueri divinitatis essentiam, æterno lumine circumfundi, lætari eadem gloria cum Angelis, & triumphare coronatos in cælis: Hæc disertissime tradit Divus Bernardus: Ergo non putat ad extremam diem Sanctorum gloriam suspendi.

14. Objectio 1. Objicies 1. Serm. 2. de omnibus SS. scribit Bernardus quod Sanctorum animæ ante Judicii diem non convertentur in requiem suam.

Solutio. Resp. requiem esse plenitudinem gaudii, & gloriam nedum animæ sed etiam corporis. Ait enim ibi: *Jam vero consummato militiæ tempore, gaudium habent Sancti in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo, &, licet non plenam, habent tamen lætitiam multam.*

15. Objectio 2. Objicies 2. Serm. 3. distinguit tres animarum status, primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis: secundum in atriis: tertium in domo Dei; & aperte asserit neminem in beatissimam domum introire, nisi post diem judicii.

Solutio. Resp. per domum Bernardum intelligere beatitudinem consummatam, ut constat & ex dictis, & ex sequentibus in eodem sermone: *Acceperunt jam singuli stolas suas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos. Stola enim prima ipsa est felicitas & requies animarum, secunda vero immortalitas & gloria corporum.* Sunt itaque Justorum animæ adhuc in atriis, quod una tan-

tantum ſtola exornatæ nequeant altera ſine nobis veſtiri.

16. Oppoſitio 3. Opp. 3. Ibi Bernardus ait ſeparatas animas, quantumvis juſtas, aliquam habere rugam, & conſequenter non poſſe ante reſurrectionem recipi in triumphantem Eccleſiam, quæ maculam rugamve non habet.

Solutio. Reſp. per rugam nihil Bernardum deſignare præter naturalem inclinationem ad corpus, quæ plenam lætitiam retardat quodammodo. *Sed unde tibi* (ait ibidem S. Doctor), *o miſera caro? unde tibi hoc? Animæ ſanctæ, quas propria Deus inſignivit imagine, te deſiderant! quas redemit proprio ſanguine, te expectant! & ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt. Adeo ſiquidem viget in eis deſiderium hoc naturale, ut nec dum tota eorum affectio libere pergat in Deum, ſed contrahatur quodammodo, ut rugam faciat, dum inclinantur deſiderio tui, &c.* Vide not. ſupra ex Auguſtino lib. XII. de Geneſ. ad lit. cap. 35.

17. Oppoſitio 4. Ob. 4. Serm. 4. Scribit Bernardus Piorum animas ante corporum reſurrectionem ſtare ſubtus Altare Dei.

Solutio. Reſp. Dici Altare humanitatem Chriſti, cujus corporis expetunt ſimilitudinem: *Altare ipſum*, ait, *nihil aliud arbitror eſſe, quàm Corpus ipſum Domini Salvatoris.* Vide quæ dixi cap. antecedenti ad VII.

18. Oppoſitio 5. Objicies 5. Eo loco inquit Bernardus exaltandos electos viſione & contemplatione non humanitatis Chriſti, ſed ejus divinitatis; quando poſt diem extremam ſuper Altare collocabuntur.

Solutio. Reſp. Sanctorum animas reſumptis corporibus juxta Bernardi doctrinam exaltandas contemplatione & viſione, quod expleto naturali ſuorum corporum deſiderio nullam habebunt rugam, quæ illas inclinet, & viſionem Dei conſequentur uberiorem; ut conſtat ex reſp. ad 3.

19. Objectio ultima. Obj. ultimo. Cæleſtis Beatitudo ea eſt, de qua in Pſ. XXV. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*: At Bernardus Serm. LII. inter parvos, nunc LXXXVII. de diverſis, negat id ante reviviſcentiam corporum evenire: Ergo, &c.

Solutio. Reſp. hoc poſtremo loco S. Bernardum denegare Juſtorum animabus ſolam completam beatitatem. *Comedite*, ait, *amici & bibite, & inebriamini. Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Poſtmodum vero corpore exuti, & in cælum translati jam bibere dicuntur eadem quæ prius comederant: quia jam per ſpeciem contemplantur, quæ prius fide crediderant.* Perſpicue his verbis fatetur D. Bernardus jam animas juſtorum Deum videre. Sequitur autem. *In hoc ergo ſtatu poſiti Sancti bibere quidem poſſunt, ſed inebriari non poſſunt: quoniam à perfectiſſima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc reſurrectionem ſui corporis in fine ſæculi præſtolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil ſit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari poſſit.* Videntur mihi hæc verba ad intelligentiam eorum, quæ obſcuriora ſunt in Sermonibus de Omnibus Sanctis, aurea clavis. Mihi quidem nulla manet hæſitatio, quod futurum ſpero de illis, qui absque mentis præoccupatione iſta legerint.

CAPUT XI.

De Joannis XXII. circa Sanctorum gloriam doctrina.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 8vum Probatur, Joannem XXII. neque ut privatum Doctorem aſſertivè docuiſſe, piorum animas ante corporum reſurrectionem Deum non videre.

8. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

De Joannis XXII. Sententia. TANQUAM privatum doctorem Joannem Papam XXII. docuiſſe quod animæ beatam vitam non hauriant, antequam corpora reviviſcant, non tamen id definiviſſe ex Cathedra, fere omnium Scholaſticorum reſponſio eſt; ubi de hujus mente Pontificis diſceptatur. Tuta quidem pro Catholici dogmatis, & Apoſtolicæ Sedis infallibilitate judicii conciliatio. Joannem illius fuiſſe opinionis, eamque libellis & Conſtitutionibus confirmaſſe quidam contendunt, ut Ockamus, Gerſon, aliique perpauci. Re tamen penitius inſpecta videtur mihi à vulgari opinione recedendum, & Pontificem eſſe à

nota erroris omnimode vindicandum. Quapropter sit

1. Propositio

PROPOSITIO: Joannes XXII. neque ut privatus Doctor assertive docuit piorum animas ante corporum resurrectionem Deum non videre.

Probatur dictum Pontificem nec ut Doctorem privatum quid contrarii sensisse.

Historiam narro, ac simul propositionem demonstro: Anno reparatæ salutis 1331. hæc quæstio acerrime ventilabatur, quam non Joannes, sed alii exagitare cœperunt, ut observat Raynaldus ad ann. 1333. n. 45. Plures quidem affirmativam sententiam valide propugnabant scripturis, Patribus, argumentis, asserentes hanc esse Catholicæ fidem Ecclesiæ. Pontifex rem diligentius excutiendam affirmabat, quod gravissima essent pro utraque parte momenta; cumque pro una magno numero producerentur, ipse reliqua pro negantium opinione collegit. Quæstionem in Procerum conventu proposuit habitis in Ecclesia sermonibus in Festo omnium SS. Dominica III. Adventus, & in Vigilia Epiph. proximi anni 1332. Recitavit ergo quæ ad definiendum dogma videbantur obstare, id est quæ collegerat à Theologis excutienda. Malevoli, quorum habebat plures, fortasse nimium addicti Pseudo-Pontifici Petro de Corbaria, Michael Cæsenas, Guilelmus Ockamus, & alii, ut constat ex ms. Vatic. 4009. p. 180. objecerunt, quod Joannes in his tribus sermonibus, *Dogmatizatus est, quod Sancti in cælo non vident, nec videbunt usque ad diem generalis judicii & futuram corporum Resurrectionem faciem Dei.* At contra calumniatores Pontificis scripsit insignis doctor Germanus Ulricus demonstrans Papam Scholasticorum more collecta à se recitasse, & dubia proposuisse quæ expenderent eruditi, ut constat ex eodem Raynaldo ad annum 1331. n. 45.

2. Sparsi interim de errore Joannis rumores, & controversia acerrime disputata Parisiis, traducentibus Joannem calumniatoribus. At præclarissimæ Universitati compertum est quid dixerit, quid hac in re præstiterit Summus Pontifex. Nam anno 1332. in data ad illum Epistola hæc habet: *Vestræ beatitudini cum qua possumus humilitate, & reverentia totis cordis præcordiis supplicamus, quatenus prædictæ quæstioni, in qua pro una parte vestra Sanctitas pulcherrime & subtilissime allegavit, & quamplures auctoritates adduxit, imo tot, quod non recordamur nos legisse doctorem aliquem, quas ad unum propositum adduxit tot, & tantas, semper tamen recitando, & nihil determinando, asserendo, seu etiam opinando, sicut audivimus; dignetur vestra Sanctitas finem dare, partem illam, qua nutrita fuit hactenus devotio totius populi Christiani vestro regimini crediti, veram esse determinatione Apostolica confirmando.* Vide hanc Epistolam Tom. I. Thesauri Anecdoctorum Martene pag. 1384.

3. Epistola Joannis ad Philippum regem.

Postero anno 1333. Joannes scripsit XIV. Kal. Decembris ad Philippum Francorum regem hanc Epistolam: *Quia, amantissime fili, scimus, quod in his vel aliis ut elucidetur veritas intendis, rogamus benevolentiam regiam, ut per fidelem, seu fideles nuncios Magistris in Theologia, & Baccalaureis Parisiis legentibus & degentibus facias nunciari, quod talibus minis illatis non obstantibus quilibet dicere & disputare, & prædicare valeat, quod sibi juxta doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur, aut etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per sedem fuerit Apostolicam, aut etiam declaratum. Sic etiam ad veritatem quæstionis prædictæ poterit promptius perveniri.* Ex quibus apparet Pontificem primum indixisse ne affirmativa sententia in publicis concionibus exponeretur tanquam definita ab Ecclesia, cum adhuc esset dubia & ventilanda, sed veritatis studio postea mandasse, ut unusquisque rem diligentius inquireret; quod profecto indicium est, se valde ancipitem pendere, & velle quæstionem diligentissime dirimi.

4. Epistola Joannis ad Petrum Episcopum & francorum reginam.

Hujusmodi studium magis præstitit proximo anno 1334. Tunc enim pro utraque parte summa cura collegit momenta, præcepit etiam sub Ecclesiasticis censuris, ut singula revocarentur ad trutinam, atque IV. Kal. Martii Petro Rothomagensi Archiepiscopo, & Francorum Reginæ has dedit literas: *Quid circa quæstionem visionis animarum ordinaverimus ad regalem notitiam credimus, diu est, pervenisse. Injunximus quidem Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Prælatis aliis; & Doctoribus Theologiæ, ac juris Canonici præsentibus in curia, ut super illa cum diligentia studeant, nobisque quid eis videtur exponant. Quod ut promptius possint facere multarum auctoritatum tam Canonis, quam Originalium Sanctorum pro utraque parte collectorum copiam fecimus. Et ut hæc diligentius studerent facere sententiam excommunicationis ipsos voluimus incurrere, qui præmissa non adimplerent, absolutione nobis, nostrisque successoribus reservata.*

Cum

5. Declaratio Joannis Papæ.

Cum adhuc obloquerentur Pontificis detractores, eodem anno 1334. die 3. Januarii in Consistorio Apostolico ipse coram S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus declaravit, se nihil unquam de hac Quæst. determinasse, & si quid à se prolatum fuisset, in quæstionis propositione, sive auctoritatum allegatione, quod scripturæ sacræ videretur adversum, præter intentionem sibi excidisse: qua publica confessione nihil sincerius, nihil humilius. De qua testem habemus Benedictum XII. in suo diplomate *Benedictus Deus*, Ptolemæum Lucensem lib. 24. Hist. cap. 42. ms. Vaticanum n. 4008. p. 172. Imo ante mortem, quæ contigit Avenione die XIV. Decembris ejusdem anni 1334. coram S. R. Ecc. Cardinalibus, quorum nomina in laudato nuper ms. referuntur, & coram Tabellionibus hac de causa vocatis, præcepit ut legeretur sequens Scriptura: *Fatemur & credimus, quod animæ purgatæ sunt in cælo, cælorum regno, & paradiso, & cum Christo, in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum & divinam essentiam facie ad faciem clare in quantum status & conditio compatitur animæ separatæ.* Hujus declarationis meminit Joannes Villanus in Hist. Florent. cap. 19. lib. XI.

6. Sententia Thelogorum Parisiensium de Joanne.

Demum Theologi Parisienses interrogati à Rege quænam revera esset Joannis Pontificis opinio, in Autographo quod etiamnum servatur Parisiis in Arch. FF. Prædicatorum, & recitatur à Bullæo Tom. 4. Hist. univ. inquiunt: *Quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solummodo recitando.* Prætermitto Fidei Confessionem, quam Joannes ad Armenios, Tartaros, Persas & Lithuanos transmisit; quam vide apud Rayn. ad annum 1331. nec non Bullas Canoniz. SS. Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani, & Thomæ Herfordiensis: de quibus vide Emin. Gotti Tom. 2. Th. p. 179.

7. Fit argumentum ex his omnibus.

Jam vero ex dictis hoc argumentum conflatur: Ille neque ut privatus Doctor assertive docuit purgatas animas ante reassumpta corpora beatifica carere visione, qui hujus opinionis fundamenta conscripsit & recitavit historice tantum, eo animo ut à Theologis ventilarentur, & quæstio, in qua veteres non convenerant, matura discussione innotesceret, ipse interim nihil asserens, nihil definiens, nihil vel opinando scriptitans. Atqui Joannes XXII. auctoritates Canonum ac Patrum, quibus Millenariorum videbatur probari error, collegit eo animo, ut illas Theologi expenderent, jussitque & publicis concionibus, & Epistolis, indicta quoque excommunicatione, ut sedulo discuterentur, neque interim pro ulla parte sententiam dixit, nihil declaravit, nihil asseruit. Ergo Joannes XXII. neque ut privatus doctor circa eam sententiam erravit, de qua præsens instituitur disputatio. Præterea Doctissimi Galliarum Theologi, Juenin, Tournely, L'Herminier, alii, expensa protestatione Parisiensium Theologorum, quam memoravi superius, & cui addere possunt Epistolam à me laudatam ex Edmundo Martene, ingenue fatentur Pontificem nihil circa hanc quæstionem ex Cathedra definiisse, in falsam tamen sententiam, ut Tournely ait, inclinasse; atque, ut cæteri loquuntur, ut privatum Doctorem eraviisse: Atqui in ea Parisiensium Theologorum declaratione, sicuti & in memorata Epistola, non solum habetur Joannem XXII. nihil ex Cathedra & aliquo Pontificio diplomate declarasse, sed etiam quidquid aut scripsit, aut dixit, scripsisse & dixisse non asserendo, non opinando, sed solummodo recitando: Ergo neque ut privatus doctor à dogmate recessit Catholicorum, opinative saltem & assertive. Denique Joannes tametsi recitavit & collegit speciali cura momenta pro una parte, quod pro affirmante omnia vulgata essent ac proferrentur; incubuit tamen animo, ut constat ex Epistola ad Reginam, & ad Rothomagensem Antistitem, ut pro utraque parte colligerentur, & huic muneri ipsemet insudavit, omnium copiam fecit, omniaque ex æquo ventilari mandavit: Ergo incertus erat cui adhæreret, & in utramque fluctuans, veritatem, quam tandem assecutus est, inquirebat.

Solvuntur Objectiones.

8. Oppositio 1. cum solutione.

Opponunt 1. L'Herminier, & Tournely. Raynaldus ad annum 1331. n. 44. refert Joannem XXII. conquisitis undequaque testimoniis pro negativa sententia in publicis concionibus pro eadem fuisse dogmatizatum. Resp. Raynaldum asserere, quod *Ita calumniabantur hostes Pontificis*, ut demonstrat num. 45. ex Ulrico, & ex ms. Vaticano Codice 4005. & 4009.

9. Oppositio 2. cum solutione.

Opp. 2. Joannes omni favore & gratia prosequebatur quos stare noverat pro sententia negante, præsertim Gerardum Generalem Minorum. Contra qui dissidebant dure à Pontifice excipiebantur,

ut constat de Thoma Vallesio, qui in carcerem conjectus est, quod opinionem Joannis publica confutasset concione. Resp. Thomam Vallesium non à Joanne XXII. sed à Quæsitoribus Fidei Avenione damnatum carceri, non quod pro SS. vindicanda gloria solemnem habuisset concionem, id enim permiserat Pontifex, ut apparet ex Epist. ad Galliarum Regem Philippum; sed quoniam è suggestu in Assertores adversantis sententiæ Divinam maledictionem est imprecatus, ut narrat Bzovius ad annum 1331. n. XI. quod vertente controversia, maxime privato homini, audaciæ, quamvis forte zelus fuerit, imputabatur. Gerardo autem quidnam Papa præstitit, quod amplissimum ordinem moderantis merito, ac dignitati esset impar?

10. Oppositio 3. cum solutione.

Opp. 3. Durandus Meldensis Episcopus, cum dogma Catholicum propugnasset, à Fidei Censoribus in jus vocatus est, etsi Regis patrocinio judicium declinavit Quæsitorum. At hæc annuente Pontifice fuere peracta. Resp. Durandi causam aliam esse ab ea, quam eruditi narrant Theologi. Pontifex Durandi Tractatum nulla permotus indignatione, & quamlibenter excepit, pluribusque Theologis præbuit examinandum; ut constat ex ms. Jacobi Cardinalis S. Priscæ in Bibl. Vatic. n. 208. In Durandi autem Scripto in ea, quam probabat propositione, nil censura dignum notatum est. In argumentationibus vero aliqua videbantur absurda: inter quæ erat, quod nisi animæ expiatæ videant divinitatem Christi, mori nulla ratione sit lucrum: unde videbatur consequi, quod ex contemplatione humanitatis nullum resultet gaudium, aut lucrum. Tum alia novem asserta, quorum alia probata fuerunt, alia confutata. Ergo propter Assertum de actuali visione Dei, ut constat ex ms. Vat. n. 4004., nihil actum contra Durandum, sed propter doctrinas insertas, & non satis apte expositas, aut non bene intellectas. Vide Raynaldum ad annum 1333. num. 58.

11. Oppositio 4. cum solutione.

Opp. 4. Pontificem assertive præfatum tradidisse errorem innumeri propemodum scribunt Auctores. Gobelinus in Cosmodromii Aetate VI. cap. 71. Albertus Krantzius lib. VIII. Vandaliæ cap. 16. Bzovius ad annum 1331. Ciacconius Vita Joannis XXII. Ptol. Lucensis ad an. 1335. Adrianus in IV. Sent. de Sacram. Confirmat. Gerson sermone in die Paschatis. &c. Resp. Hos omnes, & si qui sunt alii, falso rumore deceptos. Nam multæ fuerunt contra Joannem linguæ *malignantium*, ut in suo diplomate testatur Benedictus XII. Sed his opponimus omnium Theologorum Parisiensium testimonium, qui *Multorum fide dignorum relatione audita*, declararunt, quod Sanctitas Sua nihil asserendo, sive opinando protulit, sed solummodo recitando. Quamquam non omnes, qui ab adversariis citantur, revera Pontifici errorem affricant. Bzovius cit. loco ait: *Eodem tempore ipse idem Pontifex alios adversariorum adversum se excitavit, cum antiquorum Doctorum . . . . de clara Dei visione opinionem nondum ab Ecclesia damnatam recitasset; & in partem quorundam FF. Minorum asserentium, animas à corpore separatas non statim beata visione Divinæ essentiæ frui, sed eam usque ad diem judicii expectare, differendo quidem, non autem asserendo, neque decernendo inclinavit.* Et Alphensus Ciacconius: *Ipse*, inquit, *omnibus Theologis jussit, ut quid de ea sentirent, diligenter inquirerent, & sibi afferrent, affirmans se nihil nisi disputandi gratia afferre, & nihil adhuc se determinasse.* Hi nimirum de mente Joannis tantummodo dubitant. Idem dico de Ptolemæo Lucensi, qui lib. 24. cap. 43. ait: *De hoc dubium fecerat.* Idem de Adriano, qui utitur his verbis, *Fertur, dicitur.* Gersonis sermonem genuinum non esse, plures affirmant: si est, Universitatis Parisiensis testimonio, & Epistolis redarguitur.

12. Oppositio ultima cum solutione.

Opp. ultimo. Joannes morti proximus pœnitentia ductus errorem suum revocavit. Ergo erraverat. Resp. nego antec. Non enim proprie revocatio & retractatio dicenda est Joannis omologia. Declarat in ea, se plura in hac quæstione allegavisse = *Non intendens aliquid determinare, vel decidere* = Et si forsan in sermonibus aut collationibus suis aliqua viderentur à veritate aliena = *Ipsa præter intentionem à se fuisse prolata* =. Quam declarationem à se fieri protestatur = *Ne quis sinistre interpretari possit sensisse aliquid, aut sentire quod Scripturæ Sacræ obviet, aut fidei orthodoxæ.* Voluit ergo ea declaratione Joannes *linguis malignantium obviare* =, ut scribit in suo diplomate Benedictus; neque enim necesse erat, ut dicta revocaret, & caneret palinodiam.

Verum etiamsi Pontifex ut privatus Theologus in quæstione ad solvendum perdifficili, utrinque validissime propugnata, dubia eo tempore, nec definita, in falsam inclinasset opinionem; nullum inde aut illius existimationi, aut

Apo-

Apostolicæ Cathedræ infallibilitati posset consequi præjudicium. Etenim nulla Constitutione quid fide tenendum esset definita sententia pronunciavit: quod ex dictis satis arbitror manifestum. Guilelmi autem Ockami, quod fuerit Romanorum Pontificum infensus hostis, & ultro fateatur se referre quæ ex aliorum acceperat narratione, nemo est, qui pili faciat auctoritatem.

CAPUT XII.

De inæqualitate beatificæ visionis, ac sempiternæ Justorum felicitatis.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Inæqualis gloria meritis inæqualibus reservatur.
4. 5. 6. 7. Satisfit objectionibus.
8. Causa moralis inæqualitatis beatudinis est meritum.
9. Causa autem effectrix est lumen gloriæ, quod pro meritorum ratione illustrat mentem, inflammátque corda sanctorum.
10. 11. 12. 13. Solvuntur objectiones.

De Inæqualitate visionis & æternæ felicitatis justorum.

JOVINIANUS Stoico infectus contagio, quemadmodum nullam in meritis discrepantiam, ita nullam agnovit inæqualitatem retributionis. Adversus hunc duos libros conscripsit circa annum 392. beatus Hieronymus; in quorum postrema parte istum impugnat excucullati errorem hæretici. Novatores, qui putant homines justificari per eamdem Christi Sanctitatem singulis imputatam, in easdem ferme inciderunt casses. Oportet nunc perversum dogma insectemur, ostendentes rependendam non esse singulis justis parem omnino mercedem: & pauca superaddamus de Scholarum dissidio, unde inæqualis beatitudinis ratio sit repetenda.

I. Propositio I. PROPOSITIO I. Inæqualis gloria meritis inæqualibus reservatur.

Probatur inæqualem gloriam inæqualibus meritis reservari ex SS Scriptura.

Hæc est scripturarum sanctarum doctrina. Nam in Evangelio Joannis cap. XIV. 2. legitur: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* De quo loco Tertullianus Scorpiaco: *Quomodo multæ mansiones, si non pro varietate meritorum?* Paulus 1. ad Corinth. III. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* Cap. XV. 41. *Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Et 2. ad Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & metet.* Idem probant textus, quibus meritorum asseritur inæqualitas; ut parabola de semine apud Matth. 19. 8. quod fructum dedit *aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum;* egregie exposita eo versu, *Serta terdenis, &c.* in hymno D. Joannis Baptistæ: necnon alia de quinque talentis cap. XXV., & de decem minis apud Lucam cap. XIX. Accedit definitio Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Sess. VI. c. 16.

2. Probatur ex SS. Patribus.

Eadem est SS. PP. assertio: Chrysostomus hom. 41. in 1. ad Corinth. *Tametsi in regno cælesti sint omnes, non omnes tamen iisdem potiri præmiis significatur illa similitudine stellarum: uti nec in gehenna peccatores omnes eadem tormenta patientur.* Ambros. lib. 5. in Lucam: *Etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno cælorum.* Gregorius Nazianz. Orat. 34. *Prout illorum est ordo, plus, minusve Deum cernunt.* S. P. Augustinus Tract. 67. in Joannem. *Multæ mansiones diversis meritorum in una vita æterna significant dignitates.* Fulgentius de Fide ad Petrum: *Diversa erit Sanctorum gloria.* Prosper in sent. 360. *Ut Deus omnia in omnibus erit, sic etiam in dispari claritate par gaudium.* Gregorius lib. 4. Moralium cap. 31. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, &c.*

3. Probatur ratione.

Argumenta à ratione æquum est ab illo præclarissimo Ecclesiæ Doctore depromantur, qui Jovinianum singulari certamine profligavit. Quorum primum sic necti potest: Ordo, qui est in visibili Ecclesia etiam in cælesti servatur Jerusalem, & militans refert imaginem triumphantis; hæc enim, quæ per fidem ambulat, plurimas habet mansiones, & alium tenent gradum Pontifices, alium Sacerdotes, alium Levitæ, alium Aeditui, alium fidelis plebs; illa, quæ sursum est Ecclesia continet Archangelos, Angelos, Thronos, Dominationes, Potestates, Cherubim, Seraphim, variasque Sanctorum classes: Atqui in visibili Ecclesia diversitas nomium denotat graduum, munerum, ac dignitatum discrepantiam: Ergo diversam potestatem dignitatemque designat pariter varietas nominum, quibus appellantur supernæ

pernæ Jerusalem incolæ. II. Consilium est Evangelicum Matth. XX. ut *Qui vult major esse sit omnium minimus*, & idcirco pauperes spiritu sese abjiciunt, ut exaltentur, novissimoque recumbunt loco, ut superius ascendant: Consilio isto exercitamentum humilitatis frustra suaderetur, nisi in cælis unus esset altero major. Est ergo illic majoris, minorisve præmii distributio. III. Gloria cælestis est merces, & redditur unicuique secundum proprium laborem: Inter Verbi Dei Præcones plus sustulit laboris D. Paulus, qui prædicavit Evangelium, & ne quem gravaret, manibus suis illis quoque qui secum erant ministravit, quàm ferant alii, qui prædicant, & de Evangelio vivunt. Igitur consentaneum est, ut Paulus plus mercedis recipiat, quam cæteri Evangelii Concionatores. Hæc ex Hieronymo in 2. adv. Jovinianum. Quartum addo ex D. Gregorio lib. IX. Moral. cap. 39. Impares sunt reproborum pœnæ: quod probatur ex damnatione Babylonis Apocalyp. XVIII. *Quantum exaltavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum;* & ex parabola zizaniæ in fasciculos alligatæ, Matth. XIII., ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Ergo etiam juxta modum meriti sequitur retributio beatitudinis.

ARGUMENTA OPPOSITA REFELLUNTUR.

4. Objectio 1. Prima objectio est hujusmodi: Operarii, de quibus Matth. XX., acceperunt sub vesperam singuli denarium, ita ut qui portaverant pondus diei, & æstus, murmuraverint adversus Patremfamilias quod pares sibi fecisset qui novissimi una hora laborarunt: Hæc parabola diversitatem meritorum designat, & æqualitatem retributionis: Ergo diversis operibus eadem merces ac retributio rependitur.

Solutio. Resp. 1. dist. minorem: hæc parabola designat æqualitatem retributionis quantum spectat ad vitam æternam, in qua eadem est in æternitate mensura, concedo: quantum ad intensionem gaudii, & perennis gloriæ splendorem, nego. *Unus denarius*, inquit 2. lib. cit. S. Hieronymus, *non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio.* S. P. Augustinus serm. 59. de Verb. D. cap. 4. *Denarius ille vita æterna est, & in vita omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est.* Vide & Gregorium lib. IV. Moralium cap. XXXI. Resp. 2. nego singulos illos operarios non esse æquales in merito: sive enim intelligas parabolam de Sanctis veteris, ac novi testamenti, sive de diversis Justorum generibus, fieri potest ut plures qui novissime venerunt ad fidem ad antiquorum Patriarcharum meritum gloriamque pertingant, & etiam ampliorem referant laborum mercedem, & qui post multa scelera resipiscunt charitatis fervore dolorisque acrimonia illorum coronam adipiscantur, qui ab incunte ætate vitam incontaminate duxerunt: atque ita, ut ait Gregorius Naz. Ora. 40. *Ad laboris modum plus contulerint qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis ardorem.* Pro qua responsione vide quæ diximus ad 1. cap. IX. Resp. 3. non opus esse ut comparationes ac parabolas tam anxie persequamur; nam non omnia in his semper congruunt cum re, quam significant: quod asserendum est de præsenti, alias in regno cælorum essent murmura & querimoniæ, uti fuerunt in operariis, qui accipientes denarium adversus Patrem familias murmurabant.

Ob. 2. Gloriæ inæqualitas parere posset invidentiam, ac desiderium amplioris felicitatis. 5. Objectio 2.

Resp. invidiam arceri à perfectissima charitate, quæ *non æmulatur*, & qua beatæ mentes ita uniuntur, ut non minus de propria, quam de aliorum felicitate lætentur. *Quantum enim quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet*, inquit Anselmus in Prosolog. 25. Lege & Cassiodori librum de Amic. Desiderium autem expellit summa ac perfecta satietas, quam explet quisque in *torrente voluptatis* pro modulo sitis suæ. *Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, &c.* ait lib. 1. de Vita contemplat. cap. 4. Julianus Pomerius Afer, cujus opus passim sub Prosperi nomine laudatur. Vide etiam aptissimum exemplum corporis, in quo oculus non vult esse digitus, neque digitus oculus, apud Augustinum lib. XXII. de Civit. Dei cap. 30. conferens quæ habet Apostolus ad Ephesios IV. 16. Solutio

Opp. 3. Damnati eadem pœna damnificiuntur, quæ est privatio, ideoque non 6. Objectio 3.

non suscipit magis & minus. Ergo eadem gloria coronantur electi.

Solutio. Resp. dist. ant. Pœna damni non habet magis & minus ratione sui, concedo: ratione adjuncti, nempe inimicitiæ Dei, & ex consequenti cruciatu, quo plus minusve impii contristantur dum percipiunt se divinæ essentiæ contemplatione privari, nego. Vide Abulensem quæst. 640. in cap. 25. Matth. Hoc autem est discrimen inter visionem, privationemque visionis; quod hæc, cum sit carentia, æqualis est in omnibus reprobis ratione sui, & inæqualem infligit pœnam ratione apprehensionis, & causati inde mœroris: at visio, cum sit ipsa mentis apprehensio, per se piorum animas exhilarat, & gaudium parit.

7. Objectio ultima cum solutione. Opp. ult. Beati vident Deum sicuti est.

Resp. Vident quidem eumdem Deum, sed ut capiunt; & gloriam *specie* unam possident ejusdem objecti contemplatione & dilectione: at non omnes illud contemplantur eadem vi intelligentiæ, neque diligunt eodem charitatis ardore. Satiantur tamen singuli, quia vident ut capiunt, amant ut possunt, fruuntur ut cupiunt, inebriantur ut sitiunt; & gloriæ discrimen non à Deo, sed à propria uniuscujusque capacitate repetitur.

8. Propositio 2. Propositio II. Causa moralis inæqualitatis beatitudinis est meritum, effectrix vero est lumen gloriæ, quod pro meritorum ratione illustrat mentem, inflammatque corda Sanctorum.

Probatur causam moralem esse meritum. Quod spectat ad causam moralem constat ex dictis; nam merces meritum consequitur, & virtutes suam petunt remunerationem. Hinc recte Fulgentius in lib. de Trinit. *Tanto amplius alius alio in illa vita Deum videbit, quanto amplius in hac vita eum dilexit.* Et S. P. Augustinus serm. 59. de Verbis Domini: *Meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus.*

9. Probatur causam effectricem esse lumen gloriæ. De causa autem effectrice probatur. Ea est indoles causarum secundarum, ut quando ad agendum nativam virtutem non habent, sed aliena corroborantur, ab hac unice pendeat major effectus perfectio. Idque & in naturalibus & in supernaturalibus valet: nam si aqua caecit, receptoque calore injectam ustulat manum, adustio non aquæ principaliter tribuitur, sed calori; neque quod sit validior ab elementi particulis oritur, sed ab istarum agitatione & qualificatione. Pariter in actibus supernaturalium virtutum, si sapientior ardenti charitate Deum diligat, aut robustiori fide credat, charitas fidesque à sola gratia perficiuntur; neque naturali scientia exornatus, suffultus eadem gratia, quam habet ignarus, isto perfectius credit aut diligit; neque ullus ab alio naturali mentis perspicacia discernitur, sed sola voluntate moventis, & beneficia gratiæ largientis. Quæ ad probandam propositionem suppeditant duo argumenta. Ac primum: Beati Deum vident facie ad faciem, & ei firmissime adhærent non vi intellectionis & amoris nativi, sed facultate luminis gloriæ divinitus ipsos illuminantis, & inflammantis: Quotiescunque secunda causa operatur non sibi naturaliter indita, sed supernaturali virtute ab hac tantummodo exoritur inæqualitas, & major aut minor excellentia operationis: Ergo contuitus & amor beatorum spirituum, non ab intellectu aut voluntate eorumdem, sed à luminis gloriæ diversitate suam habet inæqualitatem. Deinde: Doctissimi Scoti discipuli, quibus etiam subscribunt ex nostris Aegidius Lusitanus & Landon, & è Schola Thomistica Eminentissimus Cajetanus, docent inæqualitatem visionis repetendam esse etiam ab inæqualitate intellectus, quod hic sit potentia activa, & cum lumine gloriæ unam totalem causam constituat: Videtur autem hæc ratio infirma: Ergo & sententia, quæ huic rationi nititur. Prob. minor. Perfectior actus E. G. fidei, etsi proveniat ab intellectu & à gratia, nullo pacto suam perfectionem nanciscitur à naturali acumine intellectionis, sed à sola motione divinæ gratiæ, quia licet intellectus una cum gratia eliciat fidei actum, non id præstat naturali virtute, sed gratiæ: Ergo visio Dei intensior, tametsi efficiatur ab intellectu & à lumine gloriæ, majorem ab intellectu nequit habere intensionem; quoniam ille non virtute nativa Deum videt, sed ea, quam ipsi lumen gloriæ largitur. Hinc est quod Guilelmus Parisiensis Antistes an. 1240. & iterum Stephanus Parisiensis anno 1267. proscripserunt hanc propositionem: *Cui meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia & gloria.* Denique ex sententia opposita consequitur, meritis non semper gloriam respondere; nam si aliquis habeat idem meritum, sed vim intellectivam hebetiorem, minori potiretur beatitate quam alter, qui esset par meritis, & ingenio ac mente pollentior.

REFUTANTUR OBJECTIONES.

10. Objectio 1. cum solutione.

Ob. 1. Cum æquali gratia unus altero intensius diligit Deum: Ergo cum æquali lumine unus Deum videt alio perfectius.

Resp. dist. ant. & perfectio dilectionis pendet à gratia, non à viribus naturalibus, conc. secus, nego. Habet utique humana voluntas, ut possit gratiæ resistere, vel reddere illam otiosam, non enim Dei munera liberum tollunt arbitrium, sed ei opitulantur. At si liberum arbitrium bona opera exerceat, tota perfectio meriti est à gratia, neque operis excellentia potest unquam motionem ac vim auxilii superexcedere. Cæterum in hoc infirmitatis statu datur etiam gratiæ inæqualitas, & qui intensius operatur, majori efficacia divinorum auxiliorum trahitur ac præmovetur: Ad hæc: lumen gloriæ non subest arbitrio, sed necessario mentem rapit beatorum; & eam ob rem hi videre nequeunt nisi ad luminis divini mensuram.

11. Objectio 2.

Ob. 2. Si duæ causæ ad aliquem effectum concurrant, & una sit efficacior, est etiam effectus perfectior: Intellectus & lumen gloriæ sunt duæ causæ, quæ influunt in eamdem visionem: Ergo si intellectus sit efficacior, erit etiam visio vividior.

Solutio.

Resp. dist. majorem: si fuerint duæ causæ ejusdem ordinis, ut duo equi eamdem rhedam trahentes, conc. Si diversi ordinis, ut sunt arbitrium & gratia, intellectus & lumen gloriæ, & una insuper causa agat virtute alterius, nego.

12. Objectio 3.

Ob. 3. Vegetior oculus cum eodem lumine videt perspicacius. Ergo perfectior intellectus cum eodem lumine spiritali percipiet lucidius.

Solutio.

Resp. nego consequentiam; quippe oculus & lumen sunt ejusdem ordinis, mens autem, & fulgor divinæ gloriæ, diversi. Et præterea: lux corporalis oculi supponit expeditam completamque potentiam: quam spiritale lumen non invenit intellectu, sed efficit.

13. Oppositio 4.

Ob. 4. Non proprio marte, sed divino spiritu afflante scripsere E. G. Paulus & Lucas, & prophetarunt Amos, & Isaias, at quoniam Paulus erat naturalibus scientiis imbutus, Isaias Hebraicarum, Chaldæarumque literarum cultu & delectu, antecellit scriptura Pauli libros Lucæ, & Isaiæ vaticinium prophetias cæterorum. Ergo etsi videant Beati divinitatem superno lumine gloriæ, quo magis tamen pollent naturali vi intellectrice, Dei speciem magis magisque contemplabuntur.

Solutio.

Resp. dist. antec. Pauli scriptæ & Isaiæ vaticinia cæterorum præcellunt libros styli venustate & orationis ornatu, conc. veritatis oraculo & arcanorum intelligentia, nego; & retorqueo argumentum. Quamquam Paulus in lege eruditus & cultus eloquio Politiori stylo conscripserit, quod facultatis est naturalis; arcanorum tamen penetratione non superavit Scriptores alios divinorum librorum, nisi ad mensuram sublimioris raptus, aut validioris afflatus divinitatis. Quod si verborum quoque splendorem ac stylum effici velis superna spiritus concitatione, & afflatu; dicam hunc sese Prophetarum indoli attemperare, eosque congrua quadam motione ad prophetandum fortiter æque ac suaviter urgere; ita, ut occultarum rerum vaticinationes, nec non flos ornatusque verborum exigi tantum debeant ad mensuram impetus flaminisque divini. Atque ita ad luminis gloriæ excitationem & modum pensanda est beatæ visionis vehementia.

CAPUT XIII.

De beatæ visionis objecto.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Ponuntur præliminaria ad statum quæstionis.

5. 6. 7. Neque per absolutam Dei potentiam videri potest Divina essentia sine attributis, aut una persona sine alia.

8. & seqq: Solvuntur objectiones.

1. Præliminare 1.

QUID Beati in Deo videant in hujus libri complimento dicendum supereſt. Ac primo constat ex dictis, videre unitatis ac Trinitatis mysterium. Illud namque revelandum nobis est quod fide credimus, & contemplandum in specie, quod nunc videmus per *speculum & in ænigmate*. Vident consequenter perfectiones divinitatis, scientiam, omnipotentiam, immensitatem, & alias, de quibus libro disputavimus præcedenti. Hæc cum sint à Deo penitus indistincta, dici solent in Scholis *objectum primarium*.

Dein-

2. Præliminare 2.

Deinde vident creaturas per Verbum conditas, terram, cælum, reliqua. Spectant enim omnia ad ordinem Universi, cujus ipsi Beati sunt partes; & nonnulla naturali cognitione attigerunt, plura noscere appetierunt. In illa ergo *Arte*, in qua immutabiliter continentur, omnia divini luminis participatione cognoscunt. Vident quoque sese invicem, ut postulat unius Civitatis, regnique societas: Unde ait Augustinus Epist. 6. *Tunc nihil latebit proximum in proximo; nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, ubi nullus erit alienus.* Et Bern. Serm. 1. in Dedicatione Eccles. *Nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest; ubi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis.* Quamobrem etiam cogitationes & affectus sibi invicem sponte revelant, ut solent domestici, & sincera dilectione conjuncti. In supernorum civium numero agnoscunt & illos, quos nunquam noverunt in terris, & ex notitia rerum præclare gestarum proficiunt in cognitionem virorum. Vide Magnum Gregorium lib. IV. Dialog. cap. XXXIII.

3. Præliminare 3.

Rerum, quæ in terris fiunt, illæ Beatis spiritibus innotescunt, quæ propius ad eos spectant; Pontifices Ecclesiæ statum, Reges vicissitudines regnorum, Parentes familiæ suæ conditionem, singuli vident suorum preces clientum. Nota sunt exempla Eliæ II. Paralip. cap. 21. v. 12. & Jeremiæ, & Oniæ II. Machab. cap. XV. Recte id summi Numinis providentia institutum, ut pro nobis intercedant ejus amici, regnique consortes, ut definit Conc. Senonense in Decr. Fidei cap. XIII. probantque Ecclesiæ Patres, Ambrosius in Orat. de obitu Theodosii, Augustinus Epist. 259. ad Cornelium, & Gregorius lib. XII. Moralium cap. 17. Vident & damnatorum pœnas, non ut misereantur, sed ut gaudeant uberius, animadvertentes quanta evaserint mala; quod explicat idem Gregorius Hom. 40. in Evangel. aptissima comparatione picturæ, in qua *Niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur.* Futura omnia, & possibilia, & contingentia minime noscunt, præsertim diem judicii, & secreta cordium; nisi ea sibi manifestent, ut amici solent, alterutrum, aut à Deo revelentur qui *scrutatur renes & corda.* Hæc omnia distincta à Deo beatificæ visionis *objectum* sunt *secundarium.*

4. Præliminare 4.

Circa princeps objectum quæritur num divinitus fieri possit, ut videatur una Persona sine alia, aut sine attributis essentia. Affirmativam sententiam propugnant Scotistæ, Paludanus, Alarcon, L' Herminier, in eamque propendet noster Lusitanus. Stant ex adverso Augustiniani ac Thomistæ, Sylvius, Habert, Tournely, Juenin, Gotti, Piette, Florez, & alii. De objecto autem secundario visionis variæ instituuntur quæstiones, quæ ex dictis facillime resolvuntur.

5. Propositio

PROPOSITIO: Neque per absolutam potentiam Dei fieri potest, ut videatur divina Essentia sine attributis, aut una Persona sine alia.

Probatur neque per absolutam Dei potentiam videri posse D. Essentiam sine attributis, aut unam Personam sine alia ex SS. Scriptura.

Probatur 1. ex Scripturis. Joannis XIV. 9. habetur: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Quem locum eludunt Henno & Frassen dicendo: exponi à PP. de cognitione per Fidem, cujus sufficiens motivum erant opera à Christo patrata: vel reponunt valere quidem de ordinaria potentia, non de absoluta. Nolo priorem interpretationem rejicere; quum de visione per fidem satis apposite accipiantur verba immediate sequentia: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Neque me latet illam explicationem admitti à Chrysostomo Hom. LXX. in Joannem, à Cyrillo lib. 9. cap. 37. à Tertull. cap. 24. contra Praxeam, & breviter sic exprimi à Nonno;

Nimirum mecum esse Patrem: sum namque Parenti
Connexus: mea vox sonat; at res efficit ille.

Ea itaque interpretatione admissa sic arguo: Quoniam eadem sunt opera Patris & opera Filii, qui credit in Filium necesse est, ut credat etiam in Patrem: Ergo quia eadem est veritas & lux Patris & Filii, opus est ut videns Patrem videat quoque Filium.

6. Probatur ex S. Augustino.

Eadem est S. P. Augustini sententia: qui in Ps. 85. in ea verba Joannis: *Nescitis quia ego in Patre & Pater in me est?* inquit: *Me viso videtur & Pater, & patre viso videtur & Filius; Patris & Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura & substantia, visio separari non potest.* Tract. 70. in Joannem: *Cur inseparabilia separatim desideras nosse?* & in 2. de Trinit. cap. 8. *Neuter sine altero potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut ipse ait: Ego & Pater unum sumus.* Quæ profecto etiam de absoluta tenent potentia, quum nullatenus dividi possit ac separari in qualicumque hypothesi divinarum Personarum substantia, veritas, & visibilitas.

7. Probatur ratione.

Hinc multiplex depromitur ratio. Ac prima: Quæ divinis Personis, aut proprietatibus conveniunt ratione naturæ, sunt prorsus inseparabilia; neque enim Mundum E. G. condere potuit Pater absque Filio, cum sit utriusque eadem virtus creatrix, quæ essentiam consequitur, non relationem. Atqui divinarum Personarum una est veritas & intelligibilitas, quæ ratione substantiæ ex æquo in singulis reperitur: Ergo divinarum Personarum visio est penitus inseparabilis. Deinde Scotistarum sententia supponit in Deo formalem distinctionem, ob quam, cum sit liberrimus, se videndum exhibeat secundum unam *formalitatem*, non secundum aliam: Hæc distinctio commentitia est, ut vidimus lib. 2. cap. 3. prop. 2. Igitur & ruit opinio de separatione visionis. Rursus ad visionem intuitivam necesse est, ut videatur plenitudo divinitatis tota simul, & non partialiter: quod exemplis & rationibus ostendi cap. 1. hujus libri in Resp. ad 3. Sed dum videretur una persona sine alia, non inspiceretur tota simul plenitudo divinitatis: Ergo non videretur Deus visione intuitiva. Demum si divina natura in sola persona Patris subsisteret, quisquis videret essentiam absque Patre, non eam videret intuitive & prout *est in se*; etenim *in se* non esset essentia nulla terminata hypostasi, sed singulari individuata *supposito*. Igitur cum sit in tribus personis, non videbitur ut est in se, nisi tres Personæ videantur simul. Atque hæc omnia militant de Attributis, sive cum divina substantia, sive inter se comparentur.

ARGUMENTA OPPOSITA DILUUNTUR.

8. Objectio 1.

Opp. 1. Potest una Persona sine alia incarnari: Ergo potest una Persona sine alia videri.

Solutio.

Resp. nego conseq. tum quia incarnatio sive extrancæ naturæ assumptio fit hypostasi, quæ non est in divina essentia unius generis, sed multiplicis; constituitur enim relatione, non absoluta aliqua proprietate: at econtra visio habetur ratione summæ & indistinctæ cognoscibilitatis, quæ non alia est divinæ substantiæ ac relationum, sed eadem, unica, inseparabilis. Tum quia Incarnatio est unio divinæ & humanæ naturæ in eodem supposito, non prout natura divina est in se, sed prout est in Verbo, scilicet ut refertur ad Patrem: visio autem intuitiva est unio intentionalis mentis nostræ cum Deo, quatenus *est in se*: id enim postulat ratio visionis intuitivæ. Cæterum hoc argumento nostra corroboratur sententia. Primo, quia licet natura humana uniatur hypostatice Verbo, non Patri, propter diversam hypostasim utriusque; opus Incarnationis efficienter est à tota Trinitate, quoniam trium personarum una est potentia & virtus effectrix. Ad hæc, si Patris & Filii, quemadmodum est una natura, ita esset eadem subsistentia; Filius absque Patre incarnari non posset: sicuti nequit incarnari Filius, nisi incarnetur Deus sapiens, immensus, omnipotens, & quidquid est à Persona Filii indistinctum: Igitur cum in ratione visibilitatis nullum discrimen in Deo inveniatur, non erit visio ratione aliqua separabilis.

9. Objectio 2.

Opp. 2. Potest divino Verbo communicari Essentia non communicata paternitate. Ergo pariter essentia videri potest paternitate non visa.

Solutio.

Resp. Essentiam ac paternitatem rem unam esse, quæ si in se absolute consideratur, vocatur essentia, si connotative & secundum relationem, nuncupatur persona: quæ juxta hanc ideam accepta nedum non communicatur, sed neque communicari potest, cum repugnet inter relativa indistinctio. Quare nego consequentiam: paternitas enim communicatur *essentialiter*, & non communicatur *personaliter*, quoniam repugnat communicari quod dicit ratione sua distinctionem ab alio: at non repugnat essentiam sine personis videri; quinimo si videatur *in se*, videri debet utrumque, eo quod utrumque *in se* est una eademque impartibilis veritas & substantia. Ea propter urgetur contra adversarios argumentum; quandoquidem Filio communicatur essentia, & omne quod communicabile est, omnipotentia, sapientia, immensitas & quidquid habet Pater, hoc excepto quo Pater est, quia Essentia communicatur *ut est in se*: Igitur si videatur divina Essentia prout est *in se*, videri debet quidquid est visibile, & ab ea penitus inseparabile.

10. Objectio 3.

Opp. 3. In illo priori, in quo Pater Filium generat, perfectam habet beatitudinem, & tamen nondum Filium videt.

Solutio.

Resp. talem esse beatitudinem, quale est illud *prius*, scilicet cogitationis nostræ figmentum. *Cum enim dicitur Filius à Patre genitus, ostenditur ordo, non quo alter sit prior altero, sed quo alter sit ex altero*; ait S. P. lib. 3. contra Maxim. cap. 14. Quamquam si per impossibile in aliquo instanti non esset Filius, videretur tamen à Patre eo modo,

do, quo esset, nempe quamprimum à se generandus.

11. Objectio 4. Opp. 4. Divina Essentia sufficiens est beatitudinis objectum: Essent ergo plene beati qui eam tantummodo intuerentur. Ant. probatur, quandoquidem si divina substantia non esset se sola plenum beatitudinis objectum, non esset summum bonum & undequaque perfectum: Est summum, maximum, & undequaque perfectum bonum: Est igitur beatitatis sufficiens, plenumque objectum sola divina essentia.

Solutio. Resp. dist. ant. Divina essentia est beatitudinis sufficiens objectum, & una res simplicissima cum divinis proprietatibus ac personis; concedo: ab his quoquo modo secreta & separabilis; nego ant. Ad cujus probationem nego majorem: quod enim videri non possit essentia Dei absque relationibus non provenit ex ejus imperfectione, quasi non sit plenissimum maximumque bonum, sed ex perfectione ac simplicitate ejusdem essentiæ à relationibus & proprietatibus prorsus indistinctæ. Quod illustratur creationis exemplo: nam Pater omnipotens est, & tamen absque Filio & Spiritu Sancto Mundum creare non potuit. Id vero non aliunde, nisi quod efficientia & virtus est in tribus personis una & indivisa: atque ut legimus in Symbolo, quod tribuitur Athanasio, est quidem *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.* Ab eo, quod omnes Personæ sint una res summa, simplex & impartibilis, oritur inseparabilitas beatæ visionis, dicente Augustino: *Neuter sine altero potest ostendi, unum quippe sunt.*

12. Objectio 5. Opp. 5. Absoluta absque relativis cognosci possunt, etiam visione, quam appellant intuitivam; videtur enim in pariete color, & non videtur, quomodo parieti inhæreat: videtur in Eucharistia quantitas, & non videtur, quomodo existat: videbatur humanitas Christi, & non videbatur illius subsistentia.

Solutio. Resp. Absoluta absque relativis videri posse quotiescunque non sunt una, eademque simplicissima res, ut in exemplis productis. Nam color inhærens connotat subjectum, à quo est separabilis quantitas panis in Eucharistia Christi corpus, à quo distinguitur, natura humana Verbi personam, à qua assumitur. Color ergo, extensio, humanitas Salvatoris videri possunt absolute, etiamsi non videantur connotative, idest quatenus referuntur ad aliquid à se distinctum. Quod non valet de summa perfectissimaque Dei natura, in qua absoluta & relativa sunt eadem indivisibilis veritas. Præterea nulla est horum exemplorum convenientia, quum neque inhærentia coloris, neque existentia quantitatis in Eucharistiæ Sacramento, neque Verbi Divini subsistentia sint objectum visibile: cum econtra omnis divina perfectio objectum intelligibile sit. Insuper retunditur telum istud. Nam videre nemo potest colorem in se nisi circumstantem videat figuram & magnitudinem, & quisquis hominem aspicit ut est in se, intuetur formam vultus, corporis proceritatem, membrorum aptitudinem, vestimentorum qualitatem, & quidquid oculis objicitur. Similiter itaque divinitatem videns facie ad faciem videre debet Personas, attributa, & quidquid est inseparatum à Deo, & beatorum menti repræsentatur.

13. Instantia cum solutione. Sed forte Peripateticorum improbata sententia, repones nullam esse coloris & quantitatis naturam, quæ alia sit à corporea substantia, & fictitiam esse accidentium, qualitatumque inhærentiam, & tamen unum & idem corpus præcisive videri ac tangi. Verum minus urget in recentiorum Philosoporum systemate argumentatio. Defendunt hi lumen in certa particularum corporis lucidi situm esse motione, & nihil esse præterquam vis in nobis vividum sensum excitandi: corpus autem pellucidum illud esse, quod meatibus undique perviis instructum est; opacum contra, quod transversariis perviisque meatibus caret. Sic alborem in his corporibus ajunt esse, quæ asperitate scabrisque incidentes luminis radios repercutiunt; nigrorem vero in iis, quorum particulæ attritæ admodum & concisæ exceptos radios luminis non reflectunt. Ita ergo diversi videntur colores, aut idem majori, seu minori intensione conspicitur, si minutæ particulæ corporum, vel sint atomi Gassendi, vel subtilis materia Cartesii diverso pacto concutiantur; ac propterea docent flammæ, quæ admodum lucet, summam celeritatem esse, & vividas scintillas videri in silicis & chalybis collisione. Quantitatem pariter tangi inquiunt, dum tendinum fibræ recipiunt ab externis corporibus impressionem: quæ fibræ cum alicujus sint magnitudinis nequeunt ab exiguis corporibus agitari, unde solida tangimus, non aerem vel halitum. Sed plura de his Rohaultius, Cartesius, Le-Grand, aliique Optices, ac Physiologiæ studiosi. Ex quorum placitis nequit demonstrari

visio præcisiva in summa ac simplicissima re, in qua nullæ sunt partes, quæ excitari possint, vel concuti; neque plures unius spiritus formæ, secundum quas partim sit manifestus, partim reconditus.

14. Objectio 6. Opp. 6. Indistincta est ab Omnipotentia Dei creaturarum possibilium continentia: & tamen videns omnipotentiam non videt creaturas omnes possibiles. Potest ergo ejusdem rei summæ & inseparabilis separari contuitus.

Solutio. Resp. dist. antecedens: Et beati vident omnipotentiam absolute, in se, scilicet ipsam divinam substantiam potentem omnia producere, concedo: vident omnipotentiam connotative, nimirum ipsas creaturas separatas à divina substantia, & ab ea producibiles, nego. Recole à me dicta cap. 11. Prop. 2. in resp. ad ult.

15. Objectio ultima. Opp. ultimo: Deus est Beatorum speculum voluntarium: Potest ergo Beatis pro suo lubitu unam personam manifestare absque altera.

Solutio Resp. dist. ant. Est speculum voluntarium absolute, eo quod gloria beneficium sit gratiæ & divinæ liberalitatis; concedo: in hypothesi quod gloriam conferat, & sese manifestet, subdistinguo: est speculum voluntarium in exhibendo visioni beatorum perfectiones à se indistinctas, quæ sunt *primarium* beatitudinis objectum; nego: Est speculum voluntarium in manifestando creaturas à se diversas, quæ sempiternæ gloriæ objectum sunt *secundarium*; concedo. De hoc *secundario* objecto dictum supra. Quæ autem aliqui hic inferunt de cognitione possibilium in Verbo, constant ex his, quæ supra disseruimus de Comprehensione cap. 11. hujus libri. In quo si plura obscuro dicendi genere fuere quæsita, manifestabuntur in Ecclesia Sanctorum, & in cælesti Jerusalem, cujus fundamenta in montibus altis. Utinam eo pervenire mereamur virtute duce, de qua Hesiodus:

Et longa huc & celsa simul via ducit euntem,
Ardua principio; sed ubi est ad culmina ventum,
Incipiet molli sese submittere clivo.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUARTUS

In quo agitur de altitudine divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

De altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei.

QUOMODO mundi corde ex rebus aſpectabilibus, ex incommutabili lumine veritatis, ac tandem prope, & revelata facie Deum videant, ſuperioribus libris declaravimus. Inquirendum nunc eſt, quomodo Deus univerſarum creaturarum ſuarum exiſtentiam, affectiones, motum, viciſſitudinem, intimasque percipiat cogitationes. Qua in re nobis videtur jure exclamandum: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* cum Apoſtolo ad Romanos XI. 33. eſt enim abyſſus multa, & impenetrabilis Dei ſcientia. Cum tamen *divitiarum* theſaurique notetur appellatione, quod ipſa illuminet abſcondita tenebrarum, diſſertas reddat linguas infantium, diſponat omnia ſuaviter, & per eam erumpant fontes, nubesque rore concreſcant; cumque ipſa clamitet in plateis, in foribus, in capite turbarum, ut ſi quis ſitit, veniat ad illam, & bibat: humiliter quidem ad ipſam Dei ſcientiam nobis eſt accedendum propter abyſſi profunditatem, alacri tamen animo ob affluentiam theſauri, & uberrimam copiam divitiarum. Accedamus itaque conſectantes veſtigia illius, qui Sap. VIII. 9. ajebat: *Propoſui hanc adducere mihi ad convivendum, ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei.*

CAPUT I.

Oſtenditur in Deo eſſe plenitudinem ſcientiæ, quam à Divina ſubſtantia ſola ratio humana diſtinguit, dum illam ad varia comparat objecta.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Eſt in Deo omnis plenitudo ſcientiæ.
4. Solvitur objectio.
5. 6. 7. Divina ſcientia eſt eadem Dei ſubſtantia connotans intelligibilia objecta, ex quorum diverſitate varia ſortitur nomina.

An in Deo ſit plenitudo ſcientiæ.

SCIENTIÆ vocabulo non venit hoc loco conſtans notitia ſenſuum ope, aut ratiocinio parta, quæ cum menti accedat, illamque perficiat, non debet in ſumma perfectiſſimaque ſubſtantia Dei cogitari: ſed venit permanens abſque hæſitatione cognitio, cui neque error ſubeſſe valeat, nec fluctuatio. Quam cognitionem ſoli negare audent athei, qui ſuperos terrenarum rerum regimen, curam, prævidentiam & cogitationem habere negant.

Diſs

Diis indigna putando, alienaque pacis eorum,

Ut scribit lib. VI. Lucretius. Nos vero qui omnia sapientia Dei regi, & providentia gubernari firmissima fide tenemus, Theologicis de scientia Dei disquisitionibus dare operam constituimus.

1. Propositio I. PROPOSITIO I. Est in Deo omnis plenitudo Scientiæ.

Probatur I. in Deo omnis plenitudo scientiæ. Ita Divinæ Scripturæ, Patres, ratio, & Gentium quoque Sapientes demonstrant. Ex scripturis hæc sunt apertissima: 1. Regum. II. 3. *Deus scientiarum Dominus est.* Job. XII. 3. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium, & intelligentiam:* & XXVIII. 12. *Sapientia vero ubi inveniur? Et quis est locus intelligentiæ? . . . Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Psalmo CXXXVIII. 5. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Esther. XIV. 14. *Domine, qui habes omnem scientiam.* Sap. VII. 15. *Ipse sapientiæ dux est, & sapientum emendator.* Plura sunt hujus generis in eodem, & seq. cap. Eccl. XLII. 19. *Cognovit Dominus omnium scientiam.* Ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Et ad Colos. II. 3. de Christo, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Idem docent PP. sequenti proposit. laudandi.

2. Probatur ratione. Ratione probatur propositio: Nemo inveniri potest, qui ignoret Deum esse quo melius cogitari non potest. Ergo nemo inveniri potest, qui ignoret Deum omnia scientem ac sapientissimum esse; cum sapientia præcipua sit rerum perfectio. Deinde quidquid perfectionis reperitur in rebus conditis, eminenter existit in Deo: In Angelis & hominibus à Deo productis reperitur scientia: Ergo scientia modo eminenti, scilicet absque sensu & discursu, reperitur in Deo. Præterea Deus est substantia vivens materia & corpore expers: Vita substantiæ expertis corporali materia est intelligendi facultas: Ergo facultas intelligendi est in Deo; & consequenter scientia, cum in Deo actus & operatio à facultate seu potentia nequeat sejungi.

3. Probatur ex Ethnicis. Fatentur hoc idem Ethnici scriptores. Plato in Parmenide, Proclus cap. 21. Jamblicus Segment. 1. cap. 15. Simplicius in Epict. Arrianus qui de hoc argumento egregiam instituit disputationem, Menander qui apud Clem. Alex. lib. 5. Strom. Deum vocat oculum omnia cernentem. Cujus rectæ appellationis indicium quoque est etymologia hujus nominis *Deus*, quod derivatum dicimus lib. II. cap. 1. à θεάομαι, *specto, cognosco.* Pervulgatum quoque est etymon nominis *Daimon*, quo veteres Divos appellant, quasi Δαήμονας, *scientes* à themate δαίω, *scio.* Aegyptii denique fingentes auream oculi imaginem in templis appendebant, in symbolum providæ, quæ omnia circumspicit, divinitatis.

4. Oppositio. Oppones: Hæc omnia nihil efficiunt; non textus Scripturarum, nam hi tribuunt etiam Deo humana membra, pœnitudinem, & iram; quæ tamen non sunt in Deo nisi metaphorice: non Patres, quum Augustinus Quæst. 2. ad Simplic. asserat scientiam *pertinere ad ea, quæ sensibus corporis experimur:* non ratio, quoniam scientia est quidem perfectio, sed per demonstrationem & per causam comparata, quæ duo in Deo locum non habent: Falsum est ergo Deum optimum maximum cuncta cognoscere.

Solutio. Resp. nego ant. Et ad probationem dico: pœnitentiam, iram, & cætera istiusmodi significare animi perturbationem ac motum, sicut & corporalia membra materiæ extensionem, quæ substantiæ spirituali, & immutabili repugnant, quod affirmari non debet de sapientia: quamvis pœnitudo & ira si possint percipi sine hac animi turbatione, miro & ineffabili quodam modo in Deo esse dicantur apud Augustinum. Is ad Simpl. Quæst. 2. negat in Deo scientiam, qua sensa & intellecta memoria retinemus, quum neque Deus sentiat, neque in eum subrepat mutabilitas longe ab ipsius substantia removenda. Cæterum S. Pater ibi scientiam Dei esse docet *vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta cernentis.* Porro humana scientia mutabilitatem habet, ac transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in ejus contuitu paullo ante non erat; ideoque comparatur demonstratione, & causam agnoscit. Quæ si dempsero de humana scientia, *insinuatur mihi utcunque scientia Dei*, ait S. Pater.

5. Propositio 2. PROPOSITIO II. Divina scientia est eadem Dei substantia connotans intelligibilia objecta; ex quorum diversitate varia sortitur nomina unam rem significantia, distinctam vero sola terminorum ratione.

Probatur et SS. Scriptura. Adstruitur hæc propositio primum Divinis literis, quæ Dei sapientiam quasi rem subsistentem describunt sæpenumero; præsertim Prov. VIII. 2. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram . . . . Ante colles ego parturiebar . . . .*

Dein-

Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore . . . . &c. unde rectissime Divini Verbi probatur cum Patre indivisa substantia. Et Sap. VII. 22. sapientia appellatur *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, &c.* Secundo SS. Patrum auctoritate: Augustinus Tract. 99. in Joannem ait: *Ideo non est ista substantia, cui hoc non est esse quod nosse: potest enim esse nec nosse. At illa Divina non potest; quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.* Cyrillus lib. XXXI. Thes. *Quum confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum ipsius cognitio.* Bern. lib. v. de Considerat. cap. 5. *Dicimur amare, & Deus, dicimur nosse, & Deus: sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas.* Circumfertur & Synesii sententia in lib. de Insomniis: *Intelligentia est ipsa Dei substantia.* Ratione idem probatur; nam si Deus foret sapiens participatione veritatis, non perfectione substantiæ, esset & compositus & mutabilis: Deo compositio & mutabilitas quæque repugnat: Ergo Deus substantialiter sapiens est, non veritatis, ut D. Bernardus loquitur, *participio.*

6. Sapientiæ Dei omnia conveniunt attributa Naturæ Divinæ.

Consequitur ex dictis sapientiæ Dei omnia convenire attributa, quæ de natura Divina enunciantur. Quare Sap. VII. dicitur spiritus intelligentiæ *Sanctus*, nulla mentis contagione inquinatus; *Unicus & multiplex*, simplicissimus ex parte Dei, & late se per omnia genera rerum diffundens: *certus*, & nulli obnoxius errori; *subtilis*, & cuncta pervadens: *omnibus mobilibus mobilior*, & rebus omnibus motum tribuens ac directionem: *Candor lucis æternæ & speculum sine macula*, absque concretione terrena, & nube corporei sensus: *omnia potens*, energia & virtue: *in se permanens*, immutabilitate perpetua: *omnia innovans* multiplici efficientia.

7. Scientia D. ad diversa objecta & connotata explicatur.

Quæ cum ita sint; variæ, quas tradunt Theologi Scientiæ Divinæ partitiones, nos in ordine ad diversa objecta & connotata explicabimus. Ac primo dicenda erit *sapientia*, quatenus pertinet ad scrutationem rerum æternarum, in quibus tanquam in causis etiam mutabiles creaturæ præcontinentur: *Scientia* vero dicetur, prout alia à se Deus contemplatur, & intuetur. Dicitur *speculativa*, quatenus est cognitio objecti non operabilis, ut scientia sui ipsius, rerum possibilium, malorum culpæ: *Practica* econtra, quatenus est cognitio objecti operabilis, ut scientia mundi è nihilo producendi, bonorumque operum Divino auxilio perficiendorum. Distinguunt præterea Theologi Divinam scientiam in *liberam*, & *necessariam*; quarum prima est, quæ pro objecto habet quidquid pendet à libero decreto Dei; & talis est scientia creaturarum existentium: Altera est, quæ omne decretum Dei antecedit, & habet pro objecto creaturas tantùm possibiles. Postremo alia est scientia *simplicis intelligentiæ*, alia scientia *visionis*. Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea, quæ versatur circa res, quæ non existunt, neque extituræ sunt, ut cognitio rerum possibilium, quæ abstrahunt ab omni *futuritione*, & ab omni existentia. Scientia *visionis* est illa, quæ versatur circa res in aliqua temporis differentia existentes, ut cognitio rerum præsentium, futurarum, præteritarum. Inter scientiam *visionis*, & *simplicis intelligentiæ* statuunt aliqui scientiam futurorum conditionatorum, quæ à nullo dependent efficaci & absoluto decreto: & hæc est celeberrima *Scientia media*, de qua postmodum. Nam hic de scientiæ Dei à Divina substantia indistinctione tractandum erat.

CAPUT II.

An aliquid sit, quod scientiam Dei subterfugiat?

SUMMARIUM.

1. 2. Deus se ipsum cognoscit, ac comprehendit.
3. 4. Satisfit objectionibus.
5. Nulla est creatura sive possibilis, sive futura, sive præterita, sive nunc extans, quæ Dei subterfugiat scientiam.
6. 7. 8. Solvuntur objectiones.
9. 10. 11. 12. Neque latent Divinam scientiam futura quælibet contingentia, & conditionata.
13. 14. 15. 16. Refutantur objectiones.
17. Deus intimas cujusvis creaturæ rationalis scrutatur cogitationes, & quæcunque peccata.
18. 19. 20. Solvuntur objectiones.

An quid subterfugere possit scientiam Dei.

QUÆRUNT Theologi num Deus omnia revera cognoscat, semetipsum, creaturas possibiles, præteritas, existentes, futuras, peccata, cordium cogitationes, & humanæ mentis figmenta: atque de his omnibus disputationem instituo.

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Deus semetipsum cognoscit, atque comprehendit.

Probatur Deum se ipsum cognoscere.

Cognoscere semetipsum probatur ex sacris literis: Joannis x. 15. *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem.* 1. ad Corinth. II. 10. *Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Probatur auctoritate Augustini lib. XV. de Trinit. cap. 14. *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, &c.* Probatur ratione: Necesse est ut primæ Menti propositum sit præstantissimum intelligibile: Deus est prima mens: Ergo propositum est illi præstantissimum intelligibile: At nihil seipsa præstantius habet: Ergo semetipsam intelligit. Ex quo argumento illud infertur, quod Deus est scientiæ suæ objectum, ut Scholastici appellare consueverunt, *primarium, ac specificativum.*

2. Probatur Deum se ipsum comprehendere.

Se autem Deum comprehendere sic ostendo. Comprehensio est infinita cognitio, in qua nihil latet videntem: Spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei, nihil latet: Ergo Dei Spiritus Deum comprehendit. Rursus *Sapientiæ Dei non est numerus*, ut habetur in Psalm. 146. Igitur nulla terminatione sapientia Dei circumscribitur. Præterea in eo sita est natura comprehensionis, ut præter essentiam rei tota ejus percipiatur efficientia, ut dixi lib. III. cap. II. Prop. 2. Deus videt seipsum, ut probatum est nuper, & quidquid ad ejus efficientiam attinet, ut mox dicetur: Semetipsum ergo comprehendit. Et denique Divina scientia nequit cogitari præstantior: At posset, nisi propriam divinitatem comprehenderet: Comprehendit igitur.

3. Objectio 1.

Opp. 1. Scientia & omnipotentia idem sunt: Nequit omnipotentia habere pro objecto ipsum Deum: Ergo istiusmodi objectum nequit habere scientia.

Solutio.

Resp. Nullum discrimen esse inter scire & posse Dei. Ratione nostra secernuntur, quod substantiam intelligentem & connotantem cognoscibilia vocamus scientiam: & substantiam potentem creaturas producere appellamus omnipotentiam. Igitur distinguo majorem. Idem sunt substantialiter & in re, concedo: ratione objecti & connotati, nego. Alii respondent hanc esse disparitatem, quoniam scientia est actio immanens, omnipotentia transiens, ideoque objectum scientiæ potest esse intrinsecum cognoscenti.

4. Objectio 2.

Opp. 2. Quidquid comprehenditur *scientis comprehensione finitur*, ait S. P. lib. 12. de civit. Dei cap. 18. Deus nulla ratione finitur: Ergo Deus nulla ratione comprehenditur.

Solutio.

Resp. dist. ma. Finitur negative, nempe nihil penitus supereſt quod lateat videntem, concedo: Finitur positive, scilicet attingitur ultimus terminus visibilis, subdistinguo; dum comprehenditur objectum numero ac termino circumscriptum, con. nulla limitatione coarctatum, nego.

5. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Nulla est creatura sive possibilis, sive futura, sive præterita, sive extans nunc, quæ Dei subterfugiat scientiam.

Probatur nullam creaturam posse subterfugere scientiam Dei.

Prob. 1. ex Scripturis. Eccl. XXIII. 29. *Domino enim antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia.* In Epist. ad Hebr. IV. 3. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Huc spectant quæ Prop. 1. Cap. præcedentis commemoravi. II. Ex PP. Clemens Alexandrinus lib. VI. Strom. *Deus*, inquit, *omnia novit non solum, quæ fiunt, sed etiam futura, & quemadmodum erit unumquodque, ac particulares motiones prævidens, &c.* S. P. Aug. lib. XII. de civit. Dei cap. 20. *In una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium, & mutabilium, &c.* III. Probatur ratione: Deus videt quæ à sua voluntate dependent, quæ ad ipsius quoquo modo spectant efficientiam, quæ in ejus aut arte, aut idea, aut decreto quomodolibet continentur: Nihil fuit unquam, nihil erit, nihil esse potest, quod non pertineat ad vim effectricem Dei, ad ejus artem, voluntatemque: Ergo nihil est quod Divinam possit latere scientiam.

6. Objectio 1

Opp. 1. Beatus Hieronymus in 1. Caput Habacuc ait: *Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.* Non ergo Deus habet rerum minimarum cognitionem.

Resp.

Solutio. Resp. dist. cons. Non habet rerum minimarum cognitionem simplicem, nego: cognitionem providam, subdist. cum amore studioque particulari conjunctam, qualem habet de nobis conc. universalem, quam postulat singularum creaturarum conditio, nego. D. Hieronymum denegare solam specialem curam, providamque ac sollertissimam rerum minimarum inspectionem, qualem Deus habet hominum, quibus & angelorum custodiam deputat, & innumera gratiarum dona largitur, non vero detrahere generalem dispositionem, ac ordinem, ex verbis patet, quæ immediate præcedunt & subsequuntur. Subdit namque: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium prævidentiam esse dicentes.* Atque hæc præmiserat: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia; sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Neque Hieronymus aliter sentire potuit, qui Epist. III. miratur Creatoris solertiam *in minutis quoque animalibus formica, culice, vermiculis, & istiusmodi generis, quorum magis scimus corpora, quam nomina.*

7. Objectio 2. Opp. 2. Futurarum rerum cognitio dicitur præscientia: In Deo nulla præscientia est, ut docet S. P. Augustinus in lib. II. quæst ad Simplicianum q. 2., Greg. Magn. lib. XX. Moralium cap. 23. aliique apud Petavium lib. IV. Theol. Dogm. cap. VI. Ergo in Deo nulla est rerum futurarum cognitio.

Solutio. Resp. dist. minorem: In Deo non est præscientia, quæ rerum accessione perficitur, & qua objecta bis innotescunt, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt, conc. In Deo non est præscientia, qua immutabiliter omnia, quasi nunc gerantur, in sua simplici cognitione considerat, nego minorem. *Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est*, inquit S. P. Aug. in V. de civit. Dei cap. 9.

8. Objectio 3. Opp. 3. Paritur cognitio à potentia & objecto: Igitur si Deus cognoscat creaturas, istæ erunt causa Divinæ scientiæ.

Solutio. Resp. dist. ant. Paritur cognitio ex objecto, tanquam termino, conc. tanquam vi effectrice, nego.

9. Propositio 3. PROPOSITIO III. Neque latent Divinam scientiam futura quælibet contingentia & conditionata.

Futura contingentia ea sunt, quæ certam non habent & imperturbatam connexionem cum causis, sed vel libere pendent ab hominum voluntate, ut peccata; vel extra ordinem rerum eveniunt, ut monstra & ostenta. Conditionata vero sunt, quæ non erunt reapse, essent tamen, si certa poneretur conditio, ut Tyriorum pœnitentia, si Christi vidissent miracula: vel reipsa erunt certa conditione posita, ut negatio Petri, si ab ancilla tentabitur. Explicantur futura contingentia & conditionata.

10. Probatur Deum non latere futura contingentia, & conditionata. Probatur assertum de futuris contingentibus contra Crellium, Wolzogenium, aliosque Socinianos, I. Scripturarum oraculo. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*, legitur in Ps. XXXII. 15. *Signa & monstra scit antequam fiant & eventus temporum & sæculorum*, Sap. VIII. 8. Isaiæ 48. 8. *Scio quia prævaricans prævaricaberis.* Et cap. XLI. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* II. Probatur ex PP. Augustinus lib. V. de civit. Dei cap. 9. & 10. ubi Ciceronem Dei præscientiam negantem refellit, inter plurima hæc habet: *Deo certus est omnium ordo causarum &c.* Origenes apud Euseb. in III. de Præp. Evangelica: *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo ante futurum prænosse, ut scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam & excellentiam Divinæ mentis intelligit.* Cyrillus Alex. lib. IV. in Isaiam, *Deo natura convenit omnem habere & jam præteritorum & futurorum notitiam &c.* III. Probatur ratione; ac primum Deus non semel hujusmodi futura prædixit, ut regnorum eversionem, Messiæ adventum, vocationem Gentium, infidelitatem Judæorum, templi abominationem, & his longe plura: Ergo prænoverat; atque ut scribit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. V. Divinæ præscientiæ tantos habemus testes, quantos ipse fecit Prophetas. Rursus sapientissimus artifex optime noscit quidquid elaboratis à se operibus potest contingere: Deus omnia in sapientia constituit: Novit ergo, ut scribit Ambros. lib. V. de Fide, suorum operum virtutem, causam, efficientiam, & quidquid potest inde prodire. Huc spectant argumenta, quæ petuntur ex idea comprehensionis, & omnia superiorum Propositionum.

11. Probatur de futuris, quæ talia sunt, si certa ponatur conditio. De futuris, quæ talia sunt, si certa ponatur conditio, exhibet nobis argumenta Dei verbum lib. Sap. cap. IV. 11. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum*

ctum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Præscivit ergo Deus quosdam, quos ex hac vita immatura morte subtrahit, crimina, si diutius viverent, patraturos. Legimus quoque 1. Regum cap. XXIII. 11. Davidi dum consuleret Dominum *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus*, id est Saul, respondisse Dominum, *Tradent*. Perfulgata est etiam prædictio futuræ pœnitentiæ Tyriorum & Sydoniorum, si Christi opera ac virtutes vidissent, Matth. XI. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

12. Confirmatur ex S. Augustino.

Multa sunt Augustini loca contra Pelagianos disputantis, quæ egregie hanc veritatem confirmant, veluti in lib. De dono perseverantiæ cap. XI. *His quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse: de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed aliter judicavit.* Et lib. de Corrept. & Gratia cap. VIII. *Respondeant si possunt, cur illos Deus, cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animam eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.* Idem docet Prosper in Responsione VIII. ad Excerpta Genuensium, Cyrillus lib. III. contra Julianum, Gregorius Magnus lib. XXXIII. Moral. cap. 17. nunc 19. Bernardus serm. de Innocentibus, Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, Gregorius Nyssenus orat. de Infantibus, qui morte rapiuntur acerba, Magnus Leo serm. XVI. de Pass. cap. 2. Ratramnus Monachus lib. 2. de Prædestinat., & alii unanimiter.

13. Objectio 1. cum solutione.

Quædam circa divinarum prædictionum veracitatem, quæ à Socinianis objiciuntur vide lib. II. cap. VII. Propos. unica. Præter ea rursus oppones. Futura libera quæ ab hominum pendent arbitrio quamfrequenter Deus cum dubitatione prænunciat, ut Jeremiæ XXVI. 3. *Si forte audiant, & convertantur unusquisque à via sua mala.* Ezech. II. 5. *Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant.* Joel. II. 14. *Quis scit, si convertatur & ignoscat:* Matth. XXI. 37. *Verebuntur filium meum.* Joan. VIII. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis, &c.*

Resp. hæc & similia humano more dicta esse, scilicet ut homines loqui solent monita, doctrinamque adhibentes, atque ad probandum liberum hominis arbitrium: unde Hieronymus in locum cit. Matth. *Nostro*, inquit, *loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.* Et in Ezech. *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu.* Adverte, quandoquidem iste incidit sermo, adverbia dubitandi non semper importare incertitudinem. Ostendunt aliquando sollicitudinem, & spem erigunt, ut Exodi XXXII. 30. Moyses, qui tamen firmissime volebat orare pro populo, ait: *Ascendam ad Dominum, si quomodo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Et hoc sensu ait Deus per Joelem: *Quis scit si convertatur, & ignoscat?* Quandoque expletivæ particulæ sunt, quasi *utique, sane,* præsertim ubi in Græco respondet cum aoristo indicativi ἄν, *Si,* ut docet Priscianus: quod locum habet Joannis VIII. 19. quorum verborum sensus est: *Si me sciretis, utique Patrem meum sciretis,* ut adnotavit Salmeron tom. 1. pag. 320. Sæpenumero non dubitationem, sed rei difficultatem designant, ut Paulus ad Philip. III. 15. *Si quo modo occurram ad resurrectionem.* Nam numquam de mortuorum resurrectione Paulus dubitavit. Hæc tamen valent potissimum ex parte Dei, sive ejus certissima revelatione suppositа: & recte Augustinus tract. XXXVII. in Joannem: *Dubitationis,* inquit, *verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Opp. 2. Quæ contingenter futura sunt determinatam veritatem non habent: Nequeunt ergo à Deo prævideri. 14. Objectio 2.

Resp. dist. ant. Veritatem non habent determinatam in mente Dei, in qua immutabili æternitate consistunt quæcunque in tempore mutabili contingentia prætereunt, nego: in secundis causis mutabilibus subdistinguo, pro futuro tempore, quo dubio procul aut evenient, aut non, nego; pro tempore præsenti, quo apud homines futurorum ignaros manent suspensa, concedo. Contingentia esse determinata, ut inquiunt, in *actu signato,* sive pro tempore, quo eveniunt, demonstrant argumentis pluribus Dialectici. Nolo ea repetere. Alterum addo apertissimum. *Nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc sunt, antequam fierent eventura non fuerint;* inquit lib. V. de Consolatione Boetius. Quæcunque autem nunc fiunt, nunc determinate sunt vera; Atqui plura Solutio.

fiunt

fiunt nunc contingenter, ita ut potuerint non fieri: Ergo antequam fierent, & quando contingentia futura erant, habebant determinatam veritatem in *actu signato*, & pro tempore præsenti, quo jam actu sunt. Vide nostrum Ariminensem Dist. XXXVIII. Quæst. 1. art. 2. concl. 1. & Quæst. 2. art. 1.

15. Instantia. Instistes. Non alia ratione probant Dialectici futuris contingentibus determinatam veritatem inesse, nisi disjunctive, scilicet demonstrando quod vel non erunt, vel erunt, cum necesse sit ex duabus propositionibus contradictorie oppositis unam esse veram, alteram falsam. Ergo, inquit antiquus Theologus Aureolus, cognosci possunt à Deo futura contingentia tantummodo disjunctive; nempe id tantum noscit Deus, quod vel erunt, vel non erunt.

Solutio. Resp. Ratiocinari Dialecticos de veritate quatenus apprehenditur à mente creata, quam latet nexus causarum, ac temporum fluctuatio; non ut percipitur à mente divina minime obnoxia falsitati, & certos rerum eventus firmiter intuente. Alioquin erit nullum inter Dei, hominumque scientiam discrimen; ut bene ac sapienter in v. de Consol. Pros. III. Boetius: *Quæ est hæc præscientia, qua nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresiæ?* Quidquid dicam, aut erit, aut non. *Quid etiam divina providentia humana opinione præstiterit, si, uti homines, incerta judicat quorum est incertus eventus?*

16. Objectio 3. Opp. 3. S. P. Augustinus, Prosper, & Fulgentius scientiam conditionatorum rejiciunt.

Solutio. Resp. dist. ant. Rejiciunt in sententia Pelagianorum, qui electionem Dei commentitiis meritis subjiciebant asserentes homines prædestinari ex præscientia bonorum operum naturæ viribus, non gratiæ auxilio perficiendorum, & in sensu Semipelagianorum, qui affirmabant ex duobus parvulis unum non alterum consequi gratiam baptismatis, quod præsciret Deus illum non istum, si vixissent, fore sibi obtemperaturum; concedo: Rejiciunt hi Patres scientiam conditionatorum in sententia Catholica, quæ docet præscire Deum futura conditionata, si certa ponatur conditio, quam nos in operibus naturalibus liberis contendimus esse determinationem voluntatis sese ad agendum applicantis, & in supernaturalibus auxilium Divinæ gratiæ; nego antecedens.

Propositio IV. Deus intimas cujusque creaturæ rationalis scrutatur cogitationes, & quæcunque peccata. 17. Propositio 4.

Sequitur ex enucleatis hucusque; & hæc possunt addi: Ps. LXVIII. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Et CXXXVIII. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Job. XXXI. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Jerem. XVII. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, &c.* Vide & Ephrem Syrum Tractatu de vita spirituali, Ambrosium lib. 1. de Off. cap. 14. Hilarium in Psalm. 137. Bern. Epist. 42. Prosperum Sent. 379. qui omnes subscribunt Augustino dicenti lib. III. de lib. arb. cap. 4. *Deus prævidet eos qui propria voluntate peccabunt, &c.* Suffragatur & ratio: nam cordium cogitationes vel ad bonum sunt, vel ad malum: si ad bonum, ab ipso Deo præmovente efficiuntur; si ad malum, permittuntur, sinente Deo, ut mutabilis creatura sponte ab incommutabili bonitate deflectat: At novit Deus quidquid misericorditer operatur, providoque consilio permittit: Ergo, &c. Probatur Deum Scrutari cogitationes & peccata.

Opp. 1. Habacuc 1. 13. legitur: *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Et Matth. XXV. 12. fatuis virginibus respondetur à Sponso: *Amen dico vobis, nescio vos.* Igitur reprobi eorumque mala opera à Deo minime cognoscuntur. 18. Objectio 1.

Resp. dist. cons. Mala reproborum opera non cognoscuntur à Deo scientia practica, & approbationis, concedo: Scientia simplici, & speculativa, nego. Prophetam Habacuc de priori scientia loqui satis constat; miratur enim cur Deus patiatur Chaldæos tanta perpetrare flagitia, & victorias suis idolis referre. Addit propterea: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se?* id est, cur pateris, cur hæc permittis? Legebatur ante Sextinam correctionem: *Quare non respicis?* & idem sensus est, scilicet, quare non punis, non vindicas? In Evangelio pariter ea verba, *nescio vos*, æquivalent his, *vos pro meis non habeo.* Frequens est in sacris Bibliis hæc phrasis, & scientia approbationis designatur Psalm. 1. 6. *Novit Dominus viam justorum.* 2. ad Timoth. II. 19. *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, & alibi, Hebræorum more, qui hac significatione usurpant verbum יָדַע, *novit.* Solutio.

19. Instantia. Insurges. Genes. XXII. 12. ait Dominus ad Abraham: *Nunc cognovi quod times Deum.* Ergo ante immolationem Isaac de ejus fide & obedientia anceps erat.

Solutio. Resp. nego conseq. Sensus enim prædictorum verborum est, nunc experimento comprobatum feci quod Deum timeas. Primo quoniam consueta est phrasis hæc in Scripturis, ut Jeremiæ XXIV. 5. *Si cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldeorum, in bonum.* Deinde quia antea Gen. XVIII. 19. dixerat Deus se optime Abrahami probitatem noviſſe. Demum, quia ita hunc locum intelligunt S. P. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. LXXXIII. quæst. Q. LX. Ambrosius lib. v. de Fide ad Gratianum cap. VII. & VIII. Hilarius lib. IX. de Trinitate, aliique plurimi, qui nobis in obscurioribus Scripturæ locis facem præferunt.

20. Objectio 2. Cum solutione. Opp. 2. Peccata nihil sunt; ergo omni carent cognoscibilitate.

Resp. dist. consequens, carent cognoscibilitate intrinseca, qua cognoscantur tanquam aliquid positivum à causa efficiente productum; conc. carent cognoscibilitate extrinseca, qua videantur tanquam aliquid privativum in causa à veritate ac bonitate deficiente, nego. Diximus lib. 1. cap. VIII. Prop. 2. disputantes adversus Manichæos malum non esse substantiam aliquam, sed secundæ causæ à recta ratione deficientiam. Quare ut malum cognoscatur, sufficit si videatur causa secunda à justitiæ tramite, & regula veritatis deflectens. Vide quæ illic diſſeruimus, & clariſſimum Ægidium in 1. dist. 36. quæst. IV.

Eadem ratione cognoscuntur à Deo impossibilia, idola mentis, quæ dicimus *entia rationis*, & privationes quæcunque. De his Scriptor de Divinis nominibus cap. 2. ait dignosci formis oppositis, ut per ideam lucis notescunt tenebræ: quod Scholæ dicunt cognosci *indirecte & oblique*. Nolumus hic quæstionem miscere, quo in medio hæc omnia videantur à Deo. Jam cuncta ab illo cerni liquido comperimus, & cum Boetio lib. v. Metro 11. fideliſſime profitemur:

Uno mentis cernit in ictu
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque,
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

CAPUT III.

Num Dei præscientia cum animorum libertate consistat?

SUMMARIUM.

1. Ex opinione Democriti portenta errorum exorta sunt.
2. 3. 4. 5. 6. Ex Divina præscientia non consequitur inevitabilis contingentium effectus.
7. 8. 9. 10. 11. Satisfit objectionibus.

1. An Præscientia Dei cum animorum libertate consistat. TETERRIMA ex opinione Democriti portenta errorum exorta, norunt quotquot veterum scita legerunt. Cum enim ille censeret à causis antecedentibus pendere omnia, & tali colligatione conserte fieri, ut nec quidquam esset penes nos, & cuncta necessitate contingerent; jecit semina inevitabilis dispositionis & fati, quod vertente quarto sæculo in siderum impulsu statuit Priscillianus Hispanus genere, & Manichæorum & Gnosticorum dogmate imbutus. Ex quo fonte Joannes Us, & qui post illum fusi sunt inficiari libertatem arbitrii, quod everti putant ex certa supernarum causarum ratione, pus venenumque biberunt. Ubi de antiquis Philosophorum placitis, præsertim Hæracliti & Democriti diſſeruit ornatiſſime Marcus Cicero in lib. de Divinatione & de Fato; ne fatalem illorum fateretur necessitatem, satius esse existimavit si superiorum causarum diathesin, divinamque præscientiam negaret. Atque ita, *ut homines faceret liberos*, inquit S. P. lib. v. de Civit. Dei cap. 9., *fecit sacrilegos*, id est incaute substulit summi Dei cognitionem & cultum: quandoquidem non est Deus, qui universorum ordinem non comprehendit. Jam vero vindicata nuper Scientiæ Dei plenitudine, rejicienda est Gnosticorum & Hussitarum mala consecutio, quod ex præscientia consurgat contingentium necessitas, & interitus libertatis.

2. Propositio. PROPOSITIO: Ex Divina præscientia non consequitur inevitabilis contingentium eventus.

Probatur D. Præscientiam non consequi inevi-

Dogma istud Fidei probatur 1. In Dei scientia nihil est præteritum, vel futurum, sed sola incommutabilis æternitas,

tabilem contingentium eventum.

nitas, in qua nihil mutatur, nihil succedit; est autem successio quælibet & mutatio in rebus temporalibus & creatis. Quare Deus unico & indivisibili intuitu videt præterita, futura, ac præsentia, neque illi est aliquid futurum aut præteritum, sed præsentia sunt omnia, ut videbimus cap. sequenti. Atqui scientia qua cognoscitur aliquid præsens, sive præteritum, nullam infert rebus necessitatem: Ergo nullam necessitatem infert Præscientia, qua Deus cognoscit futura. Hoc argumento utitur S. Anselmus in libro de Concordia Præscientiæ Dei cum libertate, Boetius lib. v. de Consolat Prosa 4. & S. P. Augustinus lib. III. de lib. arbitrio cap. 4.

3. Probatur 2

Secundo: Si præsentia tolleret libertatem, hoc esset quoniam Deo infallibiliter certus est ordo omnium causarum: At ex quo Deo infallibiliter certus sit ordo omnium causarum, non infertur libertatis exitium: Ergo non tollit libertatem Dei præscientia. Prob. min. In serie & ordine omnium causarum sunt causæ liberæ, & hominum voluntates: Ergo ex quo cognoscat Deus ordinem omnium causarum, cognoscit quoque multa fieri à causis liberis & ab hominum voluntate. Argumentum est S. P. Augustini lib. v. de civit. Dei cap. x.

4. Probatur. 3.

Præterea: Deus procul dubio videt quidquid est ipse facturus, & hæc scientia non affert Dei operibus necessitatem; Si enim necessitatem inferret non esset in Deo libertas, forent omnia opera ejus æterna, & nihil operaretur in tempore: Ergo pariter scientia Dei non aufert operum causarum secundarum indifferentiam. Ita ratiocinatur S. Pater lib. III. de lib. arbitrio cap. 3.

5. Probatur 4.

Rursus: Plura fieri possunt, quæ tamen non fient; Ergo multa fient, quæ possent non fieri; aut saltem id non repugnat. Atqui si non repugnat quod fiant multa, quæ possent non fieri, non repugnat sciri aliquid esse contingenter futurum, id enim quod ita fiet ut possit non fieri, nihil est aliud quàm futurum contingens: Igitur non repugnat præsciri aliquid futurum, quod tamen possit non fieri. Quod argumentum confirmatur sequenti: Non pugnant invicem hæ duæ enunciationes: *Judas traditurus est Magistrum*, &, *Judas poterit Magistrum non tradere*: Ergo nec repugnantes sunt istæ, *Prævidet Deus Judam traditurum esse Magistrum*, &, *Judas poterit Magistrum non tradere*; & consequenter nec implicat quod Deus prævideat futuram Judæ proditionem, & tamen Judas libere & contingenter tradat Magistrum. Prob. ant. Hæ duæ propositiones, *Judas potest Magistrum tradere*, &, *Judas potest Magistrum non tradere*, sunt ambæ veræ, quoniam sunt, ut loquuntur dialectici, in materia possibili. Istæ vero, *Judas tradet Magistrum*, &, *Judas non tradet*, nequeunt esse simul veræ; est tamen vera una vel altera determinate, cum sint contradictoriæ: Ergo aut veræ erunt istæ duæ, *Judas tradet Magistrum*, &, *Judas potest Magistrum non tradere*: aut hæ, *Judas Magistrum non tradet*, &, *Judas Magistrum tradere potest*. Vide plura hujus generis apud Gregorium Ariminensem Dist. XXXVIII. Quæst. II. art. 3. lege & Boetium lib. v. Prosa VI.

6. Confirmatur.

Postremo: Constat ex dictis cap. I. prop. 2. Scientiam Dei esse eamdem incommutabilem Divinam substantiam, quæ dicitur *præscientia* connotative ad futuros eventus. Quare licet scientia sit Deo necessaria, præscientia tamen potuit non esse: quæ enim relative dicuntur, sublatis terminis immutantur, non quidem ratione sui, sed respectu connotatorum: Ergo præscientia, quatenus hoc nomine exprimitur, & dicitur connotative ad futura, est variabilis. Quod autem variabile est, nullam inferre valet contingentibus rebus necessitatem. De quo argumento vide Guilelmum Estium Dist. XXXV. libri primi §. 2.

OPPOSITIONES REFELLUNTUR.

7. Objectio 1.

Oppon. 1. Si Deus futura prænoscat, evenient omnia infallibiliter & necessario: Ergo aut non prænoscit, aut infertur inevitabilis eorum necessitas. Prob. Antecedens primum auctoritate, deinde ratione: auctoritate quidem, dicente Augustino in III. de Libero arbitrio cap. 4. & lib. VI. super Genes. cap. 22. *Aliter fieri non potest quod Deus præscivit.* Et Anselmo de concordia præscientiæ ac libertatis: *Illud quod Deus præscit, necesse est esse futurum.* Ratione autem, quoniam nisi fiat quidquid à Deo præscitum est, fallitur Dei præscientia: Dei præscientia nequa quam falli potest; Ergo quidquid à Deo est prævisum, illud fit immutabili necessitate.

Solutio.

Resp. cum Gregorio dist. XXXVIII. quæst. 2. art. III. Futurum comparari posse & ad causam primam æternam & immutabilem, & ad causas proximas obnoxias mutationi & temporales. Si referatur ad primam æternamque causam, quæ est Divina scientia, necessario evenire, si ad causas secundas ac proximas, contingenter. Quam respon-

sponsionem tradit Boetius lib. v. de Cons. Prosa ult. dicens: *Hæc si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis nexibus sunt absoluta.* Similia docet noster Ægidius in 1. Sententiarum dist. xxxviii. quæst. ult. nec non eodem loco S. Thomas. Ex quibus obiter noto, & hos Scholarum Principes ad contradicentes enunciationes solvendas aliquando ad nostram distinctionem connotatorum confugere. Quapropter dist. antecedens: Si Deus futura prævideat, necesse est ut eveniant reapse, connotative ad scientiam Dei, & primam causam immutabilem, concedo: comparate ad causas proximas mutabilitate permixtas, nego. Neque vero minimum pugnat eamdem rem si ad diversa referatur dici necessariam & contingentem. Atque distinguo eadem ratione consequens postremæ argumentationis. Idem est sensus verborum Augustini & Anselmi. Quum enim hi Patres animadverterent Deum unico simplicissimo intuitu cuncta pervadere, & præscientiam improprie de illo enunciari, cum comparate ad æternitatem nihil sit futurum; optime docuerunt fieri non posse, quin eveniant quæ Deus prævidet. Quemadmodum vero si rem præsentem intueamur, necessario ea præsens est, nec tamen causarum suarum detrahitur libertati; ita de Divina scientia ratiocinandum est, cui nil advenit, nisi ratione nostra, & comparate ad causas mutabiles. Proinde Augustinus lib. v. de civit. Dei cap. x. demonstrat, non ideo peccare hominem, quia Deus illum peccaturum esse præscivit, sed quia ille, cujus præscientia non fallitur, si homo peccare noluerit, etiam hoc ipse præscivit: & quia in serie omnium causarum etiam voluntates liberas in æternitate comprehendit. Et Anselmus præfato loco vocat hanc *necessitatem sequentem positionem rei.* Quam Theologi è Schola appellant *necessitatem consequentiæ, & in sensu composito.*

8. Objectio 2. Opp. 2. Præscientia Dei est certa, necessaria, immutabilis: At posita Dei præscientia exempli causa peccati futuri, sequitur ex dictis necessitate consequentiæ peccatum: Ergo peccatum consequitur certo, necessario, & immutabiliter. Prob. min. ex vulgatissimo axiomate, *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est.*

Solutio Resp. nego majorem; divina namque scientia, quatenus exprimitur hoc nomine præscientiæ non dicitur absolute, sed connotative, ideoque mutabilis est & contingens, ut supra diximus. Distinguendum est tamen inter certitudinem & necessitatem futurorum eventuum; qui dicuntur certi & infallibiles comparate ad scientiam, necessarii relative ad causam secundam & proximam: dicit enim infallibilitas & certitudo relationem ad mentem cognoscentis; quare non repugnat futura esse certa & infallibilia supposita Dei præscientia; quamvis minime sint necessaria si ad causas proximas comparentur. De præfato axiomate non una est eruditorum virorum opinio. Archiepiscopus Tranensis in libello de origine hæresis Pelagianæ & Joan. Gonzalez de Grat. suff. & efficaci art. 3. putant, damnatum à Sixto IV. in propositionibus Petri de Rivo, & ab eo revocatum, proferentes autographum testimonium Universitatis Lovaniensis. Negant id permulti, sed haud vereor quin absolute prolatum de quocunque antecedenti necessario sit falsum; præsertim de antecedenti quod necessarium est necessitate accidentali, & ex suppositione, quo pacto necessaria quoque est præscientia. S. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 13. respondet argumento *quod, quando in antecedente ponitur aliquod pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse quod in se est, sed secundum quod est in anima,* unde infert futurum contingens necessarium esse prout subest divinæ scientiæ, non quatenus est in se. Quam Angelici Doctoris responsionem pluribus exagitat Arriminensis, ab eaque recedit Estius quamquam in D. Thomam obsequentissimus. Et quidem infallibilis est consecutio ista: Scit Deus lapidem esse extensum; ergo lapis extensus est: & in antecedenti ponitur scientia quæ est actus animæ; nec tamen lapis extensus est secundum esse quod habet in anima. Quapropter tritissima est via, si negaveris hujus argumenti, Deus præscit Petrum E. G. peccaturum; ergo peccabit, antecedens esse necessarium absolute.

9. Instantia. Insurges: Dei præscientia est æterna, & si comparetur ad futura est præterita: Quod est æternum ac præteritum, est absolute necessarium: Ergo absolute necessaria est Dei præscientia.

Responsio. Resp. dist. priorem partem majoris, Dei præscientia est æterna si referatur ad id quod importat in recto, nempe ad Divinam substantiam omnia prævidentem, concedo: est æterna, id est, æterna sunt quæ prævidentur, nego. Quotiescunque sermo instituitur de attributis Divinis, quæ comparantur ad extrin-

trinseca connotata, nunquam ex æternitate infertur absoluta necessitas. Æterna est creatio si ad Divinam referatur substantiam, & tamen libera: æterna voluntas, & libera: æterna supernaturalium auxiliorum præparatio, sed libera. Distinguo & alteram partem minoris. Quod est præteritum, est absolute necessarium, id est necessario positum fuit, nego: scilicet ex suppositione quod fuerit, jam necessario præteriit, concedo. Futurum contingens quidnam est? quod poterit non esse, ut futurum Petri peccatum. Quidnam contingens præsens? quod potest non esse, ut præsens Petri ambulatio. Illud ergo quod ita præteritum est ut potuerit non esse, erit præteritum quidem, sed contingens. Atqui præscientia, ut ostendimus potuit non esse: Ergo quamvis dicatur præteriisse, est nihilominus contingens. *Præscientia Dei*, inquit Estius, *quatenus essentia Dei est, & æterna est & necessaria; sed quatenus connotat respectum ad futura, proprie non est æterna, cum sit tantum ens rationis: improprie tamen æterna dicitur, quia ab æterno fuit Essentia Dei cum hoc rationis respectu ad rem in tempore futuram.*

10. Objectio 3. Opp. 3. Dei præscientia est causa futurorum, posita causa consequitur necessario effectus: Ergo posita præscientia necessario evenient futura.

Solutio. Resp. dist. maj. Dei præscientia est causa futurorum, ut præscientia est, nego: ut idem est ac voluntas, aut providentia, directio & regimen supremi Numinis, subdistinguo, causa necessitatis adstricta legi, nego: plenissima operans libertate, concedo. Porro non omnem præscientiam esse causam rerum, indubitatum mihi videtur; legi enim apud S. Protoparentem in tertio de Libero arbitrio cap. 4. *Sicut tu quædam quæ fecisti meministi; nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est.* Quando ergo Theologi affirmant scientiam Dei esse causam rerum, id de scientia practica debet intelligi, quam priori capite definivi.

11. Objectio ultima. Opp. ultimo: Divina præscientia supposita non potest res non evenire; Ergo evenit necessitate.

Solutio. Resp. dist. ant. Non potest res non evenire necessitate simplici & absoluta, nego: necessitate conditionis & consequentiæ, concedo. *Duæ sunt necessitates*, ait Boetius Prosa ultima, *simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter, ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen cum graditur incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria fuit per conditionem divinæ notionis: per se vero considerata ab absoluta naturæ suæ libertate non desinunt.* Salvantur ergo hujusmodi repugnantiæ *notione Dei præsentaria*, ut diximus priori argumento:

Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,
Ante oculos Domini puncto subsistit in uno:

inquit Auctor Carminis de Providentia apud Prosperum. Vel respondetur, ut ad primum, futura evenire simul necessitate, & contingenter *diversa connotatione.*

CAPUT IV.

De creaturarum omnium in immutabili æternitate præsentia.

SUMMARIUM.

1. Varii modi, quibus creatura dicitur esse in æternitate præsens.
2. 3. Creaturæ omnes sunt præsentes in æternitate, in quantum æternitas interminabilis omnia simul comprehendit.
4. 5. Nulla creatura cognoscitur à Deo in æternitate ut ab æterno consistens.
6. 7. 8. Solvuntur objectiones.

1. Varii modi, quibus Creatura dicitur

PROXIMO sequitur limine perplexa quæstio de sempiterna rerum creatarum, ut D. Thomas appellat, *præsentialitate*, qua supra futurorum contin-

esse in æternitate præsens.

gentiam eventuum defendere conabamur. Verum tametsi distrahuntur Theologi, etiam qui de nomine beati Thomæ nuncupantur, quorum plerique præsentiam illam physicam esse contendunt, ut Cajetanus, Gonet, & major pars florentissimæ Scholæ, alii, objectivam tantum propugnant, ut Sylvester, Bancel, Hervæus; arbitor tamen posse dissidium componi, si ad rectas animi perceptiones à personantibus *mensurarum* voculis retrahamur. Itaque aliquam rem esse in æternitate, multiplicem sensum complectitur. Res dicitur in æternitate consistere, quod interminabilis æternitas omnia simul comprehendat, & quæcunque vario tempore peraguntur, dum sunt, immensæ ejus durationi respondeant, veluti omnia ædificia amplissimæ urbis continentur intra mœnia, & singulæ lineæ circuli reducuntur ad centrum. Rursus esse in æternitate ita accipi potest, ut ante omnia sæcula nedum in causa, verum etiam in se res extiterint, quemadmodum præsentes extant creaturæ: quod forte melius dixeris ab æterno, quàm in æternitate, consistere. Denique dicuntur à D. Thomæ discipulis creaturæ Deo in æternitate præsentes, quoniam existunt quidem in propria ipsarum natura, non comparate ad ipsas, quatenus sunt in aliqua temporis differentia, sed ad æternitatem, in qua nulla temporum successio præterlabitur.

2. Propositio

PROPOSITIO I. Primo modo explicato creaturæ omnes sunt in æternitate præsentes.

Probatur primo modo omnes creaturas esse in æternitate præsentes.

Auctoritate Sanctorum Patrum, & ratione probatur. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7. *Deo*, inquit' *quæ sunt futura præsentia sunt; & ei, cui præcognita sunt omnia, ventura perfecta sunt, sicut scriptum est: Qui fecit quæ ventura sunt.* S. P. Augustinus in xv. de Trinit. cap. 7. *Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia; ita ut nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint expectentur ut veniant, sed & præterita & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia.* Et lib. 2. ad Simplic. probat Dei præscientiam non esse, si proprie loquamur, præscientiam, sed scientiam, quod præscientia non sit nisi scientia futurorum: *Quid autem*, ait, *futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Et Magnus Gregorius lib. xx. Moralium cap. 23. *Quomodo est præscius dum nulla quæ futura sunt præsciantur? Scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt.*

Prob. 2. ratione. Hanc dotem habet æternitas, ut comprehendat simul universa: Si æternitati non essent omnia præsentia, æternitas non simul universa comprehenderet: Igitur æternitati præsentia sunt omnia. Præterea nulla sunt intervalla locorum, quæ non respondeant immensitati. Ergo neque ullæ temporum differentiæ, quæ non coexistant æternitati. 3. Probatur ratione.

PROPOSITIO II. Nulla creatura cognoscitur à Deo in æternitate secundo modo, videlicet ut ab æterno consistens. 4. Propositio 2.

Probatur. Fatentur id omnes Theologi, & probatur. Nulla creatura producta est ab æterno: Deus eo modo videt creaturas quo productæ sunt: Ergo Deus nullo modo videt creaturas productas & extra suas causas positas ab æterno.

PROPOSITIO III. Creaturæ non videntur ab æterno in propria consistentes natura neque comparate ad æternitatem, & in *mensura*, ut inquiunt, superiori, neque *mensura* propria, atque relate ad se. 5. Propositio 3.

Probatur ex S. Augustino. Ostenditur auctoritate Augustini: qui v. de Genes. ad literam cap. 18. ait: *Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? non enim quidquam fecit ignorans. Non enim fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent & erant, & non erant. Erant in Dei scientia; non erant in sua natura.* Probatur raitone: Nullo modo creatura existit in sua natura, nisi ponatur extra suas causas: Sed ponitur extra suas causas tantummodo in aliqua temporis differentia: Igitur creatura nullo pacto videtur ab æterno existens in sua natura. Ulterius existere in sua natura, & esse præsens solum in superiori *mensura*, aperta est repugnantia: Creaturæ in æternitate præsentes sunt solummodo in *mensura* superiori: Minime ergo sunt præsentes in sua natura. Prob. ma. Existere in superiori tantum *mensura*, est existere in arte Conditoris, & in virtute effectrice causarum: At implicat rem aliquam in propria natura consistere, & esse tantumin arte Conditoris & in virtute causarum: Ergo implicat esse in propria natura præsens, & existere solum in superiori *mensura*. Prob. minor; etenim quæ existunt solummodo in arte Conditoris, sunt ipsa vita artificis, & eadem Dei substantia & effectrix omnipotentia, ut demonstrat S. Pater in verba illa Joannis: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quæ vero esse habent in

pro-

propria natura, quamplura vita carent & anima: Atqui repugnat carere vita, & esse virtutem ac vitam supremi Artificis: Igitur repugnat creaturam aliquam in propria esse natura, & existere in arte Conditoris tantummodo.

OBJECTA DILUUNTUR.

6. Oppositio 1. Opp. 1. Postrema hæc propositio pugnat cum priori. Deus enim omnia intuetur præsentia, & omnia æternitati coexistunt; ergo sunt omnia Deo physice coexistentia ab æterno.

Solutio. Resp. nego consequentiam; aliud quippe est cernere omnia præsentia, aliud coexistere æternitati, aliud physice præsens esse ab æterno. Videre omnia præsentia est præsentaria notione omnia sive sint, sive non sint, adæquare: unde S. Thomas 1. de Veritate Art. v. ad 10. ait: *Quamvis res non fuerint ab æterno in propria natura, intellectus tamen Divinus fuit adæquatus rebus in propria natura futuris in tempore, & ideo veram cognitionem habuit ab æterno de rebus etiam in propria natura, quamvis rerum veritates ab æterno non fuerint.* Coexistere æternitati est inter creaturam & æternitatem nullum versari intervallum; quemadmodum coexistere loco est inter unum & alterum nullum intercipi spatium: quare æternitas quæ ab universis rebus nulla temporis intercapedine seiungitur, vere futuris rebus coexistit, sicuti cuilibet loco Divina immensitas. At existere ab æterno in propria natura, est semper in se fuisse etiam extra ideam, artemque omnipotentis Opificis.

7. Oppositio 2. Opp. 2. Videre rem præsentem est illam videre, ut est nunc: Si ergo Deus omnia videt in æternitate præsentia, omnia penes Deum in æternitate actu sunt.

Resp. dist. ma. Videre rem præsentem in propria natura concedo: rem præsentem in sempiterna scientia, nego. Vide quæ supra ex Augustino lib. v. de Gen. ad literam recitavimus. Vel dist. minorem: Deus omnia videt in æternitate præsentia, scilicet videt res omnes ab æterno existere, nego: videt immutabili cognitione, ac præsentaria notitia singulas res, prout in aliqua differentia temporis eventura sunt, concedo. Si quis ex altissima specula videat copias militum servato ordine accedentes ad arcem, & successivis lineis gradientes, uno contuitu cernit proximiores & remotissimos, quod non contingit exercitum in planitie spectanti. Ergone milites omnes jam accesserunt ad mœnia? Ita Deus in prætereunte creaturarum serie tam præsentes, quam futuras prope suisque oculis proximas intuetur; neque tamen consequitur jam universas ad temporis differentiam, sine qua nequeunt existare, perenni veluti cursu accessisse. Responsio.

8. Oppositio 3. Opp. 3. Divina scientia est immutabilis: Ergo habet semper objecta præsentia.

Resp. dist. antecedens, est immutabilis comparate ad Divinam substantiam omnia videntem, concedo: relative ad rem videnti Deo subjectam, nego. Juxta doctrinam Aegidii dist. XXXVIII. q. 1. art. 2. negatur consequentia; Scientia enim dicitur mutabilis, vel immutabilis à principali objecto, quod in Deo est ars omnipotentiæ plena omnium rationum incommutabilium. *Ibi*, inquit S. P. 6. de Genes. ad lit. cap. ultimo, *novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, & ideo cum decedant & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei.* Si quid vero remanet diluendum, facile ex dictis convellitur. Responsio.

CAPUT V.

Deum in suis ideis, & etiam immediate universas conspicere creaturas.

SUMMARIUM.

1. Deus videt creaturas in suis ideis, & quid sint ideæ.
2. Videre objecta in se ipsis duplici sensu accipi potest.
3. Deus videt omnia in se ipso, & in incommutabili rerum intelligibilium ratione.
4. Non videt Deus creaturas in se ipsis in sensu D. Thomæ.
5. Deus videt creaturas in se ipsis immediatè in sensu Gregorii Ariminensis.
6. 7. 8. 9 Solvuntur objectiones.

1. Deus videt in suis ideis creaturas, & quid sint ideæ.

SUBJICIT nunc quintum caput de medio, in quo Deus creaturas intuetur, disquisitionem. Non ambigitur quin cuncta in ideis suis introspiciat; sed quid sint istiusmodi *ideæ*, Theologi inquirunt. At cum plura, quæ huc attinent,

pacto, quo medicus in corporis humani temerie bonas, seu malas prævidet, valetudines. Prænunciant ex adverso harum calamitatum finem, si velint à nocendo desistere. Sed etiam hæc, quæ in suis dispositionibus prævident, non semel ex improviso ac repente mutantur, quia *desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet.* Hoc pacto fallitur etiam Medicus arte sua, falluntur agricolæ, falluntur nautæ: quorum exempla appositè Augustinus refert quinto & sexto capite ejusdem libri. Atque hoc est discrimen inter prædictiones Divinas, ac dæmonum: quod Deus in sui dispositione non fallitur, neque potest ab exteriori causa impediri: dæmon vero, nisi potestatem accipiat, nihil adoritur, & quæ disponit, Dei nutu invertuntur sæpenumero, & immutantur.

18. Nota 8. VIII. Denique nonnulla prædicunt, etiam in sui perniciem, non cognitione propria, sed auditis Prophetarum vaticiniis, quæ nunc manifestant, ne ignari victique putentur; nunc astute reticent, ne incipiant ab hominibus deseri atque contemni. Hoc pacto non ignorantes verba Domini apud Sophoniam cap. II. 11. *Attenuabit omnes Deos terræ;* eversionem templorum suorum aliquando prænunciarunt, ut cap. VII. citati libri docet S. Pater: ideoque δαιμόνιοι, id est *Divinantes*, magno cum dedecore facti sunt *ex eloquiis prophetarum, vel ex oraculis Angelorum.* Has omnes præceptiones tradit capite vicesimo secundo Apologetici Tertullianus his verbis: *Dispositiones Dei nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Cræsi, sciunt Pyrrhi. Habent de incolatu aeris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cælestes sapere paraturas, ut & pluvias, quas jam sentiunt, repromittant. Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, postque desinunt lædere, & curasse creduntur.* His ergo præceptis divinationes, & oracula dæmonum refutato.

CAPUT XIII.

De altera Angelorum proprietate, id est flexibili voluntatis arbitrio.

SUMMARIUM.

1. & 2. Præmittuntur notanda. à num. 3. usque ad 10. Resolvuntur quæstiones omnes, quæ circa amorem, & voluntatem Angelorum instituì possunt.

1. De flexibili voluntatis arbitrio Angelorum. POLLENT spirituales substantiæ non solum percipiendi & intelligendi facultate, sed etiam amandi, & volendi: & hanc *voluntatem* communiter appellamus. Fertur hæc amore in bonum; atque, ut dictum est cap. ultimo lib. 4. in bonum in communi, & in perfectum ac summum cognitum omnimoda claritate in se ipso, trahitur necessitate, neque aliam habet libertatem nisi *lubentiæ*, eoquod tale bonum ei proponatur absque indifferentia judicii. Sed circa objectum particulare, sive creatum sit & aliqua ex parte imperfectum, sive summum etiam & incommutabile cognitum *abstractive*, non perspicuitate plenissima, habet cum mutabilitate judicii veram propriamque libertatem indifferentiæ. Hanc sub omni gratia quantumvis vivida & efficaci in viatoribus hominibus permanere, adversus Jansenianos Catholica definit Ecclesia. In Angelis sanctis, piisque animabus Deum videntibus facie ad faciem, quemadmodum judicii flexibilitas, ita arbitrii indifferentia minime reperitur. Licet tamen Beati in amore Dei, quem lumine gloriæ conspiciunt nullam habeant indifferentiam, in cæteris omnibus liberrimi sunt; non tamen mereri possunt, saltem essentiale præmium, quia jam ad terminum pervenerunt: ut docet Magister Sentent. lib. IV. dist. 5. S. Thomas ibidem q. 2. art. 1. Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. arbitrio cap. 14. aliique Theologi. Ea in beatis necessitas amandi Deum est essentialis & physica, quia Deum videntes omni claritate, non habent judicium indifferens, quod requiritur ad essentiam libertatis indifferentiæ. Res in dæmonibus pauliſper diversa est: Hi peccant ex necessitate duntaxat morali, cui absolute reluctari possent, si vellent; sed propter obstinationem nunquam usuri sunt liberæ potestatis arbitrio: quare vere peccant, sed pœnam essentialem mereri non possunt, cum sint in termino, atque est in eis ad cumulū pœnæ maligna ipsa voluntas.

Ha-

2. De duplici causa obstinationis dæmonum.

Habet autem hæc dæmonum obstinatio duplicem causam. Prima est quod non possunt habere auxilium gratiæ; nam ut legitur in libro de Fide ad Petrum: *De Angelis Deus hoc disposuit & implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet:* altera causa est acerbissima pœna gehennæ, & consideratio felicitatis amissæ, unde oritur tristitia, desperatio, & insanabilis animi ægritudo sine ulla rerum meliorum expectatione. Quamobrem turpissime aberrant Calviniani & Jansenistæ, tum eamdem sine indifferentia libertatem statuentes in patria sub lumine gloriæ, & in via sub gratia Reparatoris: tum etiam affirmantes necessitatem male agendi in damnatis ejusdem generis esse cum necessitate amandi Deum in beatis; cum evidentissime constet in illis moralem esse, ortamque à malignæ voluntatis obstinatione; in his vero physicam & essentialem, quæ provenit ex visione intuitiva summi boni, ad cujus amorem quisquis videt ipsam Dei essentiam naturaliter determinatus est, ut docet S. Thomas P. 1. q. 60. art. 5. ad quintum.

3. Assertiones de amore & voluntate Angelorum.

Solvuntur ex his quæstiones omnes, quæ circa amorem & voluntatem Angelorum possunt institui. Ac principio manifestum est primum actum amoris, non indeliberatum illum, & à Deo, qui in Angelis simul naturam condidit, & largitus est gratiam, inspiratur, sed ab eorum voluntate elicitum, sive eum, quo merito permanentiæ, fultique adjutorio *sine quo* adhæserunt Creatori, fuisse actum amoris liberi, vera libertate, quæ in omni statu tam sanæ, quam infirmæ naturæ ad meritum prærequiritur; propterea quod non habuerunt Angeli statim ac facti sunt plenitudinem beatitudinis, visionem Dei intuitivam, & certissimam illam scientiam, per quam indifferentia ac libertas *à naturali necessitate* penitus tollitur. Liquet præterea, quod Angeli postquam majori accepta per Spiritum Sanctum abundantia charitatis assecuti sunt pleniſſimam illam perfectissimamque scientiam, actum amoris non quidem liberum, non indifferentem, non meritorium erga summum bonum elicere valuerunt, sed necessarium, & immunem duntaxat *à coactione*, qui à ratione meriti omnino disjungitur. Amorem vero, quo Deum super omnia caste, & cum merito dilexerunt, non fuisse plane naturalem, sed ex gratia, cum ex nuper dictis consequitur, tum ex propositione 1. cap. VII. Num vere sive Angelus, sive homo nullius concupiscentiæ raptus inflexione possit absque gratia Deum super omnia diligere amore nulla depravata cupiditate permixto, litigiosa disputatio est sequentibus libris tractanda. De actu autem malæ voluntatis, quo angeli mali ab illuminatione initio accepta ut sapienter beateque viverent, aversi sunt, neque excellentiam sapientis, beatæque vitæ obtinuerunt, ambigendum non est, quin efficienter prodierit à solo libero arbitrio, quo Deum deserentes justum judicium experti sunt; ut docet Augustinus de Corrept. & Grat. cap. x. & nos commonstravimus 1. & 11. Propositione cap. VIII.

4. An Angelus possit transgredi legem naturalem.

Posse quoque Angelum transgredi naturalem legem, positis his principiis, res ipsa loquitur. Etenim, cum nulla creatura indeclinabiliter tendat in aliquod particulare bonum, sed tantum naturaliter determinata sit ad bonum in communi, & ad summum bonum clare visum, quod sane totam rapit, trahitque ad se voluntatem; intellectus Angelorum nunquam fallitur circa veritates universales sibi naturaliter plane notas, sed circa hoc vel illud verum habet veram plenamque indifferentiam judicii; ideoque falli potest judicio saltem practico, & in peccatum delabi. Quapropter cum intellectus Angelorum sit tantummodo *in actu*, ut inquiunt, ad veritates universales, & *in potentia* ad hoc vel illud verum determinatum, est revera *discursivus;* quamquam ut inferat unam veritatem ex alia non eget temporis intervallo, neque experitur impeditionem & moram, cui subjicitur homo ob animi in corpore receptaculum. Igitur quidquid aliqui afferunt ad probandum non posse Angelos ex inadvertentia & errore circa naturæ legem delinquere, quoniam rerum naturalium clarissima in luce versantur, neque aliqua ratiocinatione proficiunt, est omnino falsum, mentitum, plenumque erroris. Verissimum tamen est hujusmodi inadvertentiam seu ignorationem non esse invitam, & eam, qua, dum torquet perversa cupiditas, non possumus à libidinosis operibus temperare, nisi gratia Christi vulnera nostra sanante: hæc enim ignorantia non est natura institutæ rationalis creaturæ, sed pœna damnatæ; ut de homine docet Augustinus lib. 111. de lib. arb. cap. 18. & in 1. Retract. cap. 9. Fuit ergo ante peccatum in Angelis ignoratio & inadvertentia hoc tantum sensu, quod cum possent facile animadvertere solum Deum esse sum-

si & ipse *formaliter* essem lapis. Atque ita continere *formaliter* creaturas repugnat Deo, non repugnat illas undequaque cognoscere. Quod si eadem esset ratio utriusque; Deus, quia nequit habere malitiam, non judicaret peccata; neque spiritualis corporalia videret, aut infinitus finita.

CAPUT VI.

Non prænoscere Deum futura libera naturalis ordinis in præfinitionibus & decretis prædeterminantibus.

SUMMARIUM.

1. Declaratur status quæstionis.
2. 3. Duo præmittuntur scitu necessaria.
4. 5. 6. Author nec Thomistis, nec scientiæ mediæ defensoribus, Calvini, aut Jansenii notam inurit, nec aliâ censurâ perstringit.
7. 8. & seqq. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, adeoque ea non prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione.
15. 16. 17. 18. 19. Probatur, præfatæ assertioni Doctorem Angelicum non esse adversum.
20. & seqq. Solvuntur objectiones.

1. Declaratur status quæstionis.

D. Thomæ discipuli prædeterminationis physicæ assertores ac vindices strenuissimi illam in unaquaque causarum secundarum operatione necessariam esse defendunt. Ab ea pendere putant, ut cujusque generis effectus ad naturam pertranseant futurorum: talem esse ajunt conditionem causarum secundarum, ut nihil valeant peragere nisi inflexibili Dei præmotione: nullum indifferens posse solis viribus nativis in certum actum prodire; & tamen creaturarum dependentiam à Deo, earumque libertatem his limitibus contineri. Clamant ex adverso Societatis Jesu Theologi futura omnia talia esse independenter ab istiusmodi præfinitionibus: has primum à Bannes inductas ad implacabile Scholasticorum dissidium: veteribus Theologis fuisse incompertas: ad Jansenianorum & Calvinianorum dogmata accedere; præstantissimum Conditoris beneficium, arbitrii scilicet libertatem, evertere. Nos librata undequaque absque ullo partium studio veritate à multis annis medium iter arripuimus, quod calcasse comperimus etiam veteres Instituti nostri Magistros. Ergo cum Thomistis efficaces promotiones propugnamus in operibus supernaturalibus status naturæ lapsæ, quæ efficiuntur ab hominum arbitrio victrice gratia suffulto; ab operibus naturalibus, & statu naturæ nullo vulneratæ peccato, tanquam minus necessarias rejicimus. Has quæstiones pertractant Theologi in dissertationibus de Voluntate ac Providentia Dei; & revera decreta & præfinitiones attinent ad voluntatem: quare agentes de scientia Dei eas tantummodo explicant, ut Divinæ cognitionis medium constituant. Verum visum est singulas, quandoquidem necesse est, ut jam telam ordiamur, hoc eodem libro expedire.

Acturis ergo de Divina prædeterminatione in operibus naturalibus, præmittendum est neminem nostrum negare præmotionem Dei generalem, qua Deus humanam mentem incessanter illuminat rerum ideas exhibendo, & voluntatem inclinat generatim in bonum; ut fuse demonstrant Philosophi. Quamobrem exoritur contentio de motine speciali, & ad certum actum spectante, quatenus mens in hujus veritatis judicio sistit, & voluntas flectitur in hujus boni deliberatam electionem. Nam generalem illam motionem nullus inficiabitur, qui animadvertat creaturam nihil habere à seipsa, neque mentem esse causam sui luminis, suique nisus & propensionis principium. Concursum quoque simultaneum, quo Deus causas à se productas regit conservatque unanimi sensu defendimus. Quare ad solam illam specialem ac prædeterminantem motionem præsens controversia devolvitur. 2. Notandum 1.

Secundo præmittendum est Physicam prædeterminationem nequaquam à nobis rejici ob vocabuli novitatem, ut in eam debacchatur Auctor libri, qui inscribitur: *Calvinismus bestiarum*. Quælibet enim hæresis novas quæstiones, & inusitata vocabula in Ecclesiam invexit, quibus & diligentius veritas custoditur, & falsitas exploditur manifestius. Ita Ephesina Synodus Virginem Mariam nominavit *Theotocon*, & Florentina docet rectissime ad Symbolum Nicænum additam novam particulam, *Filioque*. Insigne quoque habemus exemplum in vocibus *Homousiu*, & *Transubstantiationis*; quarum primam contra Arianos, alteram contra Novatores usus consecravit Ecclesiæ. Non est quidem hujus 3. Notandum 2.

generis

generis nomen physicæ prædeterminationis, neque Sacrorum Canonum definitione probatum; sed jam in ore omnium versatur, & ubi specialem motionem juxta Augustiniana scita interesse arbitrabimur, absque profanæ novitatis piaculo illud sæpissime pronunciabimus.

4. Defenduntur à Calvini, & Jansenii nota Thomistæ.

Absit vero ut vel suspicione levissima existimemus Calvini aut Jansenii notam juste inuri Thomistarum sententiæ. *Quem enim invenient Jansenianı inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ quamdiu illa inhæret, quemadmodum necessarius est amor beatificus quamdiu durat visio? Quem invenient qui dixerit voluntatem Divina gratia prædeterminatam carere proxima ad dissentiendum potentia?* Ita temperato calamo scribit libro de Libertate incoacta prædeterminationis physicæ impugnator Annatus.

5. Defenduntur scientiæ mediæ defensores.

Pariter Scientiæ mediæ defensores, illos nempe, qui defendunt futura libera independenter à decretis prædeterminantibus videri à Deo, nulla possumus censura perstringere. Nam in celebri Congregatione de Auxiliis habita coram Summis Pontificibus Clem. VIII. & Paulo V. causa acerrime pertractata, nihil Magistra veritatis Ecclesia rata est definire, ut possis interim pro lubitu seu Molinæ, seu Thomistarum sententiam in Scholis tenere. Commemoratur quidem decretum Pontificis, quo scientia illa media proscribitur, pictisque tabellis in Historia de auxiliis conspiciuntur ad genua provoluti hinc Prædicatores promulgationem flagitantes, illinc vero supplices Jesuitæ postulantes ne publicetur peremptoria Sedis Apostolicæ definitio. At assertæ istiusmodi Constitutioni nullam omnino fidem esse adhibendam Innoc. X. ann. 1654. die 23. Aprilis publico decreto sancivit, quod revera non fuerit ex præscripto juris promulgata. Vetitum autem à Paulo V., Urbano VIII. & præfato Innoc. ne hanc quæstionem agitantes, Adversarios suos dicteriis, ac censuris proscindant; quod nedum à nobis postulat Sancta Mater Ecclesia, sed etiam mutuæ charitatis necessitudo, & amor investigandæ veritatis ingenuus. Quæ an servent aut invidiosas Pelagianismi notas, aut nefaria Calvini placita adversariis objicientes, ipsi viderint.

6. Defenditur D. Thomas.

Tandem neque illos laudare possumus, qui D. Thomam omnium approbatione clarissimum, tanquam vulgarem Scriptorem contemnunt. Hunc Scholarum principem ducemque reverentur celebriores Academiæ, Salmanticensis, Duacensis, Lovanienſis, Patavina, aureaque tabula universæ Ecclesiæ lumen præfulgidum, clarissimumque Universitatis speculum appellat Parisiensis. Præ cæteris Regularium Ordinum Statutis, illius doctrinam approbant quoque Constitutiones nostræ P. v. cap. 2. Ex tanta autem erga D. Thomam existimatione nostra nemo jure à nobis contenderit, ut nunquam ab ipsius placitis recedamus, quod neque Augustino vellem ego concedere, si alicubi errasse deprehenderem. At neque Doctorem Angelicum à nobis dissentire in his controversiis dicturi sumus, quod erit magnum reverentiæ nostræ argumentum. Quod si ægre ferant Prædicatores doctissimi; non proinde minor nobis erit sive Thomæ, sive Scholæ, quæ de ejus nomine dicitur, existimatio.

7. Propositio I.

Propositio I. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, & consequenter neque ea prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione.

Ita unanimiter recentiores Theologi contra Thomistas, nedum Jesuitæ, sed etiam alii, Tournely, Habert, L'Herminier, Henno, Thomassinus, Witasse, &c. Laudant pro se Thomistæ aliqui Claudium Frassen & fideliores Scotistas. Verum hi præfinitionem à prædeterminatione secernunt, & ab intrinseca præmotione decretum; ita ut in vocabulo isto *præfinitio*, particula *præ* nullam anteceſſionem causalitatis designet, sed præordinationis & præscientiæ mediorum ad actum. Ex quo igitur Scotistæ decreta, & præfinitiones fateantur, non consequitur quod etiam physicam statuant prædeterminationem. Recte Joannes Gonzales disſert. de Grat. suffic. art. 2. *Scoti discipuli*, inquit, *admittunt prædefinitionem, & negant præmotionem physicam intrinsece receptam in voluntate.* Nostri vero, præsertim Itali, unanimiter hanc propositionem defendunt, Adeodatus Summanticus Episcopus S. Severi, Fulgentius Bellelli Ordinis Exgeneralis, Felix Leoni Ex Procurator Generalis, eruditissimi & clarissimi viri ac præceptores mei sapientissimi Benedictus Gattini Procurator Generalis, Hieronymus Zazzeri Ex-Assistens Italiæ, & in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio publicus Sacrarum literarum Professor, & Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, Joannes Jacobus ipsius Frater, necnon Silvester Merani in Urbe Regens, qui omnes de naturæ viribus, & gratia

in

in hoc tantum ſtatu victrice præclara volumina conſcripſerunt: & quos hoc tantum loco honoris cauſa nominavi. Ex veteribus vero prædeterminationem phyſicam negant Martinus Albiz, Ægidius à præſent., Leonardus Coqueus, Petrus de Aragonia, Brunus, Antonilez, Gavardi, & alii.

8. Probatur 1. Probatur 1. propoſitio. Futura libera ordinis naturalis minime efficiuntur à Deo eadem efficaciter prædeterminante: Ergo in efficaci præfinitione à Deo non videntur. Conſequentia ſequitur, nos enim præfinitionem ac prædeterminationem indiſcriminatim accipimus de præfato Scotiſtarum diſcrimine minus ſolliciti. Probatur ant. Hanc Dei prædeterminationem propugnant Thomiſtæ vel ad ſalvandam dependentiam cauſæ ſecundæ à ſuprema, vel ut virtus indifferens creaturarum determinetur ad actum: At neutro ex capite hæc prædeterminatio requiritur. Non ad ſalvandam dependentiam creaturarum à Deo, primum quia ſtat perfecta hujusmodi dependentia ſi creatura inceſſanter illuminetur à Deo & ab ipſo nacta ſit inclinationem in bonum, quæ duo conſtituunt præmotionem generalem; & ſi Deus ſimultaneo concurſu creaturam ſuam regat. Tunc enim ſequitur cauſam ſecundam nil penitus operari, niſi adjuvante ſuprema. Atqui generalis illa præmotio, & conſervatio cauſarum ſecundarum non ſunt phyſica prædeterminatio, quoniam requiruntur ex parte potentiæ, non actus, & virtutem perficiunt, non prædeterminant. Salvatur ergo perfecta creaturarum à Deo dependentia abſque phyſica illa præfinitione. Præterea ita ſecundæ cauſæ ſubordinantur ſupremæ, ut hæc ad earum actus concurrat juxta uniuscujusque exigentiam: Cauſæ neceſſariæ, cum ad unum ſpecie effectum ſint ſuapte natura ordinatæ, in illud à Deo neceſſitate impelluntur: Ergo liberæ, & ad utrumlibet indifferentes verſatili tantum indigent præmotione. Rurſus eſſentialis dependentia ita intrinſeca eſt creaturæ, ut quidquid hoc titulo convenit, eſſentiali conveniat neceſſitate: Igitur ſi titulo dependentiæ ſtatuenda ſit phyſica prædefinitio; eſſentialiter & ex neceſſitate erunt prædeterminata quæcunque efficiuntur à creatura. Inſuper quod requiritur ratione eſſentialis dependentiæ requiritur quoque ex parte facultatis & actus primi, quum etiam facultas, & actus primus eſſentialiter à prima cauſa dependeant: Atqui ex parte actus primi non datur prædeterminatio: Ergo hæc prædeterminatio ratione illius dependentiæ nequaquam requiritur.

9. Notandum 1. Advertas tamen, quod cum dicimus prædeterminationem phyſicam non exigi ratione eſſentialis dependentiæ & vix componi poſſe cumſecundarum cauſarum indifferentia; non dicimus Dominum univerſorum non poſſe creaturam liberam in quocunque ſtatu prædeterminare, ſi velit. Magis quippe ipſe habet in ſua poteſtate voluntates noſtras, quam ipſi noſtras: & quomodo creaturam rationalem poſt Adæ culpam efficienter ad opera ſupernaturalia prædeterminat, ſic potuiſſet prædeterminare innocentem, & poteſt nunc, ſi ita ei videatur, ad naturales effectus determinare creaturam quamcunque liberam. Fatemur quoque, ſi id Deus efficiat, non conſequi neceſſario libertatis interitum, cum ille intimior nobis intimo noſtro non ſolam voluntatem, ſed etiam modum agendi prædefiniret, & contingenter fierent, quemadmodum fiunt, dum voluntas libere determinat ſemetipſam. Quod explicabimus cap. XII. Regula 11.

10. Notandum 2. Sed non arbitramur concedendum eſſe, hoc quod poteſt Deus, ita unicuique operi ineſſe, ut niſi Divina accedat prædeterminatio, nequeat creata libertas prodire in actum, eoquod talem habeat à ſuprema cauſa dependentiam, ut eſſentia ſua petat ad omnia opera prædefiniri. Hanc dependentiam in hoc ſitam eſſe contendimus, ut creatura moveatur à Deo ſecundum rationem proprietatis ſuæ, & indifferenter, ſi indifferens ſit, neque habeat in ſe contrariam atque ad oppoſitum trahentem inclinationem, qualis eſt in ordine ad opera ſupernaturalium virtutum liberum hominis arbitrium ſub pondere, & lucta concupiſcentiæ. Quod proximo capite VIII. demonſtrabitur enucleatius. Verumtamen ſi ita cauſa ſecunda pendeat à prima, ut nihil omnino, niſi ab hac prædeterminetur, valeat perficere, videtur eamdem eſſe conditionem cauſæ liberæ, ac neceſſariæ, cujus duntaxat proprietas eſt eſſe ad unum eſſentialiter determinatam. Atque niſi hæc probentur, & qualiscunque prædeterminatio videatur cum indifferentia conſiſtere, ut docent docti viri complures, ſaltem ex alio capite arbitror eſſe rejiciendam, quod in operibus naturalis ordinis neceſſaria non ſit, in malis vero etiam noxia.

11. Probatur de cauſa 2da indifferenti. Quod vero minime ſit neceſſaria, ut cauſa ſecunda indifferens prodeat in actum,

ctum, probatur: Indifferentia quæ ab alia causa exigit determinari, est indifferentia passiva, qualis est materiæ quæ determinatur per formam, & corporis vita expertis, quod ab extrinseco agente movetur. Atqui causarum liberarum indifferentia activa est, non passiva. Ergo causæ liberæ, tametsi indifferentes, nequaquam exigunt ab alia causa determinari.

12. Probatur 2. Probatur 2. Ad infallibilitatem Divinæ scientiæ necessaria non est certa futurorum prædestinatio: Ergo frustra ponitur decretum efficax ac prædeterminans, ut Deus certo futura libera præcognoscat. Prob. antec. Stat sine prædestinatione præscientia, dicente Augustino de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Ergo ad scientiæ certitudinem non requiritur prædestinatio.

13. Confirmatur. Confirmatur: Patres, qui de futurorum contingentium præscientia loquuntur, nullibi, nisi ubi sermo occurrit de operibus salutaribus, Divinæ efficientiæ meminerunt; sed ideo cognosci docent, quod Deus unico simplici actu universa comprehendat, omniaque sint ei in æternitate præsentia. Quorum verba protulimus Prop. 1. cap. IV. Imo sunt, qui diserte asserunt non propterea Deum aliqua prænoscere, quia prædestinata sunt; sed econtra quia futura erant, idcirco fuisse præscita, ita, ut non præscientia futuris vim inferat, sed futura causa sint præscientiæ: quod potissimum valet de operibus naturalibus, atque de malis culpæ. Si ergo Deo sunt omnia in æternitate præsentia, præsens est, & humana voluntas, præsens libera voluntatis determinatio, præsens omnis actus ab ista libera determinatione proficiscens. Quare ergo Thomistæ, qui illam physicam præsentiam majori, quàm faciant alii, contentione propugnant, aliud Divinæ cognitionis medium existimant necessarium?

14. Elucidatur. Postremo videri à Deo actus liberos ordinis naturalis in ideis rerum, quibus præconcepta est dispositio universi, in qua exhibetur cujusque creaturæ potestas, motus, affectio, & passio omnis intimior; & nullam videntis interesse præfinitionem, etiam idoneis demonstratur exemplis. Si enim ferocem equum fræna mordentem, & sessorem minime tolerantem à longe prospiciam; an non appropinquantem præcipitio casurum prænosco? aut si quem evaginato gladio in proximum furentem video, nonne occidendum præsentio? Et tamen neque habenas equi moderor, neque iracundum provoco ad necem. Igitur multo magis plura videt Deus absque efficaci præmotione, dum à futuris eventibus nullo temporis intervallo sejungitur, atque volentis & currentis naturam condidit, facultatem conservat, intuetur inclinationem, cordis cogitationes comprehendit.

15. Propositio 2. Probatur D. Thomam non esse contrarium assertioni. Propositio II. Non videtur alienus à præfata assertione Doctor Angelicus. Principio diximus physicam prædeterminationem necessariam non esse ad salvandam causarum secundarum dependentiam à prima, & hanc sola generali præmotione illas adjuvare, quam præmotionem creata voluntas pro suo lubitu determinet. At hæc videntur consentanea doctrinæ D. Thomæ: qui 1. 2. Q. IX. art. 6. ad 3. *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed interdum specialiter Deus movet ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam.* Docet ergo S. Thomas in operibus naturalibus voluntatem creatam determinare seipsam.

16. Probatur 2. Reponent Thomistæ, Angelicum Præceptorem *motionem universalem* appellare prædeterminationem naturaliter secundis causis applicatam, *motionem* vero *specialem* esse Gratiam victricem supernaturali beneficientia collatam. At Gratia est quidem specialis motio, & interdum quoque prædeterminans. Verum beatus Thomas huic tantum speciali motioni tribuit, quod moveat ad aliquid determinate volendum, in motione autem universali asserit tantum hominem per rationem determinare seipsum. Igitur per D. Thomam sola specialis motio, quæ est gratiæ, actum aliquem prædeterminat. Præterea veteres D. Thomæ Commentatores, inter quos Cajetanus, quem sui ceterorum principem esse fatentur, ita hunc locum interpretantur, ut Deus conferat voluntati determinatam volitionem hujus, illiusve boni eo tantum sensu, quod indidit rationali creaturæ inclinationem ad bonum, in qua, veluti conclusio in principiis, continetur omnis determinata voluntas; hanc vero determinare seipsam, quoniam nihil omnino velle potest, nisi habeat à prima

causa generalem illam volitionem. *Et hæc volitio*, ait Cajetanus, *est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moveri ab alio, etiam quoad exercitium actus: secundum hanc enim fertur actu in finem, & ex hac vult quidquid vult.* Quapropter, ut Deus sit prima causa cujusque motionis, sat est, si hæc determinata volitio ex inclinatione ad bonum procedat, absque ulla actus præfinitione. Rursus S. Thomas Q. 1. de Potentia art. 4. ad 3. ait: *Dicendum, quod licet causa prima maxime influat in effectum; tamen ejus influentia per causam proximam determinatur.* Et Q. CIX. 1. 2. art. 1. comparat Dei motionem illi, quam exercent in inferioribus cœlestia corpora: quorum universalis motio, ut docet Quæst. 2. de ver. art. 4. ab inferioribus corporibus determinatur.

17. Probatur 3. Secundo diximus non exigi physicam prædeterminationem à causarum secundarum indifferentia, cum ista activa sit, non passiva. Quæ non videntur doctrinæ Sancti Thomæ adversari. Nam ille in 1. contra Gentiles cap. 82. duplicem indifferentiam distinguit: unam quando potentia & virtus indifferens ad utrumlibet *Nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum possit determinari;* quam indifferentiam explicat *exemplo intellectus dubitantis, qui nondum assecutus est principia, ex quibus ad alterum determinetur*: altera est indifferentia ad utrumlibet, *cum operans perfectam habet virtutem, sed à neutro dependet;* quam indifferentiam declarat comparatione Artificis, *qui pro lubitu diversis utitur instrumentis.* Porro D. Thomas docet primam indifferentiam esse ab altera causa determinandam; & nequaquam alteram indifferentiam: ex quo infert Deum, tametsi indifferens sit ac liber, non determinari ab alia causa, quoniam habet in se infinitam, plenissimamque virtutem. Atqui per D. Thomam 1. 2. Q. CIX. art. 2. habet rationalis creatura per sua naturalia *sufficientiam operativam virtutis* ad plures naturales actus efficiendos, in hoc etiam corruptæ naturæ statu: Non erit ergo necesse, ut hujus virtutis indifferentia ab alia causa determinetur. Deinde Franciscus Ferrariensis Sacri Prædicatorum Ordinis Generalis Magister, & librorum contra Gentes Commentator illustris, hæc in citatum locum proloquitur: *Si aliquid sit indeterminatum per modum materiæ, & potentiæ passivæ, & sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet ut tale sit potentia, & ab aliquo extrinseco agente determinetur. Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, & ad utrumlibet se habentis ex parte ejus ad quod dicitur, oportet tale sit in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari, sed ipsum se ratione suæ libertatis determinare potest.* Quo in loco *indeterminatum ex parte virtutis.* Non appellat doctissimus Ferrariensis agens liberum & indifferens, sed causam nondum consecutam virtutis suæ perfectionem, atque *indifferentem passive.* Id enim & ex productis verbis fit manifestum, & ex collatione eorum, quæ præmissa sunt ex Angelico: tum quod asserat indifferentiam activam, & quæ ad operationem refertur, posse à causa secunda ratione suæ libertatis determinari; ac tandem quod virtute determinata ad unum ex parte potentiæ non causæ liberæ polleant, sed necessariæ.

18. Probatur 4. Diximus tertio Patres, ubi sermo instituitur de futuris contingentibus ordinis naturalis, nunquam asserere quod prævideantur à Deo in decretis prædeterminantibus, sed prænosci vi simplicissimi contuitus, quo & voluntates & earum determinationes, & opera nullo temporis intervallo à se separata dignoscit, quemadmodum videmus hominem voluntarie incedentem. Et similia docet Angelicus: qui 1. P. Q. XIV. art. XIII. demonstrat effectum contingentem non posse certo præsciri in sua causa, sed tantum conjecturaliter. Deum vero ideo illum cognoscere in sua causa, & prout est actu in seipso, quoniam Dei æternitas tota simul existens ambit totum tempus, & Dei intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt ei præsentia. Quoniam autem Thomistæ hunc locum judicant pro sua prædeterminatione invictissimum: præstat illum exscribere. Ergo ait S. Thomas: *Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt: sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Ubi animadvertunt Thomistæ, & omnium novissimus tempore, primus autem eruditione ac sapientia Cardinalis Gotti Quæst. v. de scien-

scientia Dei Dub. 1. §. III. num. XII. D. Thomam præter modum cognoscendi futura ratione *præsentialitatis physicæ in æternitate*, supponere alium modum certo ea cognoscendi, ut *objective præsentia* in ideis, non absolute sumptis, sed adjuncto decreto de illis producendis. At non audio in verbis Thomæ decretum istiusmodi. Plana est profecto loci hujus interpretatio: Deo ratione æternitatis omnia sunt præsentia, non solum rationes rerum & ideæ, sed etiam voluntates creatæ, earumque liberæ determinationes: videt proinde contingentia tam in rationibus illis, quàm in seipsis; ut nos præcedenti diximus propositione. Atque hæc adeo vera sunt, ut ubicunque de futuris contingentibus occurrit sermo, nullibi decreta prædeterminantia commemoret, sed solam eorum præsentiam. Loca sunt insigniora 1. P. Q. LVII. art. III. & Q. LXXXVI. art. 4. quæ studiosi poterunt seipsis expendere.

19. Probatur 5. Triplex ergo via aperitur concilianti textus Doctoris Angelici, in quibus asserit Deum futura cognoscere, quia ipse illorum est prima causa. Primo quia omnes causæ secundæ sese movent virtute universalis motionis, in qua Deus prænoscit liberam earum determinationem, non quod hæc sit à prima causa efficaciter præmovente, sed quia nulla creatura determinat seipsam, nisi vi generalis motionis. Deinde quia interdum causas secundas prædeterminat, etiam liberas, ac præsertim ad actus supernaturales hujusce status. Demum, quia ut videantur contingentia in causa, nulla alia determinatio requiritur præterquam causæ proximæ, si videnti nihil sit futurum; ut in incommutabili æternitate contingit.

AD ARGUMENTA, QUÆ IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

20. Objicitur 1. Contra prædicta arguitur 1. Videtur hæc nostra assertio adversari Augustino, imo, quod caput est, sacris literis. Etenim S. P. lib. de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* At Deus omnia operatur in nobis: ut passim legitur in sacris literis. Omnia ergo novit Deus *Prædestinatione*, & in efficaci decreto. Accedit quod Augustinus lib. XXVI. contra Faustum affirmat, illud esse sine dubio futurum, *Quod Deus vult.* Itaque absque Divinæ voluntatis præfinitione nequit prænosci futurum. Rursus S. P. in lib. de Corrept. & gratia cap. XIV. ait: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi nostras.* Quare si nos actus nostros liberos determinamus, potest eos prædefinire etiam Deus. Ulterius quod Israelitæ Saulem ac Davidem constituerint sibi reges: fuit naturalis actus in eorum positus voluntate; & tamen S. P. eodem loco asserit: Deum Israelitarum corda inclinasse *Omnipotentissima sua potestate.* Tradidit ergo Augustinus etiam actus liberos naturales à Deo efficaciter prædefiniri.

Respondetur. Resp. nego ant. Et ad primum Augustini testimonium dico: utique videri à Deo in sua prædestinatione, quæ ipse Deus operatur; sed quædam tamen præsciri, quæ ipse non facit. Nam ait ibidem S. Pater: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Ergo quæ speciali indigent præmotione, prædestinantur, & in prædestinatione noscuntur. At quæ egent sola præmotione generali, non alia ratione prædestinantur, nisi prout fiunt: decernit scilicet Deus aptare causas tam necessarias, quàm liberas, & singulis vim, ac potestatem impertiri, illis determinatam, istis ad utrumlibet inclinabilem. Atque ea ratione Deus operatur omnia in nobis, quoniam necessariæ causæ determinantur ad unum, liberæ se determinant virtute sibi à supremo Conditore collata, omnesque ab auctore suo producuntur, perficiuntur, reguntur. Quod, scribit magnus Augustinus contra Faustum, indubitatum est: at non omnis voluntas Dei est efficax & prædeterminans. Interdum à Deo prædeterminari actus naturales, si ei videatur expedire, ut de Israelitis asserit S. Doctor, fatentur nostri, & diserte sapientissimus P. Magister Bellelli in priori Opere, quod inscribitur *Mens Augustini*, P. 2. cap. XXVII. negant tantum physicam prædeterminationem in omnibus futuris indiscriminatim, & ex capite essentialis dependentiæ: aliud est enim, quod Deus tanquam supremus Dominus possit salva quoque libertate prædeterminare causam secundam; aliud causam secundam ita Deo subjici, & ab eo dependere, ut nequeat prodire in actum, nisi prædeterminetur. Quomodo autem consistat libertas cum prædeterminatione explicabimus, Deo dante, in sequentibus. Verum respondere quoque possumus, Deum *Omnipotentissima potestate* inclinasse corda Israelitarum, non ut subderent se Regibus, quod poterant ex libertate, ac nativa virtute; sed ut subderent se cum bona voluntate & cum merito. *Non enim*, inquit ibi

ibi eximius Ecclesiæ Doctor, *non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico.* Et nos quidem ad bonam voluntatem, ac meritum, post Adæ culpam esse necessariam prædeterminationem, contendimus.

21. Objicitur 2. Opp. 2. Deus est cujusque effectus creati prima causa: Sed non est causa nisi per efficacem præfinitionem: Ergo evenit efficaci Divina præfinitione quicunque effectus. Confirmatur hæc, quam Thomistæ palmarem putant, argumentatio. Principio exigit ratio primæ causæ, ut sit primum movens: Ergo & illud jure sua petit, ut sit primum determinans. Deinde sine præmotione prædeterminante non salvatur perfectissima dependentia causarum secundarum à prima; hæc enim debet esse major, & perfectior quàm possit excogitari. Magis autem ab alio dependet quod ab eo necessario prædeterminatur, quam id, quod versatili agitur universalique motione. Tertio postulat supremum dominium Dei, ut specialem in creaturis suis potestatem exerceat; Ergo supremi dominii titulo debet Deus prædeterminare creaturas suas. Rursus si præmotio Dei universalis determinetur à voluntate, voluntas erit prima causa determinationis comparate ad motionem Divinam; quod valde videtur absurdum: Ergo causa secunda & proxima minime determinat universalem Dei præmotionem. Postremo causæ secundæ sunt universalis ac primæ instrumenta; Instrumenta à primario agente prædeterminantur: Ergo causæ secundæ prædeterminantur à prima & universali.

Solvitur quoad primum. Resp. nego minorem. Salvatur enim, ut diximus, absque physica prædeterminatione, in Deo ratio supremæ causæ, & quia ipse contulit causis liberis facultatem, easque dominas constituit operationum suarum: & quia eas præmovet generaliter, incessanter illuminando, & inclinationem in bonum illis inspirando; quod etiam eas regat, servet, & simultaneo concursu ipsis individuus auxiliator assistat. Hac ratione semper Deus est prima causa, quamvis liberos actus causarum secundarum non prædefiniat: Ad primam confirmationem dico, in nostra quoque sententia Deum esse primum prædeterminantem; cum ille voluntatem creatam antecedenter ad qualemcunque motionem ipsius determinet ad bonum in communi; & virtute hujus prædeterminationis rationalis creatura plenam facultatem, potestatemque recipiens facta domina suorum actuum semetipsam ad bonum in particulari determinet.

22. Solvitur quoad secundum. Ad alteram confirmationem dico: in eo sitam esse perfectissimam secundarum causarum dependentiam, ut prodire nequeant in actum, nisi à causa suprema existentiam, regimen, atque facultatem recipiant. Habet autem hæc dependentia quamdam extensionem & amplitudinem. Causæ enim necessariæ ita dependent à prima, ut expertes sint indifferentiæ, neque valeant Deo præmovente contraniti. At liberæ ita Deo subduntur, ut accepta virtute adhuc indifferentes sint ad utrumlibet. Quæ libertas nullatenus dependentiæ adversatur; ea namque & voluntate Conditoris donatæ sunt, & possent pro ejus arbitratu expoliari. Quamobrem constituta hac causarum secundarum diversitate, si quæ liberæ factæ sunt egent sola universali motione, nullum infertur supremo dominio Dei præjudicium, sed in ea libertate commendatur consilium, placitum, & liberalitas Auctoris. Alioqui si omnes res creatæ eodem pacto subditæ fiant universorum Motori, erunt omnes necessariæ, nec resistere poterunt præmoventi; nam hæc est major dependentia, quam si derelinquantur à Deo in manu consilii sui. Sed horrent Christianæ aures hanc Calvinianam blasphemiam.

23. Solutio 3. Quod ajunt causas secundas in nostra sententia determinare concursum Dei, perinde est ac si dicant voluntatem creatam uti vel abuti pro sua libertate concursu Dei, qui illius non prædeterminat indifferentiam. Ex quo nihil Deo indignum consequitur. Etenim non reddit creatura efficacem Dei concursum, sed ipsa virtute concursus Dei propriam exercet efficientiam, exeritque vires suas in opus, non in Dei præmotionem. Manifesta hæc fiunt ex conditione supernaturalium habituum, qui non sunt ad actus determinati; & si eis voluntas utitur, recipit, non dat eis efficiendi virtutem. Falsum quoque est determinationem creaturarum esse Divina determinatione priorem; nam efficitur opus ab utraque individuum; & alias creatura determinat sese virtute præmotionis Divinæ: quod satis arbitror repetitum.

24. Solutio 4. In postrema confirmatione non opus est morari diutius. Nam aliud est instrumentum inanime & vita carens, aliud vitale, activum, & dominio ac libertate donatum. Hujus generis sunt creaturæ rationales respectu Dei: quæ

cum

cum sint constitutæ essentialiter indifferentes, non opus est ut à causa prædeterminante ad instar mallei, serræ, runcinæque applicentur.

25. Objicitur 3. Opp. 3. Qui ad nostras partes tra-here student Doctorem Angelicum, nimium se demonstrant in ejus lectione peregrinos. Innumera sunt testimonia quæ de ejus mente reddunt nos certiores. Reduci ea possunt ad quatuor capita. Docet primo omnes causas secundas moveri à prima, & voluntates nostras ejusque effectus à Deo cognosci per hoc, quod sit nobis causa volendi, ut 1. P. q. cv. art. 4. & III. contra Gentes cap. 56. Affirmat 2. Deum causas secundas inclinare, ut 1. P. q. 60. art. 2. & q. 116. art. 1. Tertio asserit omnem causam contingentem determinari ad effectum ab aliquo exteriori, ut 2. Physicorum textu 48. & VI. Metaph. lect. 3. Quarto ait voluntate Dei non solum res produci, sed etiam modum, quo producantur, prædeterminari, ut 1. ad Annib. dist. 47. art. IV. Exemit omnes scrupulos circa D. Thomæ doctrinam in suo erudito Opere de Divina motione Antoninus Massoulie.

Solutio. Resp. posse hæc omnia facillime cum hac sententia conciliari. Nam auctore D. Thoma Deus est causa prima omnium effectuum etiam contingentium, duplici titulo, 1. quia fiunt omnia ex præmotione ejus universali, ut docet 1. 2. Q. IX. art. 6. 3., deinde quia sicut motus gravium & levium tribuuntur generanti, qui dedit formam, ita omnis operatio tribuitur Deo, qui dedit virtutem; ut explicat in 3. contra Gentes cap. 67. Similiter docet primum agens subditas sibi causas inclinare, in quantum *inclinatio naturalis est indita ab Auctore naturæ*, ut explicat 1. p. q. IX. art. 1. ad 2., non autem præordinare fatali necessitate, de qua disputat citata Quæst. CXVI. art. 1. Præterea sapientissime in 2. Physic. scribit causam contingentem determinari ab exteriori principio, quum ibidem assignet discrimen inter causam secundam & primam, quæ non habet ab alia causa inclinationem ad bonum in communi, qua voluntas se determinat ad bonum in particulari, ut supra ostendimus ex lib. 1. contra Gent. cap. 82. Explicabimus ergo hæc, aliaque id genus de præmotione universali, & determinatione ad illam volitionem, in qua, ut ille ait, tanquam conclusiones in principiis, cæteræ continentur. Tandem per D. Thomam Deus in rebus producendis modum determinavit, quia decrevit alias condere necessarias, & alias liberas, & quibusdam effectibus aptavit causas quæ deficere possunt, quibusdam autem defectibiles, ut inquit 1. Parte Q. XIX. art. 8. Atque hæc malumus respondere, quam D. Thomam, ut quidam fecerunt, tanquam vulgarem scriptorem dimittere. Quanta autem probabilitate id præstiterimus constat & ex dictis, & ex Opere edito in defensionem S. Thomæ ab erudito viro Petro à S. Josepho Monacho Fuliensi.

26. Objectio ultima cum solutione. Opp. ultimo: In principio indifferenti videri nequeunt certo & infallibiliter res futuræ.

Resp. dist. propositum. In principio indifferenti *passive*, concedo: in principio indifferenti *active*, subdist. videri nequeunt infallibiliter ab homine vel ab Angelo, quibus præsens non est determinatio causæ liberæ & opus inde proveniens concedo: videri nequeunt à Deo, cujus sempiternæ menti & simplicissimo aspectui sunt omnia *objective* præsentia, nego. Sed hujus argumenti levitas satis ex antecedentibus potest deprehendi.

CAPUT VII.

Deum non prævidere mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati.

SUMMARIUM.

1. Variæ Thomistarum opiniones.
2. Usque ad 8. Non videt Deus mala culpæ in decreto, seu prædeterminatione actûs, cui adnectitur Peccati malitia.
8. 9. 10. Nec Divus Thomas certò adstruit prædeterminationem physicam ad materiale peccati.
11. Et seqq. Expediuntur objectiones.

1. Variæ Thomistarum opiniones. ET in hoc capite, quod consectarium est præcedentis, ab Assertoribus physicæ prædeterminationis est recedendum. Distinguunt hi, ne faciant Deum auctorem peccati, in operibus malis actionem, ac deficientiam secundæ causæ: est enim peccatum *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam.* Quod sit *factum, vel dictum, vel concupitum*, pertinet ad substantiam actus, & dicitur *materiale peccati*; quod vero sit dissonum à lege æterna, est in

peccato, ut inquiunt, *formale*. Itaque cum doceant prædeterminationem exigi à dependentia causarum secundarum, coguntur asserere, prædefiniri à Deo peccatum ut actio est; & ne ad Calvinianum dogma declinent, negant à Deo prædeterminari illius actionis malitiam. Sentiunt id Thomistæ doctissimi Alvarez, Lemos, Ledesma, Joannes à S. Thoma, Gonetus, Salmanticenses, Gotti, alii. Nonnulli tamen, qui etiam sequuntur doctrinam Angelici, negant Deum prædeterminare entitatem & substantiam actus mali, licet fateantur ad eam immediate concurrere: quod refert Alvarez lib. 3. de Auxiliis disp. XXIV. & Ledesma Q. de Aux. art. 18. ubi laudat sapientissimum Magistrum Zumel. Commemorant. Salmanticenses Tract. 4. de Volunt. Dei disp. 10. etiam Gonzales. Addimus Ludovicum Bancel, qui media incedens via contendit Deum prædeterminare actum malum sufficienter, non *positive efficaciter*. Auctore ergo Ledesma, & Alvarez, judicio aliquorum Thomistarum prædeterminatio necessaria non est eo titulo, quo illam plures propugnant; neque omnes, qui sequuntur Angelici Doctoris placita, de ejus mente concordant. Extra Thomistarum castra vix invenies, qui hanc prædeterminationem ad actus malos approbent de mente D. Thomæ parum solliciti. At nos dum istorum opinioni plenis votis subscribimus, ut fecimus hactenus, etiam beato Thomæ erimus obsequentissimi.

2. Propositio I. Non videt Deus mala culpæ in decreto, seu prædeterminatione actus, cui adnectitur peccati malitia.

Propositio I.

Probatur ex S. Augustino.

Augustini, aliorumque Patrum auctoritate hæc propositio probatur. Ait S. P. de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit; sicut quæcunque peccata.* Et lib. 3. de lib. arbitrio cap. IV. *Omnia quorum Deus est auctor, præscit; non tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est auctor, justus est ultor.* Eadem est doctrina Prosperi in Resp. ad cap. Gallorum cap. 12. & 13. Fulgentii libro ad Monimum 1. cap. 19. & fere omnium Patrum.

3. Objectio.

Communis est Adversariorum responsio, Augustinum, ejusque Asseclas docere Deum non prædestinare peccata quantum attinet ad malitiam, ac privationem debitæ rectitudinis, sed ea tantum prædefinire, quatenus sunt actiones physicæ, cum quibus illa privatio connectitur.

Refutatio.

Nolo cum Thomassino respondere hanc esse puerilem ineptiam, & distinctiunculam abhorrentem à mente & gravitate Augustini. Abeant hinc rigidi ac supercilioси censores. At assero S. Patrem nunquam existimasse dari actus mali indeclinabilem præmotionem. In primis negat peccata præsciri prædestinatione; quod esset falsum si prædestinaret actionem physicam, cui indivulse adhæret privatio rectitudinis & malitia; prævideret enim Deus deficientiam actioni conglutinatam in hujus præfinitione, nec verum esset dari aliquando sine prædestinatione præscientiam. Deinde absolute S. Pater affirmat Deum non prædestinare opera mala, malas voluntates, peccata, quæ non solum privationem significant, sed etiam actum; neque ullibi unum secernit ab altero. Præterea per Augustinum Deus permittit quidem peccata, sed non facit, at fortassis non est auctor peccati, qui est auctor actionis, qua posita peccatum impediri non potest? Rursus ait Augustinus Deum non prædestinare opera, quorum justus est ultor: Deus autem nedum ulciscitur in peccato aversionem à bono & malitiam pœna damni, sed etiam punit conversionem ad bonum apparens, & actionem physicam pœna sensus. Hujus vero actionis quomodo potest esse justus ultor, si est auctor? Denique & Augustinus, & alii PP. ubi explicant Scripturæ textus, quibus videtur insinuari Deum mala facere, affirmant Deum ea permittere efficacem gratiam subtrahendo, & nullibi commemorant prædefinitionem actus; quod fuisset longe facilius, si Thomistarum probavissent opinationem.

4. Probatur ratione.

Probatur 2. Argumentis à ratione petitis. Horum primum est, prædeterminationem non requiri ad bona opera naturalia, ut supra diximus; & consequenter multo minus ad mala. Sed pressius urgentur Thomistæ: Deus non est auctor peccati: Atqui esset, si prædeterminaret physicum peccati actum: Ergo illum non prædeterminat. Minorem pluribus momentis demonstro. 1. Nulla efficacior causa peccati potest adinveniri, quam illa ex qua peccatum sequitur indeclinabiliter: Ex physica prædeterminatione peccatum indeclinabiliter consequitur: Ergo peccati causa efficacior physica prædeterminatione

nequit

nequit inveniri. II. Potiori jure est auctor peccati qui ad peccatum impellit definita præmotione, quàm ad peccatum trahens suggestione ac suasione nihil intrinsecum operando in hominum voluntate: Diabolus qui trahit ad peccatum suggestione ac suasione, est auctor peccati: Ergo potiori jure erit auctor peccati Deus, si ad illud certa prædestinatione præmoveat. III. Posita lege prohibente E. G. homicidium, si Deus illius actum efficaciter prædestinaret, quisquis occideret, conformaret se Divinæ voluntatis decreto: Igitur aut non peccaret, aut peccatum Divina voluntate committeretur.

5. Oppositio. Repetunt eamdem cantilenam Adversarii, Deum non esse causam peccati, quia vult actionem, non malitiam: Diabolum ex adverso malitiam intendere, non actionem: prædestinari à prima causa substantiam actus, non rectitudinis privationem.

6. Refutatio. Insurgerent Maurus libro 2. quæst. LXXXI. & Tournely Tom. 1. pag. 387. neque Calvinum affirmasse Deum prædeterminare voluntatem malam quatenus mala est; liq. enim 1. Institut. cap. 18. n. 4. loquens de defectione Tribuum à Filio Salomonis ait: *Videmus ut Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine juste velit.* Sed non sunt hoc libramento ponderanda Catholicorum scita virorum. Calvinus enim ait ex Divina præfinitione consequi peccata necessitate; quod non affirmant Thomistæ. Refutantur tamen; quisquis enim vult opus malum etiam malitiam velit necesse est: alias posset quisque voluntarie oculos effodere, vulneribus hostem configere, amputare caput, & nihilominus non esse causam cæcitatis ac mortis. Quod in agentibus consilio ac libertate insanum est judicare. Ad hæc malitia peccati, & privatio debitæ rectitudinis, cum non sint entitates, non efficiuntur per se & directe, sed tantum ratione actus positivi: Igitur quisquis actum positivum causat, causa est saltem indirecta malitiæ. Ulterius nec voluntas creata vult malum qua malum, sed solum actum cui est annexa malitia, & nihilominus est mali causa effectrix. Diabolus autem intendit quidem malitiam, sed hæc sæpenumero præscindi nequit à materiali peccati; & si ratione nostra sejungitur, inseparabilis tamen est ab hac numero actione in his rerum circumstantiis patrata, E. G. ab homicidio, prohibente lege, à privato homine voluntarie commisso. Quapropter ad hanc individuam actionem concurrere nequit Deus prædeterminante concursu.

7. Confirmatio. Possent itaque nonnullis videri Thomistarum evasiones cohærentes doctrinæ Chrysippi; quod paucis explicabo, cum nullus hactenus, ut arbitror, id animadverterit. Nota est opinio Democriti, qui opinabatur omnia ab antecedentibus causis necessitate pendere. Hinc, ut diximus cap. III., originem habuit sententia quorumdam existimantium omnia provenire ex fatali siderum constitutione; de qua Manilius lib. IV.

Fata regunt orbem: certa stant omnia lege.
Longaque per certos signantur tempora casus.
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Hi arbitrium servum plane statuerunt. Chrysippus Cleanthis in Schola Zenonis successor, voluit, ut ait Cicero in lib. de Fato, *tanquam honorarius arbiter medium ferire.* Affirmavit itaque revera omnia fato evenire, indeclinabilem esse præmotionem causarum secundarum, malam tamen tribuendum esse causis proximis, non supremis ac principalibus; quoniam ab his est solus actus, ab illis vero defectus. Hanc rem illustrabat sequenti similitudine: *Ut qui protrusit cylindrum*, ait Cicero, *dedit ei principium motus, volubilitatem autem non dedit.* Legite Eusebium lib. VI. de Præp. Evangel. cap. VI. Alexandrum Aphrodiensem libro de Fato, & Justum Lipsium lib. Stoicæ Philosoph. dissert. XIV. hunc tamen caute. Nos quidem à nomine Fati abhorrentes dispositionem certam Divinæ providentiæ fatemur, qua causas necessarias & liberas Deus disponit ac regit, illas prædeterminando, has indifferenter præmovendo, & singularum determinationes immutabili præscientia prævidendo. Impius Calvinus vult causam primam prædestinare actus malos, & istos absoluta necessitate evenire: Thomistæ defendunt prædestinationem actus, sed non malitiæ, quam in causam proximam refundendam esse propugnant. Toto igitur cælo distant ab hæresi Calviniana; & qui eos audent insimulare, sunt, me judice, iniquissimi obtrectatores. Verum (quod absque livore dictum sit, & absque præjudicio Scholæ Thomisticæ) videtur Calvinus alter Democritus, & assertor prædeterminationis actus mali alter Chrysippus.

8. Propositio 2. PROPOSITIO II. Nec D. Thomas certo adstruit prædeterminationem Physicam ad *materiale* peccati.

Ad

Probatur nec D. Thomam certò adstruere prædeterminationem physicam ad materiale peccati.

Ad loca Doctoris Angelici præcedenti capite producta hæc accedunt. Primo Quæst. LXXX. 1. 2. art. 1. ait. *Peccatum actus quidam est, unde hoc modo potest esse aliquid directe causa peccati per quem modum aliquis directe est causa alicujus actus, quod quidem non contingit nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum.* Ex quibus infert voluntatem esse directe causam peccati, quia se ipsam interius movet ad actum, Diabolum vero causam indirectam, quia exterius suadet & allicit. Igitur si Deus ad agendum moveat intrinsece efficaciter præmovendo, uti facit seipsam determinando voluntas, erit per D. Thomam auctor & causa peccati. Præterea Q. XLIX. 1. p. art. 1. demonstrat quod agens producens aliquam formam est causa per accidens corruptionis alterius, quoniam etsi agens tantumodo intendat formam producere, *ad formam intentam ab agente sequitur ex necessitate alterius formæ privatio.* Itaque etiamsi Deus solam Physicam actionem prædefiniat, cum ex ea consequatur malitia & privatio debitæ rectitudinis, erit istius privationis causa saltem per accidens. Ulterius S. Thomas 1. P. Q. XIX. art. IX. distinguit malum culpæ à malo pœnæ, & à malo naturalis defectus, docens Deum prædeterminare mala posterioris generis ratione boni cui sunt conjuncta, & mala culpæ nullo modo velle neque ratione sui, neque ratione alicujus boni cui ipsa adhærescant: *Malum culpæ*, inquit, *quod privat ordine ad bonum Divinum, Deus nullo modo vult, sed malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum.* Igitur Deus non vult mala culpæ, nec etiam prædefiniendo physicam actionem, atque entitatem ipsis conjunctam. Postremo S. Thomas exponens quomodo Deus ad peccatum inclinet, Comm. in cap. IX. ad Roman. ait Deum causare malitiam tantum permissive *quia scilicet ex suo justo judicio permittit vuere in peccatum ob præcedentes iniquitates.* Paulo infra ait moveri à Deo homines ad bonum & malum: ad bonum quidem directe & per se; ad mamalum autem occasionaliter *in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, inductivum est ad bonum. Sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum.* Quæstione pariter V. de Veritate docet circa mala non dari aliam providentiam, quàm *concessionis, seu permissionis.* Negat igitur S. Thomas physicam prædeterminationem ad malum.

9. Oppositio.

Clamant sapientes viri quamplures, Angelicum Doctorem negare Divinam prædeterminationem ad malitiam, non ad actionem: asserere in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. opinionem, quæ docet actus peccatorum, nec etiam in quantum actus sunt à Deo esse, à paucis teneri: nil frequentius legi in aureis Thomæ libris, quam Deum esse primam causam cujusque actionis, non solum permittendo, sed etiam movendo, ut q. 3. de malo art. 2. & III. contra Gentes cap. 89. Ab eo memorari etiam *prædeterminationem* in 1. dist. 36. quæst. 2. art. 3. & q. 3. de Verit. art. 1., falli demum, qui negant hanc vocem in scriptis ipsius reperiri.

10. Refutatio.

At fas sit mihi reponere, hæc omnia nullius esse momenti. Falsum est enim beatissimum Thomam in locis à me productis non denegare prædeterminationem ad actionem peccati. Part. 2. quæst. 80. art. 1. docet esse causam peccati, qui directe movet ad actum, quemadmodum est voluntas creata, quæ tamen non intendit malitiam. Idem evincit allatum exemplum agentis, qui dum formam producit, causa est privationis alterius. Neque poterat S. Thomas expressius loqui, quam asserendo Deum *nullo modo* velle peccata, & hæc spectare ad solam providentiam *concessionis.* Rectissime autem scribit actus peccatorum esse à Deo, nec aliquam dari actionem, quæ non proveniat à prima causa: at necesse non est, ut hæc vera esse dicantur, quod actus omnes prædestinentur; quandoquidem sufficit, si voluntas determinet se virtute universalis præmotionis, & Deus immediate ad omnes ejus concurrat operationes. Quod præcedenti cap. dictum est; & colligitur quoque ex animadversionibus Ferrariensis in lib. 3. contra Gent. cap. 89. dicentis salvari quod Deus sit primum movens, si homo per ejus motionem ad ultimum finem convertatur. Plura ad hæc illustranda attulimus supra. Denique beatum Thomam nullibi prædeterminationis meminisse imperiti scripserunt. Meminit in 1. dist. 36. prædeterminationis rerum faciendarum juxta ideam vel rationem in Deo existentem; & hæc prædeterminatio est decretum producendi cum res liberas, tum necessarias: meminit quæst. 3. de verit. art. 1. prædeterminationis efficientis substantias rerum; & hæc prædeterminatio est ordo cujusque creaturæ in suum finem.

Cete-

Cæterum prædeterminationis ad materiale peccati ubi meminit? Si quis apertissimum locum proderit, dabo me victum: malo enim fubigi veritate, quam pertinaciter disputare.

EXPEDIUNTUR OBJECTIONES.

11. Objectio 1. Opp. 1. prædeterminare Deum peccata, eaque prævidere in definito consilio voluntatis, suæ colligitur ex sacris literis. Est ergo verissima opinio hactenus impugnata. Prob. ant. ex cap. 11. Act. v. 2. ubi legimus Jesum *Definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Et cap. iv. 27. de Pontio Pilato & Herode scribitur convenisse *facere quæ manus & consilium Dei decreverunt fieri.* Item habetur Lucæ xxii. 22. *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit.* At occisio Christi terrimum horrendissimumque scelus fuit. Igitur etiam peccata definiuntur ac prædeterminantur à Deo.

Solutio. Resp. nego ant. ad prob. dico: utique Deum prædeterminasse passionem Christi, maximum charitatis suæ opus, & ad redemptionem humani generis ex infinita ejus misericordia præordinatum, at Judæorum perfidiam, lictorum executionem, impietatem crucifixorum Deum prædefiniisse, etiam quantum ad actum physicum spectat, non potest ex præfatis Scripturarum locis evinci. Verissima est eorumdem expositio, decrevisse Deum mundi reparationem, & cum præscientia sua intueretur in æternitate voluntatem Judæorum qui aspernabantur Christi doctrinam, eumque maximo odio insectabantur, hac veluti oblata occasione Redemptionem hominum perfici voluisse. Hac ratione ex parte Dei & prædeterminatio passionis Christi, & permissio culpæ Judæorum eodem momento statuta sunt: nostra autem cogitatione prædefinitio passionis permissionem peccati præcedit. Hæc interpretatio ex locis quæ objiciuntur, ex Patribus, & ex ratione firmatur. Act. 11. simul ponitur *definitum consilium & præscientia*, quod non fuerit citra perfidiæ Judaicæ præscientiam decretum crucifixionis: sed Deus, cui notissima sunt quæ infallibiliter, & quæ contingenter sunt futura, decrevit ut, quod à sua voluntate pendebat, compleretur actionibus improborum, quæ illorum arbitrio decernerentur. Sequenti cap. iv. apposite dictum est, *Quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri:* non, *decreverunt illos facere*; ut animadvertamus decretam à Deo passionem Christi, non actionem Judæ, non Herodis, non Hebræorum, non Pilati: atque hanc permisisse liberam eorum determinationem supercomprehendendo. Hæc respondent Justinus adversus Tryphonem, Origenes in Genes., & S. Leo serm. xiv. de Passione Domini. Hujus, quem merito dixeris Latinum Chrysostomum, hæc sunt verba: *Multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus in se immisit Dominus, sed admisit: nec præsciendo quid faciendum esset coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret.* Ratio autem est, quia fiunt Deo prædeterminante opera, ad quæ hominis vires non suppetunt: & Augustinus inquit in lib. de corrept. & grat. cap. xi. *liberum arbitrium ad malum sufficit.* Prætermitto etiam Calvinum uti præfato argumento, ut probet Deum auctorem esse peccati: & firmiter pronuncio cum Prospero ad Ob. Vincentianas: *Non casus mentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.*

12. Objectio 2. Opp. 2. Falsum est Deum, si prædefiniat actiones malas, fore causam peccati. Ergo non est rejicienda ex isto capite physica ad actum malum prædeterminatio. Antecedens pluribus suadetur momentis. 1. Quotiescunque plures causæ concurrunt ad eumdem effectum, vitium non in causam remotam refunditur, sed in proximam. Si puer inelegantes efformet apices, non Magistri dirigentis, sed pueri brachio tribuitur conscribillatio. Citharam pulsante experto Fidicine, si qua sit dissonantia, instrumento tantum adscribitur. Nunquam solem, sed terrena corpora causam dicimus, si aliquando monstra gignantur; neque dum claudus ambulat moventem animam reprehendimus, sed tibiam. Quomodo ergo erit Deus causa peccati, dum prædeterminat actiones malas; si est causa universalis, non proxima? 11. Quamquam actionem, qua Deus infundit corpori animam post Adæ lapsum, consequatur peccatum originale, non tamen est Deus causa originalis peccati: Igitur neque erit causa peccati actualis, etiamsi prædefiniat actionem, cui tale peccatum congultinatur. 111. Dum impius

Minister Sacramenta conficit aut dispensat, quorum Deus causa est effectrix aut princeps, irretitur crimine sacrilegii, cujus reatum nemo tribuerit Deo Auctori Sacramentorum. Cur vero si causet physicam actionem peccati, Divinæ sanctitati derogari censendum est? IV. Fatemur Deum universaliter præmovere, & immediate concurrere ad actus malos, neque tamen esse auctorem malitiæ: & quare malitiæ causam arbitrabimur, si actionem peccati physicam prædeterminet?

13. Solutio 1. His omnibus ex ordine respondemus. Atque ad 1. dist. ant. Refunditur vitium in causam proximam, non in remotam, dummodo causa proxima sit ante determinationem causæ remotæ alias ad vitium determinata, ut in allatis exemplis, concedo: nisi sit aliunde causa proxima determinata, & prædeterminetur à causa remota nego: & retorqueo argumentum. Quum cithara E. G. jam sit ad sonum asymphonum ex tensione composita, aut claudus ex ligamento fibrarum præpeditur, non est lystres causa dissonantiæ, neque anima inæqualis gressus: at si ipse pulsator cytharæ chordas nimium laxet aut tendat, vel sibi quispiam nervum scindat; soni, & gressus non recti ipse citharœdus, & ipse incedens auctores dicendi sunt. Ita si Deus ad peccati actum concurrat cum voluntate creata, quæ non à Deo, sed à seipsa determinetur, malitiæ quidem causa non erit; secus autem, si ipsemet actum malum prædeterminet ac prædefiniat. Discrimen præterea est maximum inter vitium physicum & morale; illud namque tribuitur ut plurimum instrumento, istud causæ determinanti.

14. Solutio 2. Ad 2. nego consequentiam. Disparitas satis est obvia; nam creatio rationalis animæ non est actio per se connexa cum originali peccato, neque istud ex creatione animæ consequitur, sed ex infectione corporis determinata voluntate Protoparentis & carnali concupiscentia polluti. Contra malitia peccati ex actione prohibita promanat, & idcirco patratur peccatum, quia ponitur actio Divino præcepto vetita. Revera productionem animæ non esse per se causam originalis culpæ fit manifestum, ex quo si anima uniatur corpori nulla affecto contagione, ut fuit corpus primorum parentum, nulla macula contrahatur peccati. At prohibitæ actioni privatio rectitudinis est suapte natura permixta: & reus est E. G. homicidii qui privata auctoritate vulnera infigit. Possumus etiam argumentum in Adversarios retorquere. Non est quidem Deus auctor labis originalis, at esset si ipse pollueret corpus, & seminalem inficeret propagationem, qua animæ reatus traducitur: Ergo & esset causa culpæ actualis, si prædefiniret actionem, unde consequitur privatio justitiæ.

Quod sequitur eodem pacto diluitur, quippe Consecrationi non est per se connexum crimen sacrilegii, sed oritur istud ex indignitate ministri; quam dedecet sanctitatem Dei quoquo modo prædefinire. 15. Solutio 3. Deinde quomodo demonstrant Adversarii, Deum prædeterminare ministros improbos ad proferenda Sacrosancta consecrationis verba, aut cetera, quæ Sacramentorum formæ dicuntur? Nego istheæc Deo prædeterminante proferri. Præterea debemus actum Sacramenti ab actu sacrilegii secernere: illius minister impius est causa instrumentalis, hujus vero causa est principalis. At non repugnat Deum uti malis pravisque hominibus ad opera supernaturalia perficienda, tanquam instrumentis. Ita sceleſtissimos homines aliquando prophetasse didicimus, ut fecit Caiphas; in quo, aliisque hujus generis, prædefinivit Deus sapiens veritatis oracula, non prædestinavit Deus justus opera iniquitatis.

Ad IV. Resp. fore Deum causam peccati si ad actionem prohibitam physice prædeterminet, non esse si præmoveat universaliter, & immediate concurrat, quoniam vitium ac malitia tribuitur causæ determinanti. 16. Solutio 4. Manifestum id est exemplis priori momento prolatis. Cum enim corpora sublunaria determinent motionem cœlestium, non soli tribuitur generatio hominis, ut hominis, sed parentibus: & quia tibia determinat motum animæ, non huic, sed illi obliquus imputatur incessus. Succurret aperta ratio; si quis animadvertat motionem universalem indifferentem esse, & ab indifferenti qua tali neque bonum determinate fieri, neque malum. Si tamen voluntas universali præmotione sese inclinet ad bonum, istud etiam à causa præmovente dependet, quoniam se determinat virtute universalis agentis, & indita sibi ad bonum inclinatione. Quod si flectatur ad malum, nullo modo istud, prout malum est, adscribitur præmoventi; quia malum non est à causa movente, sed tantum à deficiente. Concursus vero simultaneus neque præcedit determinationem voluntatis, neque aliud est quam ejus regimen & conservatio. Hanc conservationem statuta

lege

lege providentiæ nequit Deus creaturis subtrahere, quin abeant in nihilum: & propterea cum velit mala permittere, ut bona eveniant, ad omnia opera creaturarum suarum absque malorum prædeterminatione concurrit.

17. Objectio 3. Opp. 3. Etiam mala præordinantur à Deo; Quæ præordinantur definiuntur: Ergo prædefiniuntur & mala.

Solutio. Resp. explicando majorem. Deus præordinat mala 1. quia finit homines quandoque in ea labi, ut propriam infirmitatem humiliter fateantur, & virtutem gratiæ supervenientem ex alto suppliciter flagitent: vide Gregorium lib. 2. Moralium cap. 26. II. quia non permittit impios in omnia ruere flagitia, & bonos pro mala voluntate vexare: vide Augustinum de Prædest. SS. cap. 16. III. quia vult, ut improbi qui in donis suis misericordiam contemnunt, in suppliciis experiantur justitiam: vide lib. de Sp. & lit. cap. 33. Itaque propositionem dist. mala præordinantur à Deo permittente, cohibente, ulciscente, concedo: præordinantur à Deo prædeterminante atque impellente, nego majorem.

18. Objectio ultima. Opp. ult. Etiam peccatorum, quatenus actiones sunt, Deus est prima causa, nam quidquid est, in quantum est, bonum est. S. Augustinus in III. de Trinit. cap. 4. ait Deum esse primam causam omnium corporalium & spiritualium motionum. Et D. Anselmus sæpe idem repetit in lib. de casu diaboli cap. 20. de concordia præsc. & lib. cap. 2. ubi ait Deum in malis prædestinare quod sunt essentialiter, non quod mala sunt. Eadem repetit S. Thomas Q. XX. 1. P. art. 4. Nisi id asseratur, non est quomodo salvari possit certa præscientia malorum.

Solutio. Habes horum omnium solutionem cap. VI. in quo ostendimus salvari rationem primæ causæ absque prædeterminatione ad actus liberos. Addam aliqua. Proloquium illud: *Omne quod est, in quantum est, bonum est*, valet in actionibus liberis, quantum spectat ad potestatem, non ad voluntatem, dicente Augustino lib. de Sp. & lit. cap. XXXI. *Apostolus dicit, non est potestas nisi à Deo. Nusquam autem legimus, non est voluntas nisi à Deo. Et recte non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo.* Ulterius etiam mala voluntas à Deo est, quatenus ad eam inclinatur arbitrium Deo universaliter præmovente.

19. Solvitur auctoritas Anselmi. De auctoritate Anselmi non est cur exultent Thomistæ, quippe eodem libro, eodemque cap. 20. ait: *Cum ergo diabolus convertit voluntatem ad quod non debuit, & ipsam velle & ipsa conversio fuit aliquid; & tamen nonnisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit. Quoniam nec velle aliquid, nec movere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit illas naturas substantiales & accidentales, universales & individuales.* Docet cohærenter actiones malas prædestinari essentialiter; quòd à Deo prædefinitum sit essentiam creaturæ rationalis esse liberam, ac talis conditionis, ut ipso permittente, & subtrahente efficax auxilium, si velit peccet, si nolit peccare, in justitia permaneat, non possit tamen velle bonum absque speciali motione gratiæ, aut versatilis pro statu innocentiæ, aut victricis post prævaricationem Adami. De D. autem Thoma scripsit olim Campanella Dominicanus à suis in sententiam prædestinationis necessariæ ex titulo dependentiæ trahi invitum, quod & plures affirmant etiam ex Thomistis apud Joannem Marinum Tract. VIII. de Lib. arbitrio disp. II. sect. v. Quàm facile exponi possint ejus testimonia, quæ videntur contraria, puto satis à me declaratum.

20. Corollarium. Consequens est ergo, ut peccata videantur à Deo in ideis rerum, in quantum ideæ exhibent perfectionem, à qua peccata deflectunt, ut in I. sent. dist. XXXVIII. docet Ægidius, & nos statuimus Cap. v. Neque vero obstat, quod opponit Frassen, in ideis non repræsentari res determinatas; quippe id falsum est de ideis in Dei sempiterna mente existentibus, cui nihil futurum est, quemadmodum cap. IV. explicavi. *Nihil igitur vetat*, inquit vir eruditus Joannes Baptista Du-Hamelius lib. IV. de Scientia cap. v. *quominus cum Ægidio Romano statuamus Deum futura omnia in suis ideis, in sua essentia, ut in causa libera, continere.*

CAPUT VIII.

Neque futura ordinis supernaturalis statûs naturæ Innocentis à Deo prævideri in decreto absoluto, ac prædeterminante.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Præliminaria ad Resolutiones futuras.
4. Usque ad 16. Probatur efficàciter, quòd innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigeret, & consequenter minimè novit Deus perseverantiam Angelorum in efficaci suæ voluntatis decreto. afferuntur etiam, & reprobantur Adversariorum responsiones ad fundamenta hujus sententiæ.
16. 17. 18. 19. Non recedit à Superiori sententia Doctor Angelicus.
20. Et seqq. consentit hactenus dictis Ægidius Romanus.

1. Præliminare 1.

TERTIUM dissidium inter nos, & D. Thomæ discipulos est de operibus supernaturalibus ad statum naturæ integræ pertinentibus; in quibus illi gratiam per se efficacem propugnant, nos unius versatilis asserimus necessitatem; & consequenter arbitramur bonorum Angelorum perseverantiam in nullo prædeterminante decreto fuisse prævisam. Facit autem inter Augustinenses ac Thomistas discrepantiam, verborum Augustini, quem utrique pari studio prosequimur, multiplex sensus, atque ob disputantium ambages perplexus. Inter eos qui SS. Angelorum gratiam contendunt fuisse victricem, cæteros eruditione ac doctrina antecellunt Antoninus Reginaldus, Estius, Sylvius, Thomas Angelus, Contensonius, Gotti, & qui de hoc argumento edidit librum, qui inscribitur, *Divus Augustinus Divo Thomæ conciliatus*, Hyacinthus Serry in Patavina Academia Professor Primarius. Scripsit & de hac quæstione fusiori calamo Stephanus Vicentinus Congregationis Oratorii Presbyter eruditus. Nulla alia gratia, quam indifferenti creaturam innocentem indiguisse ex nostris, qui posteriori floruerunt ætate, docent Christianus Lupus, Cardinalis Norisius, Fulgentius Bellelli, Basilius Poncius, Lafosse, Vanroy, Piette, Joannes Schuveitzerus, aliique numero & eruditione præcipui. Efficacem gratiam Angelis quoque stantibus collatam scripserunt Casalius, Coquæus, Gavardi, & Girken, quos nobis Serrius opponit, & alii etiam numero longe plures; sed neque hi efficacem gratiam, saltem omnes, volunt esse prædeterminantem, & toto cœlo à Thomistis recedunt. Argentinam haud recte à viro clarissimo citari, poterit quisque proprio otio videre: nam in II. dist. IV. & V. art. I. solum ait, non fuisse Angelis necessariam ad merendum gratiam habitualem, sed sufficientem fuisse motum factum in mente specialiter ab ipso Deo: ubi neque motionem prædeterminantem commemorat, neque voluntatis victricem inclinationem, in qua potissimum sita est gratia efficax. De Ægidio Romano, & de D. Thoma quædam dicturus sum paullo infra.

Vindicat sibi hæc quæstio locum parte horum librorum secunda; sed cum videatur necessaria ad percipiendum Theologiæ nostræ systema, in illam inquirendum est modo; & alibi si quæ residua erunt, opportunius colligenda. Exponam autem sententiam, quam puto Augustini, adloquens adolescentes, non pugnans adversus viros doctissimos: 2. Præliminare 2.

Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

Itaque hæc nostra sententia est. Adam & Angeli non opus habebant adjutorio gratiæ efficacis: beati spiritus, qui steterunt, sese gratia versatili ad perseverandum libero arbitrio inflexerunt: supernaturalis gratiæ auxilium, & specialis Dei motio in utroque statu requiritur; sed ut sit per se efficax, & prædeterminans, exigit infirmitatis conditio, & vulnus naturæ; verbo dicam: perseverantia creaturæ innocentis conditioni annexa fuit non inferenti, sed indifferenti, sub qua Deus illam in æternitate prævidérat.

Quoniam vero Adversarii nos suppresso nomine Jansenianos appellant, quod de hoc argumento scripserit etiam Iprensis Episcopus, Antonius, Arnaldus, Vincentius Lenis, & quidam alii Jansenismi nota traducti, atque novitatis vocabulo opinionem nostram designant, quo in vulgus Theologorum 3. Præliminare 3.

ſparſa

sparsa erroris excipiatur execratione; præmittendum duxi, neque novam esse, neque characterem vel minimum dogmatis Jansenii, quod recto judicio, providoque consilio Romana Ecclesia damnavit. Fuit ergo opinio veterum Theologorum, quatuor esse gratiarum genera, habitualem quæ perficit naturam, conservationem ipsius habitus, cooperationem Dei ac præmotionem universalem in operibus naturalibus, & specialem in supernaturalibus, & demum motionem quamdam per axilium excitans, quod faciat hominem velle, & prioribus donis bene uti: nos post Adæ lapsum vitiatos omnibus hisce donis muniri: at creaturam innocentem, cum esset condita cum bona voluntate & amore casto, neque ullis concupiscentiæ fluctibus jactaretur, dummodo haberet illam præmotionem indifferentem, potuisse perseverare absque gratia voluntatem efficaciter excitante. Hæc docuerunt Gregorius Ariminensis in 2. dist. 29. quæst. 1. concl. 2. & 3. Joan. Major eodem loco, Driedo libro de Conc. libertatis & Prædest. cap. 3. Alphonsus Curiel in 1. 2. quæst. 19. art. 10. dub. 2. §. 4. Quid singulos percenseo? Etiam Bellarminus lib. 1. de Gratia 1. Hominis cap. 4. Hæc est nostra de Gratia creaturæ innocentis tradita ab antiquis opinio. Addidit Jansenius gratiam etiam delectationis & voluntatis, non efficaciter excitantem, sed arbitrii pedisequam. Stephanus Dechamps lib. 3. de Hæresi Janseniana cap. xv. & seq. illud tantum in Jansenio reprehendit, quod præter gratiam habitualem, etiam motionem voluntatis in statu innocentiæ existimet necessariam; cum gratia Adami hanc motionem minime, ut ille putat, amplecteretur. Hæc opinio Jansenii nullatenus ad nostram cum Thomistis pertinet controversiam. Sive enim dicamus potuisse Adam perseverare cum sola gratia habituali, sive necessariam ei fuisse gratiam actualem indifferenter moventem; semper stat in illo felicitatis statu non fuisse collatam, nec necessariam ad perseverandum gratiam victricem. Profecto in quo fuerit constituta gratia creaturæ innocentis dicam alibi: nunc tantum contendo non fuisse etiam permanentium Angelorum auxilium natura sua prædeterminans; neque facem nobis prætulisse Jansenium; sed vetustos, maximosque Theologos, quorum invalescens recentiorum cavillatio sensim induxerat oblivionem. At, auspice Deo, tanta Theologorum approbatione Augustiniana sententia restituta est, ut in publicum absque larva possit incedere. Tuentur illam Patres Benedictini, Thomassinus, Witasse, Franciscus Macedo, Habert, L'Herminier, Le Cocq, Juenin, & ne singulos recenseam, satis est Hennum tract. de Principiis act. human. disp. 2. quæst. v. art. 3. & Bellarminum loco citato asserere illam esse communem. Hæc ad retundendas oppugnantium calumias opus erat præfari; quas tamen incautis arbitrandum est excidisse: vel saltem eorum censura illos tantum perstringit, qui ex præfato statuum discrimine inferunt fallaci consecutione non dari modo nisi adjutorium quo, & gratiam efficacem, aut alia in absurda prorumpunt, quæ ex fonte puro Jansenii summa cum cæcitate nequitia arbitrantur effluere.

4. Propositio 1.

Propositio I. Innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigebat, & consequenter minime novit Deus perseverantiam Angelorum in efficaci suæ voluntatis decreto.

Probatur ex S. Augustino.

Traditur hæc propositio à S. P. Augustino lib. de Corrept. & gratia cap. x. xi. & xii. Ex quibus hæc eruuntur argumenta. Sit primum. Cum Adrumetini Monasterii quidam Monachi, lecta in Augustini libro de gratia & lib. arbitrio sententia de gratia efficaci & de gratuita electione, (quem librum illuc S. P. direxerat, ut erumpentia inde Semipelagianismi germina evelleret) contra Augustinianam doctrinam insurgerent, asserentes neminem esse corripiendum si Divinæ non obtemperet legi, quum excusari possit quod destitutus sit illa gratia, sine qua opus non perficitur salutare, & quæ non omnibus præparatur; provide Augustinus gliscenti occurrens errori librum de Correptione & gratia conscripsit: quem S. Prosper plenum vocat auctoritatis Divinæ, & Cardinalis Norisius, PP. S. Mauri, Boudartius, & alii appellent cæterorum S. Augustini librorum contra inimicos gratiæ Dei auream clavem. Hoc in Opere S. Pater objectionem Adrumetinorum solvit, quoniam ita constituit Deus rationalem creaturam, ut simul naturam concederet, & elargiretur gratiam, qua opitulante posset in accepta justitia perseverare si vellet; atque ut vellet in ejus reliquit arbitrio. Ait tali gratia in prima conditione donatos Angelos, & aliquos per liberum arbitrium stetisse, aliquos vero per liberum arbitrium cecidisse; ac potuisse perseverare etiam Adam eodem adjutorio suffultum, & ideo recte esse corripiendos

ripiendos qui gratia ad perseverandum necessaria destituuntur, quoniam illam in protoparente receperunt; is vero acceptis donis libertate sua male usus reddidit secum posteros omnes infirmos. Huic per peccatum contractæ infirmitati subventum esse uberiori gratia, quæ non solum dat posse, sed etiam velle: hanc tamen Divina misericordia, uni non alteri, inscrutabili Dei judicio, parari. Quapropter qui non habet donum perseverantiæ eo caret in pœnam peccati, & juste corripitur: qui habet, habet ex dono misericordiæ, & illi Divino beneplacito præparatur. Hæc est summa Augustinianæ doctrinæ. Atqui si necessaria fuisset creaturæ innocenti gratia prædeterminans, inanem Augustinus lusisset operam, neque Monachorum satisfecisset argutationibus. Non ergo creaturæ innocenti fuit necessaria efficax istud, ac prædeterminans gratiæ auxilium. Probatur minor; nam si vera est Thomistarum sententia, non ob aliam causam Deus Adamo gratiam victricem non est elargitus, nisi quia est donorum suorum supremus Dominus, neque aliud respondendum est juxta horum Theologorum principia Adrumetinorum objectioni. Quam profecto obviam, vulgatissimamque responsionem nunquam S. Pater adhibuit.

5. Confirmatur. Quoniam vero futilem hanc nostram, spuriamque consecutionem putant Thomistæ, trahunt enim perdifficiles quæstiones in diversa judicia etiam assiduos veri amatores, lubeat illam enucleatius exponere. Principio S. P. cap. x. ait: *Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus Deum Dominumque rerum omnium . . . . sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid eorum posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Intellige arbitrium suffultum gratia aliqua, & auxilio *sine quo;* quippe si istud *primo homini vel Angelis, cum primum facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent.* Atqui si Angeli, & primus homo indiguissent ad perseverandum gratia victrice, nequaquam subsisteret allatum discrimen, nequaquam experti essemus quid posset sanum arbitrium cum sufficienti adjutorio, & deinde quanto sit robustius beneficium gratiæ sanantis. Ergo creatura innocens non opus habebat victricis gratiæ adjutorio.

6. Oppositio Thomistarum. Resp. Thomistæ hæc dici ab Augustino absque efficacis gratiæ exclusione: tam sanum arbitrium, quam infirmum & stare & cadere sua libertate, bene agere & perseverare à Deo præmotum; nullum inde peti utriusque status discrimen: ostensum fuisse in Adæ lapsu, quid posset arbitrium sibi relictum, in perseverantia Angelorum quid valeat arbitrium efficaci auxilio suffultum.

7. Responsio. Verum, etsi rectissime dicunt in utroque statu libertate sua hominem & peccare & mereri, non tamen si utrobique necessaria sit gratia efficax, quid valeant arbitrii vires poterimus experiri. Si enim duo E. G. æquali luce indigeant ad videndum corpus coloratum, aut pari auxilio ad ferendum pondus; quomodo distingui potest, quisnam sit acie oculi præpollentior, aut vi prævaleat membrorum? Nullus equidem id poterit judicare. At si unus eodem lumine objectum eminus cernat, quod alter nequit nisi cominus intueri; tunc recte apparet unum esse altero oculis vividioribus. Ita si tam creatura innocens, quam fluctibus concupiscentiæ jactata ad standum debeat prædeterminante gratia fulciri; qua ratione dignosci potest quid valeat una præ alia? Sed patens est, apertumque discrimen, si dicatur, illa stare potest cum auxilio versatili; hæc non stat, nisi cum adjutorio victrici & per se efficaci.

8. Dilucidatur S. Augustinus. Amplius dilucidabitur mens Augustini ex sequentibus. Proximo cap. xi. Gratiam Adamo collatam sic describit: *Tale erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Quo in loco sermonem instituit de gratia prædeterminante, quæ dat ipsum velle, nemo unus dixerit. Paucis interjectis ita Augustinus proloquitur: *Dederat & adjutorium sine quo non posset in ea permanere, si vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: &c.* Ergo per Augustinum Adam non habuit nisi adjutorium sine quo: Atqui cum tali adjutorio *sine quo* poterat permanere: Igitur ad permanendum non opus habebat alio validiori adjutorio.

9. Oppositio Thomistarum. Occurrunt Thomistæ asserentes utique Adamo collatam duntaxat gratiam inefficacem: hujus fulcimento potuisse quidem perseverare; neminem id vertere in dubium. Cæterum agi nunc con-

controversiam de gratia necessaria Adamo, non ut perseverare posset, sed ut perseveraret reipsa.

10. Everſio. Ad nutum excogitata est hæc Thomistarum responsio; primo quia Augustinus ita statuit discrimen inter hominem innocentem ac lapsum, ut asserat illum, *in eo bono, quo factus fuerat rectus, accepisse posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere.* Sanctis vero, ad quod pertinet gratia liberationis, dari etiam ipsam perseverantiam, ipsum adjutorium *quo*, ipsum velle, propterea quod *in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum*, Libera nos & *non habent tranquillam felicitatem, in qua constituerat primum hominem, qui fecerat illum rectum.* Ergo adjutorium actualis perseverantiæ, quod non solum dat *posse*, sed etiam *velle*, non erat homini recto ullatenus necessarium. Deinde affirmat S. Pater potuisse Adam per liberum arbitrium perseverare, quemadmodum per idem liberum arbitrium angeli boni steterunt: non per liberum arbitrium sola nativa vi operantem, sed adjutorio *sine quo* in sui conditione donatum: At stare per liberum arbitrium in Augustiniano sensu, est stare per arbitrium sanum, vegetum, nulla cupiditatum pugna circumactum; quale arbitrium *peccati primi hominis granditate perdidimus*, non quod extincta sit per Adæ culpam libertas, sed quoniam adjacent nobis ejus causa carnalis appetitus illecebræ, atque sanitate primæva privati sumus. Quamobrem perseverantia non dicitur in hoc statu ab Augustino opus arbitrii, sed gratiæ: idque hoc eodem loco, ubi ait: *Quæ quidem merita potuit habere, sed perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis.* Quid ergo? Per Augustinum potuit Adam perseverare cum solo adjutorio versatili: atque cum solo adjutorio versatili Angeli Sancti per liberum steterunt arbitrium.

11. Confirmatur ex S. Augustino. Pergit rotundis verbis Magnus Augustinus systema Gratiæ sic exponere: *Ille*, inquit cap. XI. de primo homine, *ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sanctis vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu hæreditario & proprio illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis . . . . Ille vero nulla tali rixa à seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti.* Viden S. Patrem luculentissime asserere primum hominem nulla adversum se rixa turbatum, nullo carnis adversus spiritum certamine laborantem, nullatenus indiguisse ea gratia potentiore, quam dari sibi poscunt homines, ad quos pertinet beneficium liberationis, pugnandi vincendique virtutem? Id profecto nemo est qui non videat. Atqui gratia liberationis per Augustinum non est adjutorium in quo Adam *permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet*, sed est gratia potentior, *qua etiam fit ut velit*, nimirum adjutorium *quo*, & gratia efficax: Igitur per Augustinum Adam gratia efficaci ac prædeterminante minime ad perseverandum egebat.

12. Opponit Reginaldus. Ait Reginaldus utique potentiorem gratiam post Adæ lapsum requiri; nam homini innocenti necessaria erat, ut sese applicaret ad actum, nunc vero est necessaria etiam ad vincendam concupiscentiam: fuisse in statu innocentiæ victricem unico titulo dependentiæ à prima causa; at jam talem esse duplici capite, dependentiæ, & infirmitatis. Exemplum addit Hyacinthus Serry scalæ, qua ut in locum ascendant prominentem egent tam ægrotus, quam bene valens, sed de isto dicimus sat virium habere seipso, quod illi scala adminiculum duntaxat adferat, ut arduo operi valeat vires suas applicare.

13. Retunditur. Non reponam hæc subterfugia Thomistarum, ut in nos eructat ipse P. Serry vir quidem servidioris ingenii, *gerras esse, gerras, easque vanissimas.* Absit. Sunt tamé inventa ab Augustini sensu remotissima. Medicinalem Salvatoris gratiam vulnera sanare concupiscentiæ, & etiam facere ut humo velit & actu operetur, quis Augustini discipulus inficiari audebit? Non hæc à viris doctissimis nos divellunt. Dicimus Adam in statu innocentiæ non indiguisse neque auxilio sanante cum non esset infirmus, neque prædeterminante cum velle & non velle in ejus esset arbitrio. Jam constat Adamum adhuc in bonis Creatoris sui permanentem, non opus habuisse potentiore gratia, quæ confertur hominibus periclitantibus in corpore mortis hujus:

At

At Augustinus huic tantum gratiæ potentiori, quæ est gratia per Christum, gratia medicinalis, gratia concupiscentiæ victrix, tribuit quod operetur in nobis *velle*: Ergo Adam, si ad perseverandum non opus habebat hoc potentiori auxilio, neque indigebat gratia, quæ dat, *velle*, seu prædeterminante. Minor est ipsius Augustini dicentis: *Hæc est prima Gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo justitiam si velit. Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Ex quibus fit manifestum, nisi tenebras luci velimus offundere, gratiam, qua fit ut velimus, esse gratiam in secundo Adam, nimirum gratiam medicinalem tantummodo.

14. Roboratur. Præterea sive indigeat homo gratia unico titulo, sive duplici, dummodo sit efficax trahatque secum opus certa consecutione, id non reddit gratiam potentiorem, sed solam indigentiam in subjecto majorem, minoremve demonstrat. Quid enim arguit discriminis ex parte baptismatis si in puero maculam abstergat originalem, in adulto diluat & originalem & actualem? In Eucharistia, si in uno producat tantum augmentum gratiæ in altero deleat quoque peccatorum reliquias? Quænam discrepantia in corporis alimento, si pubescentes augeat & nutriat, grandævos alat nutriatque, non augeat? Quid accidit baculo, si via incedens lubrica eo eget ne labatur pede, & alius aut ætate gravis, aut valetudine, illo utitur & ne labatur, & ut regatur? Ergo non recte dixeris auxilium secundi Adam potentius auxilio Adam primi, si fuisset utrumque efficax, & suapte natura ipsam donans perseverantiam; etiamsi in statu innocentiæ fuerit ex uno capite necessarium, sit vero post Adæ lapsum multiplici. Id enim non gratiam potentiorem ostendit, sed majorem hominum lapsorum necessitatem. Imo in Thomistarum sententia illa gratia prædeterminans in statu innocentiæ fuisset vere ac proprie medicinalis, quoniam licet non mederetur vulneribus, esset tamen medicamentum, si vulnera adessent: nam medicinalis est herba etiamsi impositis plagis non applicetur, & virescat adhuc in horto, aut servetur vasculis pharmacopolæ. Igitur à vi effectrice, non à sanitate actualiter præstita appellanda est gratia efficax, & potentior. Exemplum Hyacinthi Serry videtur explicandæ sententiæ nostræ aptissimum. Eget sanus, ut murum conscendat, adminiculo scalæ; eget ægrotus. Gratia homini innocenti, hominique infirmo necessaria est. Vir sanus sua manu scalam aptat muro: Gratiam homo innocens arbitrio suo applicat & determinat. Ægrotus habet scalam, sed nequit ob virium imbecillitatem illam è terra elevare, neque muro admovere. Infirmus gratiam habet sufficientem, sed alia indiget validiori, qua determinetur ad opus. Quare homo innocens non indigebat prædeterminante auxilio, sed poterat illud per liberum arbitrium determinare; quemadmodum vir benevalens propriis viribus admovet muro scalam.

15. Confirmatur Doctrina Augustini. In confirmationem Augustinianæ doctrinæ illud etiam accedit, quod sententia de gratia efficaci & de prædestinatione gratuita taliter connectuntur invicem, ut nequeat una absque altera substineri. Atqui per Augustinum in statu solius naturæ lapsæ prædestinatio gratuita est: Ergo in solo statu naturæ lapsæ admittenda est gratia efficax. Minor probatur ex eodem lib. cap. 1x. ubi ait: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et lib. 14. de Civit. Dei cap. 28. *Non eos jam meritis discernens, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.* Fateamur itaque post casum hominis pertinere ad gratiam, ut quisque accedat ad Deum: subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: homini innocenti ac fortissimo permisisse Deum facere quod vellet: datam huic perseverantiæ potestatem, & bonum posse non deserere: non opus habuisse adjutorio, quod plus potest, & facit ut homo velit: istud pertinere ad gratiam Christi medicinalem;

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo, poenaque absolvere posset.

Inquit Carm. de Ingratis cap. 42. Sanctus Prosper.

16. Propositio 2. Probatur. Propositio II. Non recedit à superiori sententia Doctor Angelicus. S. Thomam Aquinatem, quem ipse Jan-

S. Thomam non recedere à superiori sententia.

Janſenius appellat Auguſtinum contrarium potius nobis, quam Thomiſtis ſuffragari, quamquam hi nullam vel minimam de Præceptoris ſui mente conceperint ſuſpicionem, ut certum credo, aut ſaltem arbitror probabilius. Nam liquet primo, D. Thomam nullibi ſtatuiſſe prædeterminationem neceſſariam ex capite dependentiæ, quo unico titulo gratia efficax in ſtatu naturæ innocentis aſſeritur neceſſaria. Deinde utriusque ſtatus diverſitatem cum Auguſtino non uno tradit in loco, ac præſertim 1. 2. quæſt. 109. art. 9. in corpore, art. 7. ad 3. art. 8. & 9. in corp. quæſt. 3. de malo art. 1. ad 9. ubi proculdubio ex contracta per peccatum originale infirmitate ſpecialis Divinæ motionis neceſſitatem inculcat; ut falſi ſint, & à veritate recedant, qui aſſerunt beatum Thomam nullum inter utrumque ſtatum agnoviſſe diſcrimen. Quæ cum fateantur Thomiſtæ, non eſt cur Angelici Doctoris verba exſcribamus. At iſti eo ſenſu Magiſtrum interpretantur, quod homini ſtanti neceſſaria fuerit gratia efficax titulo dependentiæ, nunc vero neceſſaria ſit etiam cauſa infirmitatis: quod ego donec videam, audiamque, & librata lance expendam clariſſima teſtimonia, non poſſum, quantum ad rationem dependentiæ attinet, profiteri. Nam hanc ſalvari per univerſalem præmotionem & concurſum immediatum, veriſſima ſententia eſt, ut demonſtratum eſt ſupra, etiam non admiſſa prædeterminante motione.

17. Probatur 2.

Sed accedit quoque ſpeciale argumentum. Diſputat S. Thomas prima 2. quæſt. CIX. art. X. Utrum homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeverandum; & tertio loco proponit hoc argumentum: *Præterea ſicut Apoſtolus dicit ad Romanos* V., *plus reſtitutum eſt homini per donum Chriſti, quam amiſerit per peccatum Adæ. Sed Adam accepit unde poſſet perſeverare: Ergo multo magis nobis reſtituitur per gratiam Chriſti, ut perſeverare poſſimus; & ita homo non indiget gratia ad perſeverandum.* Quæſtionem pertractat, ut conſtat ex corpore, de homine conſtituto in gratia habituali, & reſpondet præter hanc gratiam habitualem hominem indigere *Divino auxilio ipſum dirigente contra tentationum impulſus.* Reſpondetne argumento etiam Adamo neceſſarium fuiſſe ad perſeverandum auxilium gratiæ prædeterminantis, non quidem ad ſuperandos tentationum impulſus, ſed ad ſalvandam ejus dependentiam à prima cauſa? Minime gentium. Reſpondet latiſſimam eſſe diſparitatem, Adamum in bonis poſitum Creatoris, virtutis ad perſeverandum inopem non fuiſſe; conferri nobis actualem perſeverantiam meritis Redemptoris: & tamen primum hominem hoc munere deſtitutum facilius potuiſſe perſeverare, quam nunc poſſimus. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit, homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur quod perſeverent. Et ſic donum Chriſti eſt majus quam delictum Adæ. Et tamen facilius homo per gratiæ dona perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quam nunc poſſimus, quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantum ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantum ad carnem, quod erit in patria.* Similia, & longe his clariora habet S. Thomas 2. 2. quæſt. CXXXVII. art. 4. *Ad ſecundum* (inquit) *dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Corrept. & Grat. primo homini datum eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeverandi difficultatem præberet. Sed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti non ſolum datur ut perſeverare poſſint, ſed ut perſeverent. Unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate. Iſti autem ſæviente mundo ne ſtarent, ſteterunt in fide.* Quæ verba adeo clara ſunt, ut nulla indigeant explicatione.

18. Confirmatur ex Thomiſtis.

Nobiliſſimi Thomiſtæ ajunt de mente Angelici Doctoris non eſſe ambigendum, ipſum requirere pro ſtatu naturæ integræ auxilium gratiæ efficacis 1. part. quæſt. 109. art. 2. & art. 3. & 9. ſeqq. eſſe ejus verba luce clariora meridiei. Vide Card. Gotti tom. 3. quæſt. VI. de ſcientia condit. dub. VIII. §. 2.

19. Roboratur ulterius.

Qui præmotionem univerſalem adſtruunt, qualem nos explicavimus, indefinentem ſcilicet illuminationem mentis, & inclinationem voluntatis ad bonum generatim ſumptum, quam Deus imprimit voluntati, ſervatque per jugem conſervationem; hi non habent Sanctum Thomam ſibi adverſantem. Priori loco citato: *In utroque ſtatu*, inquit,

quit, *indiget homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Audio Auxilium gratiæ *moventis*, non audio *prædeterminantis.* Secundo loco habet Angelicus: *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* Moventis dixit, non efficaciter *præmoventis*, qualis est gratia sanans, qua *non solum datur hominibus ut perseverare possint, sed ut perseverent.* Postremo loco: *Nulla*, inquit, *res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis Divinæ.* Ex qua generali ratione probat necessitatem gratiæ etiam in primo homine, additque statim pro natura infirma specialem rationem, id est servitutem legis peccati. Bene habet. Inveni rursus nomen *motionis* universalis, & gratiæ *sanantis*; & nihil ultra. Hi sunt firmissimi Adversariorum nostrorum recessus, & summorum virorum invictissima propugnacula.

20. Propositio 3. Probatur etiam Ægidium romanum consentire.

Propositio III. Consentit hactenus dictis Ægidius Romanus.

Nobis quidem solemne non est jurare in verba alicujus Magistri, præsertim si latum unguem discedat ab Augustino; nam ubi cautum est Ægidio nomen dare ad servandam in Scholis uniformitatem doctrinæ Const. nostrarum part. v. cap. 2., ibidem est severiori lege sancitum, ne S. Patris, in his præcipue controversiis, quæ ad gratiam spectant, à semitis deflectamus; datumque humaniter de aliorum placitis pro libito disputare. Sed quoniam Thomistæ, & qui inter nos de Ægidii nomine nuncupantur, clamitant Eremitanos Italos, Flandrosque Ægidianæ Scholæ nuncium misisse; pugnaciter pygmæus cum Hercule contendo illos Ægidium deseruisse, nos vero hac in parte, quæ una inter nos paries est divisionis, Doctoris placita consectari.

21. Probatio 1.

Ægidius dist. IV. in 2. sent. art. 4. ait. *Adhærere Deo amore casto in statu naturæ corruptæ non potest esse sine gratia, sed in statu naturæ institutæ potuit hoc esse per puritatem & innocentiam.* Fulgentius Bellelli vir cum dignitate, tum doctrina conspicuus lib. 2. de Mente Augustini cap. 19. arbitratur sentire Ægidium, quod Creatura innocens potuerit absque ulla gratia actuali bonum agere, atque ita pro sententia nostra ratiocinantur; *Si bene agere potuit nudum sine ulla gratia arbitrium; quanto magis id poterit cum supernaturali adjutorio, etsi versatili?* Aliter ego interpretor verba Ægidii, atque idem infero manifestius. Placuit illi Angelos & Adam conditos cum justitia originali, quæ tamen non esset gratia gratum faciens, sed solum subjectio inferiorum partium superioribus, quæ, ut observat Estius in 2. dist. 25., & idem Bellelli capite laudati Operis primo, fuit plurium Antiquiorum opinio. Quapropter quando Ægidius ait Angelos & Adam conditos absque gratia habituali, ut animadvertit idem Doctor dist. XXIX. dub. v. laterali: *Cum loquimur absolute de gratia, intelligimus de gratia gratum faciente.* Porro juxta Ægidium Deus simul cum natura contulit gratiam, & inclinationem, quam appellat amorem naturalem, quod simul cum natura fuerit primitus inspirata. *Deus*, inquit, *simul dedit angelis naturam & inclinationem. Et hæc inclinatio licet esset consequens naturam, poterat tamen dici gratia, quia erat quid additum naturæ; non enim fuit parvum donum simul cum natura dare angelis hujusmodi inclinationem.* Quæ inclinatio, & amor naturalis dici potest, & gratia: *naturalis*, quia simul cum natura inspiratus; *gratia*, quia fuit donum naturæ superadditum. Neque poterat Ægidius melius doctrinam suam contra futuros errores Baji communire; neque manifestius asserere creaturam innocentem non habuisse nudum absque ulla gratia arbitrium adversus interpretationem Bellelli. Illa autem inclinatio, ille amor, illa gratia naturæ superaddita fuit per Ægidium æque in singulis Angelis: *Ipse amor*, addit, *naturalis prout erat innocens & purus, quo omnes Angeli in instanti suæ creationis Deum dilexerunt, quædam gratia dici potest.* Cum vero omnes Angeli non permanserint in ea dilectione, consequens est, non fuisse delectationem victricem, prædeterminantem atque efficacem. Lege clarissimum sui interpretem Ægidium.

22. Probatio 2.

Jam vero sic argumentor. Juxta Ægidium in statu naturæ corruptæ non potest homo adhærere Deo sine gratia; at in statu innocentiæ id potuit per solum amorem naturalem, purum & innocentem: Atqui per Ægidium amor naturalis purus & innocens est illa inclinatio naturæ superaddita, sive gratia omnibus angelis collata, quæ profecto non fuit prædeterminans, nam alias angeli omnes stetissent: Ergo juxta Ægidium

dium in ſtatu innocentiæ poterat homo vel angelus adhærere Deo atque perſeverare absque ulla gratia prædeterminante, & cum ſola inclinatione ac dilectione ſingulis ex æquo collata. Major eſt ejusdem Ægidii, & minor conſtat ex dictis.

23. Probatio 3. Rurſus Ægidius diſt. XXIX. art. 2. dub. 1. lat. docet Adam per ſolam originalem juſtitiam, quæ importat ſubjectionem partium inferiorum ad ſuperiora, potuiſſe ſtare & evitare peccata, non tamen potuiſſe proficere & mereri: quod repetit ſeq. art. 3. affirmans quod idcirco non potuiſſet mereri, quoniam, ut diximus, ſupponit non habuiſſe gratiam gratum facientem: Atqui per Ægidium juſtitia originalis non importat gratiam prædeterminantem, ſed ſolam creaturam puram conditam cum ſubordinatione carnis ad ſpiritum, & cum inclinatione gratiæ ſuperaddita naturæ: Ergo per Ægidium potuit primus homo ſtare & evitare peccata absque ulla gratia prædeterminante. Confirmatur ex ſeq. art. III. Si Adam, quemadmodum habuit originalem juſtitiam, habuiſſet etiam gratiam habitualem, nedum potuiſſet ſtare & evitare peccatum, ſed etiam mereri & proficere; & ideo potuit ſtare ſed non potuit mereri, quia habuit originalem juſtitiam, ſed non gratiam habitualem. Igitur juxta Ægidium in ſtatu innocentiæ ut poſſit homo perſeverare & mereri nil ultra requiritur, quàm juſtitia originalis & gratia gratum faciens. Omnes hæ argumentationes ſunt verbis Ægidii compactæ.

24. Probatio 4. Ulterius eadem diſtinct. dub. IV. probat naturam integram non potuiſſe ſeſe præſervare à peccato ſine originali juſtitia, *VEL ſine ulteriori gratia*: quod demonſtrat, quia ut homo præſervet ſe à peccato, habeatque veram juſtitiam & æquitatem, requiritur inferiorum ſubjecto, quam innocentia præſtat originalis; & quæ niſi ſit, neceſſaria eſt ulterior gratia ut comprimat motus, qui inſurgunt in ſenſualitate repugnantes rationi: Igitur ubi ſit juſtitia originalis, ut natura integra poſſit ſe præſervare à peccato, non eſt juxta Ægidium *ulterior gratia*. Et nota quod per ulteriorem gratiam non poteſt Ægidius intelligere gratiam habitualem, nam ut conſtat ex præcedenti dub. 1. ſine gratia habituali poterat creatura innocens ſeſe præſervare à peccato cum ſola originali juſtitia. Miror neminem ex noſtris, qui profitentur ſe Ægidianos nunquam hæc obſervaſſe.

25. Probatur 4. Magiſter Gavardi, & Hyacinthus Serry citant Ægidium pro ea quam tenent ſententia P. 1. Hexam. cap. XV. & P. 2. cap. III. & XXXI. Nullum alium locum commendant. Sed in his locis Ægidius ſolum docet Angelos primum fuiſſe productos, poſtea diſtinctos: primo naturam angelicam ſignificatam fuiſſe per cœlum, deinde per lucem. Vellem audire Ægidium aſſerentem Angelos bonos fuiſſe diſtinctos uberiori efficacis gratiæ adjutorio. At fruſtra id citatis locis requires. Quid ſibi velit Ægidius ex ejus verbis ſatis ſuperque intelligimus. Eo loci, & etiam diſt. IV. in 2. ſent. docet inter creationem angelorum & gratiam habitualem fuiſſe aliquam moram, ac principio collatam illis originalem juſtitiam, poſtea gratiam gratum facientem. En quomodo Angeli prius fuerunt producti, poſtea diſtincti: primo fuerunt cœlum, deinde lux. Fuerunt producti cum originali juſtitia, diſtincti per gratiam habitualem: facti cœlum per conditionem naturæ, lux per gratiam, lux autem à tenebris diviſa per confirmationem in gratia, & per converſionem bonorum, malorumque averſionem. Imo num Angeli diſtincti fuerint à Deo, vel à ſeipſis, præterit Ægidius alto ſilentio: quamquam utrumque verum eſt, nempe diſtinctos à Deo per confirmationem in gratia, diſtinctos ſeipſis per converſionem ad Deum. Ergo nos neque ab Ægidio recedimus, uti nonnulli ex noſtris conqueruntur.

CAPUT IX.

Argumenta oppoſita refutantur.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Proponitur, & ſolvitur potiſſimum Thomiſtarum argumentum ex S. Auguſtino deſumptum.
4. Solvitur alia objectio ex S. Auguſtino facta.
5. Satisfit objectioni deprompta ex Doctore gentium.
6. Et ſeqq. Expediuntur objectiones reliquæ.

1. Objectio 1. Opp. S. P. Aug. lib. XII. de civ. Dei cap. 9. ait: *Aut minorem Angeli mali acceperunt amoris Divini gratiam, quam illi qui in ea perstiterunt; aut si utrique boni creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ergo per Augustinum Angeli qui perseveraverunt, majori gratiæ suffulti sunt auxilio.

Solutio. Non una est Theologorum ad hoc potissimum Thomistarum argumentum responsio. Affirmant quidam, S. Patrem hanc sub vitæ finem, in libro scilicet de corrept. & Gratia, retractasse sententiam; ita sentit, sed ut arbitror nulla ductus ratione Franciscus Henno. Putant alii Angelos, qui perseveraverunt, adjutos fuisse validiori gratia, non tamen efficaci, sed in eodem gratiæ genere, versatili nimirum atque ab Angelorum pendula arbitrio, ut censet Macedo. Quidam asserunt Angelos permanentes fuisse magis adjutos eo sensu, quod usi sunt adjutorio dato sibi divinitus, dum alii odiosum illud cassumque reddiderunt. Sed vera est, & Augustino conformior responsio: Angelos qui perseveraverunt, cum possent à Deo in ancipiti statione relinqui, in præmium perseverantiæ cumulatos fuisse tanta mentis illustratione, tantaque plenitudine charitatis, ut certissime noverint se in posterum nunquam ab originali justitia fore casuros. Quod apertissime explicat S. P. de Corrept. & grat. cap. x. dicens: *Diabolus vero & Angeli ejus etsi beati erant, erat tamen quod adhuc eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent; donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium istius permansionis acciperent: id est ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis, cadere ulterius omnino non possent, & de se hoc certissime scirent.* Itaque illud prius *amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt* & istud posterius, *magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis, &c.* unum idemque sunt. Igitur dist. conseq. Angeli, qui perseveraverunt, fuerunt magis adjuti, & hoc adjutorium est adjutorium perseverantiæ, nego; est major abundantia charitatis accepta postquam per liberum arbitrium in veritate steterunt, concedo.

2. Notandum 1. Atque ut omnis præcludatur aditus adversariis; notandum est, omnes fere ex nostris, hujusmodi majus adjutorium appellare adjutorium *patriæ*, non *viæ*. Quod oppugnatoribus præbet ansam insurgendi: Quomodo Angeli Sancti fuerunt magis adjuti auxilio patriæ, ut pervenerint ad patriam? Certe, inquit P. Serry, atque ante illum Guilelmus Estius, quod non habetur nisi in termino, medium non est quo perveniatur ad terminum; at lumen gloriæ non habetur nisi in termino: ideoque non potest esse medium, quo perveniatur ad gloriam. Itaque Augustinus non ait, Sanctos Angelos fuisse magis adjutos ut pervenirent ad gloriam, & beatitudinem. Minime. Scribit magis adjutos perveniisse ad plenitudinem beatitudinis. Jam erant beati, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini: deerat illis major abundantia charitatis: deerat certitudo, qua scirent se amplius non esse casuros. En plenitudo beatitudinis: id superadditum est, postea quam per liberum arbitrium in veritate steterunt. Quam beatitudinis plenitudinem, majoremque abundantiam charitatis ideo dicimus auxilium patriæ, quod secum trahat certitudinem & inamissibilitatem beatitudinis, non quod auxilio isto Angeli Sancti perseverarent, & pervenirent ad patriam. Accessit enim adjutorium istud postquam perseveraverunt, non antea. Attende num id verum sit. Quando angeli mali ceciderunt, boni perseverarunt: sed Angeli Sancti receperunt per Augustinum majorem Divini amoris gratiam, certamque fuæ beatitudinis scientiam postquam angeli mali ceciderant: Ergo donati sunt majori gratia postquam perseveraverant, non, ut adversarii comminiscuntur, ut perseverarent reipsa. Minor propositio est ejusdem Augustini lib. XI. præcedenti de civit. Dei cap. XIII. *Si pares fuerunt, POST ISTORUM RUINAM illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit.* Quapropter ea propositio, *Fuerunt adjuti auxilio Patriæ ut pervenirent ad patriam*, falsa est, neque à nobis pertertur: hæc vero, *Postquam in veritate steterunt, fuerunt adjuti pleniori charitate & scientia, quæ secum trahit beatitudinem inamissibilem patriæ*, & vera est, & Augustiniana est, & frustra sophismatum impetitur machinamentis.

3. Notandum 2. Denique cum multi diversa instantia in Angelorum via distinguant, & in angelis malis multa demerita, quod facit etiam Doctor Subtilis; cur affirmare non possumus Angelos malos in primo instanti superbia tumidos corruisse, bonos autem humili conditionis creatæ consi-

consideratione stantes uberiorem gratiam postulasse: in altero instanti superbos angelos fuisse à Deo relictos, bonos vero confirmatos in gratia, & majori abundantia charitatis donatos: ac demum in tertio apostatas angelos sempiternis suppliciis addictos, perseverantes gloria beatitudinis coronatos; & consequenter gratiæ confirmationem, vegetioremque charitatem fuisse adjutorium *viæ*, non necessarium ad perseverandum, sed datum, in præmium perseverantiæ, ut facilius ad beatitudinem pervenirent? Hæc quidem rationi consentanea sunt; nam si diutius in propriæ libertatis relicti essent indifferentia cum sola gtatia versatili, deficere & ipsi angeli boni potuissent; ideoque cadentibus aliis steterunt ipsi, sed propriæ conscii imbecillitatis, & facti aliorum, qui ruebant, timidiores exemplo, majorem gratiam postularunt, habuerunt, tantoque ardore dilexerunt Creatorem suum, ut statim ei perpetuæ felicitatis copularentur consortio. Sed de priori argumento satis: reliqua persequamur.

4. Objectio 2. ex S. Augustino.

Opp. 2. Angeli boni non poterant se reddere meliores, & ab aliis discerni seipsis: Atqui si perseverassent cum solo adjutorio gratiæ versatilis, seipsis facti fuissent meliores: Ergo non poterant cum solo adjutorio gratiæ versatilis perseverare. Prob. major ex Aug. eodem loco dicente: *Si autem Angeli boni fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores à seipso, quam ab illo facti sunt? Absit.*

Solutio.

Resp. dist. min. Facti meliores fuissent seipsis, id est solo naturali arbitrio, & nullo adjutorio gratiæ prævenți, nego: id est arbitrio suo cum gratia Conditoris in bona voluntate permanentes, concedo. Id solum Augustinus docet, bonos Angelos non feciſse sese meliores angelis malis, quoniam utrique conditi in bona voluntate, & in gratia habituali fuerunt, in qua illi non virtute arbitrii nativa sed gratiæ beneficio steterunt, quod cujus generis fuerit, an efficax, an indifferens, ad Augustini scopum definire minime pertinebat. Qualecunque enim fuerit, semper gratia Dei effecti sunt meliores, cum gratia fuerit bona voluntas primordio eis inspirata, gratia illustratio mentis superna, gratia auxilium *sine quo* non poterant in accepta persistere sanctitate. Explicat semet Augustinus, dicens ibidem: *Neque enim Angeli seipsos meliores fecerunt, quam à Deo facti sunt, sed in eadem bona voluntate permanserunt, in qua primum conditi sunt.*

5. Objectio 3. ex S. Paulo.

Opp. 3. Pertinet etiam ad angelos dictum illud Apost. in 1. ad Corinth. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* At Augustinus ex eo principio demonstrat contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis in statu naturæ lapsæ: Ergo istiusmodi gratia erat etiam in statu innocentiæ ad perseverandum necessaria. Profecto monitum Apostolicum etiam ad Angelos pertinere affirmat S. P. lib. XI. de civit. Dei cap. 19.

Solutio.

Resp. conc. majorem. Etenim Angeli à Deo virtutem acceperunt perseverantiæ, sed non eodem modo, quo filii Adam; in illis enim supernaturalis virtus dabat ut possent perseverare; in his præstat ulterius ut actualiter perseverent. Atque dist. minor. Ex præfato Apostolico testimonio probat Augustinus contra Pelagianos necessitatem gratiæ victricis, ita ut necessitas gratiæ, prout contradistinguitur à donis naturalibus, eruatur inde invictissime, concedo: ita ut necessitas gratiæ victricis quatenus à gratia indifferenti secernitur, ex verbis Apostolicis evincatur sine suppositione vulneratæ per originale peccatum naturæ, nego. Quidquid creatura habet, deorsum est, ac beneficium liberalissimum Largitoris, neque ullatenus gloriari illa potest, nisi in Domino. Si Angeli absque ulla gratia creati essent, sibique sola naturali virtute sanctitatem & justitiam comparassent, gloriari utique potuissent se habere quod à Domino non acceperunt; & si homo fractis viribus, ignarus, pugna sensuum suorum lacessitus cum sola gratia versatili posset bonum agere; posset gloriari se infirmum debilemque tantum perficere, quantum Angeli præstiterunt, & quantum primus homo non fecit. Itaque ex Apostoli textu nulla facta statuum comparatione probatur necessitas gratiæ, prout gratia est donum naturæ superadditum, præscindendo an gratia istiusmodi indifferens sit, an prædeterminans, idque in unoquoque statu magnum est argumenti pondus: at si circumstantiæ superaddantur infirmitatis, demonstratur inde validioris gratiæ adminiculum, quod non spectat naturæ conditionem, sed lapsum. Nequit homo sive infirmus sit, sive sanus vivere absque alimentis, quæ Conditoris providentia ministrat: Si desint hæc, necesse est moriatur: si quis absque Conditoris munere fata conderet, pararetque alimonia, superbire posset, quod

se propria industria servaret. Hæc ratio communis est tam homini infirmo, quàm sano. At mala valetudine affectus nedum eget alimentis quæcunque sint, sed talibus, quibus & vita servari possit, & vires deperditæ reparentur. Aliunde repetitur necessitas alimentorum; aliunde talium alimentorum: prima est necessitas orta ex conditione naturæ; hæc vero necessitas proveniens ex contracta virium infirmitate. Hoc allato exemplo de gratiæ necessitate loquitur S. P. lib. de Corrept. & Grat. cap. XII. & lib. XIV. de civ. Dei cap. 27.

6.
Objectio 4. Opp. 4. Debuit creatura innocens ut perseveraret suppliciter orare Deum, & auxilium gratiæ humiliter postulare: Ergo gratiam, quæ ad actualem requiritur perseverantiam, non habuit; cum oratio impetratoria sit, & nihil petatur, nisi quod ab aliena liberalitate conceditur. Atque hinc est quod ex Orationibus Ecclesiæ pobat Augustinus efficacis gratiæ necessitatem. Prob. ant. ex Libello Gelasii adversus Pelagianos, qui habetur Tom. IV. Conciliorum Philippi Labbei, ubi Romanus Pontifex ait: *Illa prima conditionis integritas, dum ita de se fidit, tanquam ipso qui condiderat non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nusquam feciſſe memoratur, nec pro conservandis quæ sumpserat poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu devota concurrit, & consulit, suæque se credit inter prospera voluntati, facile sine præsidio Creatoris patuit insidiis deceptoris; & in prævaricationem tracta consequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit.*

Solutio. Resp. dist. antec. Debuit creatura innocens Deum orare oratione gemitus, nego: oratione laudis, concedo. Appello orationem gemitus illam, qua petitur auxilium nondum collatum: orationem laudis, qua de accepto auxilio gratiæ Deo referuntur. Sic pauper stipem postulat gemitu dum percellitur fame: sed accepta eleemosyna laudat divitem misericordem, petitque ne se in posterum derelinquat. Ergo creatura innocens, quoniam originalem justitiam ac bonam voluntatem acceperat ex liberalitate Creatoris, tenebatur animadvertere se Divini muneris conservatione indigere: atque in hoc erravit magnopere Adam, & malus angelus; quod prioribus verbis significat Gelasius Papa, dicens: *Dum ita de se fidit, tanquam ipso, qui condiderat, non egeret.* Tenebatur insuper omnium donorum largitori humiles gratias rependere; nam beneficiorum obliviſci vitium est ingratitudinis detestabile: quod damnans Gelasius subdit: *Nec de perceptis agit gratias, quod nusquam feciſſe memoratur.* Tenebatur quoque pulsante tentatione orare ne Divino destitueretur auxilio, quod, etsi præsto aderat, poterat illud Altissimus, qui donorum suorum est Dominus, subtrahere: & ideo addit Romanus Pontifex: *Nec ad eum pulsata tentatoris accessu devota concurrit.* Quod autem creatura innocens teneretur petere gemebunda uberius victricis gratiæ adjutorium, frustra Adversarii ex verbis Gelasii conabuntur nobis insinuare. Persistere non voluerunt Angeli & Adam, quod Dei gratiam in vacuum receperint, *nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando*, ut repetit S. Gelasius paulo infra. Itaque si orassent oratione laudis, & imploràssent ut accepta dona intemerata conservarentur, absque prædeterminante gratia perseverassent. Quo argumenti genere utitur Gelasius contra Pelagianos, quasi diceret: Fuit necessaria gratia creaturæ innocenti, ergo à fortiori indiget illa homo lapsus: si illa superbiendo, ac nimium de se fidens in veritate non stetit; quomodo nunc stare præsumat viribus confracta, ac vulnere sauciata lethali? Atque argumentum istud est etiam in Augustini libris usitatissimum. Hæc malo respondere, quam reponere Gelasium diversa ab Augustino sentire.

7.
Objectio 5. Opp. 5. In Augustini libro de Cantico novo cap. 8. habetur: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adamo monstratum est.*

Solutio. Res. (quamvis citatum librum non esse Augustini communiter censeant Critici, quod neque in libris Retract. neque in indiculo Possidii memoretur) id verum esse absque ullo gratiæ versatilis præjudicio. Primo monstratum est in Adamo cum sola gratia indifferente hominem esse in manu consilii sui, & posse sive ad aquam porrigere manum; quum per efficacem gratiam Salvatoris regatur omnipotenti dextera Dei, & quamvis infirmus non tamen deficiat, neque adversitate aliqua superetur. Deinde in Adamo monstratum est, arbitrium non adjutum, scilicet virium suarum confidentia Dei munera pessumdans ac sponte abjiciens, & sic propriis viribus relictum, posse tantum peccare; veluti in claudo, qui projiciat omne substentaculum & cadat, apparet non posse baculo destitutum incedere. Hanc interpretationem tradit apertissime S. P.

ferm.

serm. xi. de Verbis Apostoli, dicens: *Regebat eum ipse qui fecerat; voluit deserere eum à quo factus est: permisit Deus tanquam dicens, deserat me & inveniat se, & miseria sua probet, quia nihil potest sine me. Hoc modo ergo ostendere voluit Deus, quid liberum arbitrium valeat sine Deo.* Per quam igitur exponunt Thomistæ verba Augustini, quasi in Adam monstratum sit, quod sine gratia efficaci non poterat permanere: cum ibi intelligatur arbitrium nedum destitutum gratiâ efficaci, verum etiam deserens eum à quo factus est, relictum propriis viribus, abjiciens munera Conditoris, fidens sibi ipsi, & parvipendens adjutorium, sine quo non poterat perseverare potuisset tamen nisi superbiendo sibimetipsi maluisset blandiri.

8. Objectio 6. Opp. 6. In statu quoque innocentiæ juxta Augustini placita adstrui debet gratuita prædestinatio; Igitur & gratia victrix ac prædeterminans. Probatur ant. exemplo Christi, qui absque ulla meritorum præviſione electus est: unde Augustinus in lib. de Prædest. SS. cap. xv. inquit: *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei, & hominum Christus Jesus.*

Solutio. Resp. nego ant. Ostendimus enim sup. capite in statu innocentiæ prædestinationem fuisse arbitrii mercedem, nunc vero gratiam liberationis, quod accipiendum est de arbitrio gratia Dei suffulto, & de mercede reddenda meritis gratia comparatis, sed gratia versatili ac propria illius status; nam merita naturalia etiam hominis integri commentitia sunt, ut definitum est à Summis Pontif. Pio V. & Gregorio XIII. Ad probat. dico, non eamdem esse de Christo, & de simplici creatura rationem. Nam Christus primogenitus multorum fratrum & caput prædestinatorum spectat ad Ecclesiam istam, quam acquisivit sanguine suo: & in unoquoque corpore eadem est vita capitis & membrorum, in unaquaque Ecclesia eadem gratia Capitis & Fidelium, qui spritualem vitam ex eo hauriunt ac participant. Propterea cum nos efficacibus indigeamus adjutoriis, etiam Redemptori nostro collata sunt, non ob ejus necessitatem, sed propter Ecclesiæ sponsæ suæ participationem atque ornamentum. Quamquam Augustinus, qualem gratiam habuerit Christus, expresse non meminit; videtur autem talem esse ejusdem sensum verborum: Sicut Christus, ut esset hominum Redemptor, & unionem haberet hypostaticam, nullis præcedentibus meritis creditur prædestinatus; ita nos ad initium, fidei & ad gratiam, atque in hac perditionis massa etiam ad gloriam, nullo meritorum intuitu fuimus præordinati. *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum:* ait ibidem S. Pater.

9. Objectio 7. Opp. 7. Adversantur traditæ statuum divisioni præclarissimi Ecclesiæ Patres: Fulgentius, qui lib. ii. ad Trasimun. cap. 2. scribit eamdem gratiam custodisse angelum à ruina & reparasse hominem lapsum: Gregorius, qui lib. xv. Moralium cap. xxxii. ad occulta judicia Dei, non ad merita refert, quod ex angelis aliquos sempiterna beatitudine donaverit, alios æternis addixerit cruciatibus: universa demum Ecclesia, quæ vetat anathemate, ne asseramus bonis angelis, & primo homini, si ad ultimum vitæ perseverasset, felicitatem futuram fuisse mercedem, non gratiam.

Solutio 1. Resp. Fulgentium gratiam Conditoris & gratiam Reparatoris eamdem appellavisse non quantum ad vim effectricem, sed quantum ad principium, & virtutem Dei omnipotentis, qui eam impertitur. Constat ex eodem Fulgentio, cujus hæc sunt verba: *Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, Filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris, sapientia immutabilis, virtus inseparabilis.* Quo trahunt, quæso, Thomistæ hunc locum, ex quo contra Arianos probatur Unigenitum Dei Filium, nedum hominem factum fuisse humani generis Salvatorem, sed etiam, ut Virtus & Sapientia Patris est, servatorem fuisse angelorum, & consequenter immutabilem Deum, & Patri consubstantialem? Hæc sunt egregia pro efficaci gratia testimonia? Si ita est; si eadem gratia quantum ad vim effectricem in utroque statu requiritur, quomodo erit potentior quæ sanat vulnera, & reprimit perduellem concupiscentiam? Et si validior est; quomodo est eadem? Sed lege Fulgentium in lib. de Fide ad Petrum cap. 3. diserte cum Augustino docentem angelos sanctos non fuisse à Deo majori gratia sanctæ dilectionis cumulatos,

mulatos, nisi postquam aliis cadentibus ipsi propria voluntate steterunt.

10. Solutio 2. Gregorius vero ad inscrutabilia judicia Dei refert, non quod angeli boni steterint, aut mali ceciderint, sed quod Deus noluerit istis ignoscere, atque ad resipiscendum gratiam largiri: quod cum esset omnipotens, poterat si voluisset, & quare noluerit latet in altitudine divitiarum scientiæ suæ. Habet similia S. P. Augustinus lib. XI. de Gen. ad lit. cap. 10. quæ perperam ad se trahunt Adversarii. Quid enim ad illorum causam accedet, si fateamur Deum potuisse angelos desertores convertere, & cur noluerit penes ipsum esse, ut scribunt Gregorius & Augustinus? Id nullus ratione præditus negat: cur autem uni, non alteri donetur perseverantia; pertinet ad inscrutabilia judicia Dei in hoc tantum statu, in quo uni misericorditer confertur, alteri juste denegatur, & quare huic conferatur, non illi, cum omnes in massa fuerint perditionis, causa nulla est, præter Dei beneplacitum. Hæc ad illum statum non pertinent, in quo perseverare aut non perseverare in libero erat arbitrio. Sed age, quandoquidem Magnum Gregorium laudavimus, audias illum hæc lib. v. Moral. cap. 28. scribentem: *Mire autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto ex arbitrio starent; & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Quidnam pro sententia nostra desideras manifestius? Porro & nos fatemur merita bonorum angelorum fuisse ex gratia; sed negamus fuisse ex gratia prædeterminante: unde quod ultimo loco opponebatur, urget Bajum, non Augustini discipulos.

11. Objectiones aliæ corruunt. Sunt quædam alia apud Hyacinthum Serry; sed ex dictis prorsus corruunt. Accusat nos antil[illegible]æ, quod gratuitæ prædestinationis finius propugnatores: sed angelos gratis prædestinatos quis hujus nostræ sententiæ assertor putavit unquam? Ait providentiam certam esse infallibilitate mediorum: at quis ex nobis in hac providentia, quæ infirmos spectat, naturam quoque integram comprehendit? Inquit nos statuere scientiam Dei esse causam rerum omnium: verum quis nostrum de omni penitus scientia, atque de æquali in omni eventu causalitate id fatetur? Hæc, & similia eadem exsufflantur, qua proferuntur, facilitate. Istius generis sunt, quæ afferuntur ex historia Congr. de Auxiliis, in qua Molinianus Orator die 22. Novemb. 1605. curavit evertere necessitatem gratiæ efficacis ex lib. de Corrept. & Grat. S. Augustini; nam quod Jesuita affirmaverit auxilium prædeterminans non esse necessarium ex dependentia causæ secundæ à prima, verum est: quod ex eo principio asseruerit non opus esse in hoc statu auxilio prædeterminante, falsum est: cum ex eodem Augustini libro demonstretur hujus auxilii necessitas ex capite infirmitatis. Quæ vero objiciunt alii Thomistæ ex ratione primi moventis, & indifferentiæ creaturarum, fuerunt omnia superius refutata: neque opus est recudantur hoc capite, in quo nimis forte ob Adversariorum meorum dignitatem lectores defatigavi.

CAPUT X.

Sitne scientia futurorum contingentium, de quibus pertractatum est, appellanda juxta consuetudinem Scholasticorum Scientia Media?

SUMMARIUM.

1. De scientia simplicis intelligentiæ, & visionis.
2. Aliorum Doctorum opiniones.
3. Si accipias *scientiam mediam* pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, nec non operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admittitur vocabulum *scientiæ mediæ.*
4. Præscientia peccatorum in statu naturæ lapsæ spectat ad scientiam visionis, non verò ad scientiam mediam.
5. Et seqq. *Scientia media* futurorum conditionatorum, quæ neque sit scientia simplicis intelligentiæ, neque visionis, nec in præsenti statu, nec in statu innocentiæ habet locum.

1. De scientia simplicis intelligentiæ, & visionis. PRIMO hujus libri cap. diximus scientiam Dei comparate ad possibilia appellari in Scholis scientiam *simplicis intelligentiæ*, seu, ut vocant aliqui, naturalem: connotative vero ad res in aliqua temporis differentia existentes, *scien-*

ſcientiam viſionis. Inter res poſſibiles atque exiſtentes ſunt aliquæ, inquit Ludovicus Molina in Concordia quæſt. XXIII. art. 4. quæ non ſunt quidem abſolute futuræ, eſſent tamen, ſi aliqua poneretur conditio, V. G. ſi Tyrii ac Sidonii Chriſti virtutes ac ſigna vidiſſent, ad illum fuiſſent converſi: Si Deus in tali circumſtantia peccantem ad reſipiſcentiam vocabit, aget is certocertius pœnitentiam: quæ dicuntur futura conditionata, & à Deo certiſſime prævidentur, ut vidimus in cap. II. prop. 3. Ergo quemadmodum inter poſſibilia & abſolute futura mediant conditionata; ita inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* quæ ſpectat ad poſſibilia, & ſcientiam *viſionis* quæ refertur ad res exiſtentes & abſolute futuras, mediat ſcientia conditionatorum, quæ appellatur *ſcientia media*, Rejiciunt hanc Thomiſtæ, quod nulla res percipi poſſit futura, niſi à Deo cauſæ ſecundæ prædeterminentur; & prædeterminatione ſuppoſita non poſſint non evenire, & conſequenter affirmant quælibet futura à Deo cognoſci per ſcientiam *viſionis*. Quod ſi quæras, quomodo dari poſſit decretum efficax ac prædeterminans, & nihilominus res non ſint abſolute futuræ; reſpondent id eſſe, quoniam circa futura conditionata datur decretum efficax & abſolutum ex parte Dei, ſed conditionatum ex parte objecti.

2. Aliorum Doctorum opiniones.

Neque aliter ſentiunt circa decretum Scotiſtæ, ſed phyſicam prædeterminationem negant tamen, cum decretum Divinum à præmotione ſejungant; nam licet antecedens, extrinſecum voluntati creatæ cenſent omnino. Noſtrates vero, qui gratiam prædeterminantem in hoc ſtatu defendunt, ſed neceſſariam non putant pro ſtatu innocentiæ, neque prædeterminationem admittunt ad opera naturalia, neque ad *materiale* peccati, in his omnibus ſcientiam mediam profitentur, eam duntaxat relegantes ab operibus ſupernaturalibus ſtatus naturæ lapſæ: de quibus poſtmodum. Quidam arbitrantur futura conditionata, neque ad ſcientiam *viſionis* pertinere, quod nullum extet de his decretum; neque ad ſcientiam *mediam*, quod iſtiusmodi futura, non ſint diverſa à rebus poſſibilibus, niſi rationis noſtræ figmento, ac nominetenus: ideoque ſpectent ad ſcientiam naturalem, ſive *ſimplicis intelligentiæ*. Atque hæc ſententia & Thomiſtis, & Molinianis adverſatur, & ſive prædeterminationem defendas, ſive rejicias, à vocabulo ſcientiæ *mediæ* ſemper abhorret: ut præ cæteris præſtat in Promptuario Divinæ Providentiæ vir eximius, & apud Hiſpanos Auguſtinenſes celeberrimus Joſeph à Villanova. Vides, ut arbitror, ab explicatione hujusce vocabuli *ſcientiæ mediæ* quæſtionem iſtam pendere, ideoque de nomine, non de re diſceptari. Sed meam de hac re ſententiam excipias.

PROPOSITIO I. Si accipias *ſcientiam mediam* pro certa præſcientia futurorum ordinis naturalis, ſive ſupernaturalis in ſtatu naturæ innocentis, necnon operum malorum ejusdem ſtatus absque ullo prædeterminante decreto, admitto vocabulum *ſcientiæ mediæ*. 3. Propoſitio 1.

Aſſentiuntur huic propoſitioni quotquot pro diverſitate auxiliorum in utroque ſtatu nobiscum pugnant. Et prob. Neque ad opera naturalia, neque ad ſupernatulalia naturæ integræ, neque ad peccata debet admitti decretum prædeterminans: Ergo hæc non in decreto prædeterminante, ſed tantum per ſcientiam mediam præcognoſcuntur. Probatur.

PROPOSITIO II. Præſcientia peccatorum in ſtatu naturæ lapſæ ſpectat ad ſcientiam *viſionis*, non ad ſcientiam, quam vocant *mediam*. 4. Propoſitio 2.

Negant id qui nobiſcum prædeterminationem ad *materiale* peccati rejiciunt, dicentes, Deus non prædefinit *materiale* peccati, ergo non prævidet peccata in decreto prædeterminante, ſed per ſcientiam *mediam*. Verum peccata non ſunt objectum *ſcientiæ mediæ*, quoniam non prædefiniuntur, ſed alio ex capite. Neceſſaria eſt in hoc ſtatu, ut actu vitentur peccata, gratia ab intrinſeco efficax: hanc Deus aliquibus elargitur, aliquibus denegat: qui hac gratia privantur, poſſunt quidem per auxilia indifferenter moventia ſeſe continere à peccatis, ſed ob prædominantem cupiditatem, niſi efficaciter adjuventur, libere in ſcelera prolabuntur. Jam vero ſic argumentor: Quod prævidetur à Deo ſub conditione inferente, non eſt objectum ſcientiæ *mediæ*, ſed ſcientiæ *viſionis*: Peccata in ſtatu naturæ lapſæ prævidentur ſub conditione inferente: Igitur non ſunt objectum ſcientiæ *mediæ*, ſed ſcientiæ *viſionis*. Negant minorem quidam ex noſtris, propterea quod denegatio gratiæ efficacis non eſt conditio inferens peccatum, cum ideo quisquis peccet quia vult, non quia denegatur illi beneficium indebitum: & id quidem verum eſt; ſed ego non conſtituo conditionem inferentem peccatum in denegatione gratiæ efficacis; ſed illam conditionem ſtatuo in ipſa Probatur.

libera voluntate affecta prædominantibus cupiditatibus, & tali pondere concupiscentiæ, ut sola gratia victrice possit molliri. Quare ita minorem illam sic probo. Peccati vulnus, vesana cupiditas, perduellis concupiscentia est conditio inferens peccatum, ut sancta delectatio, & gratia victrix est conditio inferens meritum, tametsi voluntas peccat quia vult, & meretur, quia gratia illi dat velle: sed in statu naturæ lapsæ præscientia meritorum pertinet ad scientiam *visionis*, quia prævidentur sub conditione gratiæ prædeterminantis: Ergo in statu naturæ lapsæ præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, quoniam in hoc statu peccata prænoscuntur sub conditione voluntatis ad malum cupiditate vehementi inclinatæ, & quæ libere quidem, sed certissime labitur, nisi gratia prædeterminante adjuvetur.

5. Propositio 3.

PROPOSITIO III. Si accipiatur *scientia media* pro cognitione conditionatorum, quæ non sit neque scientia *visionis*, neque scientia *simplicis intelligentiæ*, neque in præsenti statu, neque in statu innocentiæ locum habet.

Probatur.

Ita Joseph à Villanova disp. 11. dub. x. cap. 4. & dub. xi. cap. v. & dub. xii. & probatur. Futura quæ reipsa non erunt, sed forent aliqua posita conditione, non sunt futura, sed possibilia: Possibilia sunt objectum scientiæ naturalis sive *simplicis intelligentiæ*: Sunt ergo objectum hujus scientiæ etiam futura, quæ non erunt reapse, sed forent hac, aut illa posita conditione. Probatur major: S. P. Augustinus lib. xxvi. contra Faustum cap. 4. ait: *Omnia quæ vere futura sunt sine dubio fient: si autem facta non fuerint, futura non erant.* Atqui futura Conditionata non erunt: Ergo non sunt vere futura, sed possibilia duntaxat.

6. Objectio.

Respondent Adversarii ex hoc evinci tantummodo quod non sint futura absoluta, non autem quod non sint futura conditionata. At sic persisto. Futura conditionata non sunt absolute futura, sed tantum dependenter à conditione: Conditio non est futura, sed tantum possibilis: Ergo futura conditionata non sunt futura, sed possibilia. Rursus aut ponetur illa conditio, aut solummodo potest poni: Ex quo conditio aliqua ponenda sit actu, redditur res futura absolute: Igitur ex eo quod poni quidem possit, sed ponenda non sit; remanet res conditionata tantum possibilis. Item ut transeat res futura de statu possibilitatis ad statum *futuritionis* non sufficit conditio tantum possibilis: quomodo enim quod in se *futuritionem* non habet, illam potest rebus tribuere? Tandem in idea ac perceptione rei futuræ venit id quod aliquando erit: Conditionata aliquando non erunt; ergo nequeunt appellari vere ac proprie futura.

7. Thomistis respondetur.

Thomistæ, qui putant cognitionem futurorum conditionatorum spectare ad scientiam *visionis*, respondent eadem evadere futura per decretum absolutum ex parte Dei, conditionatum ex parte objecti. Moliniani contra, qui arbitrantur pertinere ad scientiam *mediam*, inquiunt transire de statu possibilitatis ad statum futurorum per potestatem causæ liberæ, cui præsto sint omnia requisita ad agendum, aut *transitu*, ut quidam dicunt, *objectivo*, sed non reali.

Verum gratis ista dicuntur. Ut enim omittam, quæ contra ejuscemodi decreta partim absoluta, partim vero conditionata, quamplures opponunt; nos lib. 2. cap. 3. & hoc rursus, in quo versamur, cap. 1. ostendimus decreta, aliaque Divina attributa dici tantum connotative, & comparate ad objecta: quare nullum decretum ex parte objecti conditionatum potest excogitari, & absolutum ex parte Dei; sed qualecunque decretum, quum sit aliquid connotativum, aut absolutum, aut conditionatum est undequaque. Accedit, esse quidem in Deo decretum causas liberas, & necessarias juxta singularum conditionem præmovendi; sed liberas Deus nequaquam prædefinit, nisi in ordine ad opera supernaturalia hujus status, sed præmovet tantum universaliter; quæ præmotio non infert certam rerum *futuritionem*, sed complet tantum, perficitque potentiam, ut pro suo arbitratu prodire valeat in actum.

8. Refellitur alia opinio.

Minus vera est opinio aliorum, qui docent conditionata fieri in suo genere futura per possibilitatem causæ liberæ; in qua, donec manet indifferens, nihil certo potest comprehendi, nisi facultas agendi vel non agendi. At hæc indifferens potentia non potest esse medium cognoscendi aliquid, præterquam possibilitatem eventuum: in causa quippe indifferenti, nisi aliud addatur medium, nihil, omnium consensione, dignosci potest infallibiliter. Esse autem objectivum in mente Dei nihil addit rebus, nisi cognitionem illarum, prout sunt in se. Quod si dicant aliqui extrahi futura conditionata à statu possibilitatis per decretum quod non est, sed potest esse; facile mihi erit reponere, Decretum quod potest esse, constituere

rem

rem possibilem, sed non futuram: alias enim quæcunque possibilia essent futura conditionata, cum non repugnet horum prædefinitio ac decretum.

9. Potest negari scientia media ab his, qui rejiciunt prædeterminationem.

Habes ex dictis posse etiam negari scientiam *mediam* ab iis, qui rejiciunt prædeterminationem. Nam futura absoluta possunt à Deo videri in determinatione libera voluntatis, ut diximus cap. VI. & conditionata in comprehensione omnium possibilium: quarum prima est scientia *visionis*, altera *simplicis intelligentiæ*. Neque his repugnant, quæ definivimus cap. II. Prop. 3. Deum conditionata prævidere ac prænunciare, ut constat exemplis eo loco productis: quandoquidem prævidentur per scientiam naturalem, & prænunciantur sub aliqua conditione; quæ cum sit possibilis, & non futura, non extrahit eventum à genere possibilium. Quamquam si absolute conditionata futura prænuncientur, complectitur Divina prædictio, præter eorum possibilitatem, etiam aliquid actu existens. In exemplo sit: Si David commorabitur in urbe Ceila, tradent eum cives. Duo istic divinæ scientiæ objecta occurrunt, proditio David, quæ possibilis est, & cognoscitur per scientiam *simplicis intelligentiæ*: & pravus Ceilitarum animus, quem Deus comprehendit per scientiam *visionis*.

10. Difficultas ex SS Scriptura.

At nonnihil ingerit difficultatis genus aliud prædictionum, quæ in sacris literis occurrunt, in quibus aliquid prænunciatur, nec tamen intercedit aliqua conditio inferens, cujus causa possint ad scientiam *visionis* quodammodo pertinere. Dum enim Elisæus Regi Israel ait: *si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*; ut habetur lib. IV. Regum cap. XIII. 19. liquet conditionem illam percussionis terræ esse prorsus indifferentem ac disparatam, & nullatenus cum Syriæ eversione connecti. Quare verificari nequit Divinum effatum, nisi ad scientiam, quam dicunt *mediam*, confugiamus.

Verum etiam in his illa duo, quæ diximus, reperiuntur, id est, parvus affectus Regis Joas spectans ad scientiam *visionis*, & eversio Syrorum pertinens ad *simplicem intelligentiam*. Mandans enim Propheta, ut Joas percuteret jaculo terram, ostendit hoc signo, nequaquam Deum velle extremam Syriæ eversionem, quod Joas non declinans à peccatis Jeroboam parum fideret in virtute Domini Dei sui. Principio enim Elisæus ait: *Sagitta Salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam*, demonstrans Deum quidem ad redigendos in potestatem Israelis Syros omnes futurum fuisse paratum, si Rex Joas nullum malum fecisset in conspectu Domini, fidenterque pugnasset. Mox ostendens diffidentiam torporemque Regis ait: *Percute jaculo terram.* At Joas leviori ictu, tribusque tantum vicibus terram percussit, stetitque illico. Quod si non in eum diffidentia fractusque animus irrepsisset, incessanter, fortiterque jaculando perstitisset ad nutum saltem Prophetæ. Qui propterea contra Regem iratus inquit, quod si pluribus ictibus terram concussisset, subacta omnino, ac eversa esset Regio Syrorum. Itaque Elisæi prædictio parabola quædam fuit, qua Regis Joas redargueret inertiam, pravumque animi temperamentum: quod proinde fuit scientiæ *visionis* objectum.

11. Solvitur.

Præterea, ut ad principia sua revertatur disputatio, si futuram Syriæ eversionem ad naturalem rerum ordinem dixeris pertinere, fateor absque decreto ullo prædeterminante fuisse præcognitam, ut priori propositione dictum est. Si vero reponenda sit inter futura ordinis supernaturalis, quod Syria bello vastata foret in Dei cultum ac religionem captivanda; necesse erat, ut Regis Joas prædefinirentur actiones, eique gratia victrix daretur, qualem forte habuisset, nisi se omnibus peccatis Jeroboam coinquinasset; ut dicam proximo cap. XII. de habitatoribus Corozain & Bethsaidæ.

12. Ultimata resolutio.

CAPUT XI.

Futura supernaturalis ordinis ad statum naturæ lapsæ pertinentia prævidet Deus in absoluta illorum prædestinatione.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid sit scientia media, quam inveniſſe gloriatur Molina?
3. Scientia media tradita fuit à ſemipelagianis, & ab Auguſtino refutata.
4. 5. 6. 7. Reliqua ad reſolutionem principalem ſcitu utilia.
8. & ſeqq. ſolidè probatur, Deum videre libera ordinis ſupernaturalis, quæ ſpectant ad ſtatum naturæ lapſæ, dependenter ab efficaci decreto, non per ſcientiam *mediam*.

1. Quid ſit ſcientia media.

EST itaque ſcientia *Media*, miſſis vocabulorum ambagibus, præſcientia futurorum independenter ab omni decreto prædeterminante: cumque plures Societatis Jeſu Theologi decretum iſtud etiam ab infirmitatis ſtatu amoveant, quod putent omne antecedens abſolutum, & neceſſarium humanam evertere libertatem, propugnant acerrime ſcientiam *mediam* contra omnes Auguſtinianos, ac Thomiſtas, qui junctis tandem dexteris contra Moliniana ſcita fœdus ineunt.

2. An Molina auctor ſcientiæ mediæ.

Adeo ſibi de Scientiæ *Mediæ* inventione complacuit Molina, ut in ſua Concordia membro ult. minime veritus ſit affirmare, ſe omnium mortalium primum veram conciliandi cum Gratia libertatem adinveniſſe rationem, quæ latuit Auguſtinum ſummum illum Divinæ gratiæ Magiſtrum, ac defenſorem. *Quæ ſi tradita fuiſſet*, inquit, *tempore Auguſtini, aut ab eo fuiſſet expoſita, itum fuiſſet obviam hæreſibus Pelagianorum & Lutheranorum, nec tam multi ex Maſſilienſibus & Gallorum Epiſcopis ad hæreſim defeciſſent.* Ipſi tamen auctori ſuo hæc ſcientia *media* viſa eſt principio ſuſpecta, timebatque editas de illa elucubrationes publici juris facere, ut ſcribit 1. p. diſp. VII. cap. 1. Herice, quod & ingenue de ſeipſo fatetur Fonſeca lib. VI. Metaphyſ. cap. 2. q. 4. At Franciſcus Suarez, ne Molinianum Commentum damnetur à veterum ſtudioſis prætextu novitatis, lib. 2. de Scientia cap. 3. ait Scientiam *mediam* ab antiquioribus Scholaſticis fuiſſe traditam ſub nomine ſcientiæ *ſimplicis*, & *viſionis*, atque pro eadem ſtare Sanctiſſimos Eccleſiæ Patres. Quamobrem in Schola Mediſtarum primum aperte dogmata Sancti Auguſtini rejici, deinde ad Molinæ ſenſa detorqueri cœperunt, quamcitius, ſi ſuperis placet, ſe tantum Auguſtini mentem aſſecutos jactitabunt.

3. Scientia media tradita à ſemipelagianis, & ab Auguſtino refutata.

Illud itaque extra dubium eſt Scientiam Mediam fuiſſe traditam à Semipelagianis, & ab Auguſtino improbatam; quod conſtat ex Epiſtolis SS. Proſperi & Hilarii. Nam aſſerebant Pelagiani, inquit Proſper, *tales perdi, talesque ſalvari, quales futuros illos, ſi ad longiorem ſervarentur ætatem, ſcientia Divina præviderit*, & parvulos absque baptiſmate morte abripi, quod Deo cognitum ſit, *fuiſſe, ſi diutius viverent, peccaturos*: voluiſſe etiam Chriſtum apparere, & prædicari hominibus Scientiam ſuam, *quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant crediturі.* Quibus victi teſtimoniis Jeſuitæ in reſcripto publicato Romæ, dum graviſſima agitaretur controverſia hæc ingenue confeſſi ſunt: *Verum eſt quod Patres Prædicatores evulgarunt, videlicet etiam ipſos Maſſilienſes Semipelagianos hanc ſcientiam mediam docuiſſe, quod bene inferunt ex illis verbis Hilarii Epiſtola ad Sanctum Auguſtinum: Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicui prædicetur, quod aliquando pene omnibus, ſicut nunc aliquibus prædicatum non ſit, dicunt id præſcientiæ eſſe Divinæ, ut eo tempore, & ibi veritas annunciaretur, quando & ubi prænunciabatur eſſe credenda.* Idem nomine Societatis confeſſus eſt P. Cobos anno 1601. in reſponſione ad quamdam Propoſitionem XIV. apud Cenſores à Sede Apoſtolica deputatos. De quibus conſule erudita ſcripta Joannis Gonzales, Thomæ de Lemos, Hyacinthi Serry, & qui omnia collegit, & Hiſtoriæ Congregationis de Auxiliis ampliſſimam ſuppeditavit materiam, Gregorii Nunnez Coronel Auguſtiniani, præfatæ celeberrimæ Congregationis Conſultoris & Secretarii, cujus autographa ſervantur in Bibliotheca Angelica urbis, & in Cœnobio Montis Georgii.

4. Nec Pelagiani ſcientiam mediam invenêre.

Neque Pelagiani Scientiam *Mediam* adinvenere, ſed acceperunt à ſuperiorum

rum sæculorum hæreticis Arianis. Qui, ut refert Alexander Episcopus Alexandriæ in Epist. quæ habetur in Actis Nicænæ Synodi, & Theodoretus lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. IV., asserebant Christum Dominum ex omnibus fuisse præelectum, quod Deus *eum præscientia & præsensione prænovisset neutiquam ipsum aspernaturum.* His reciprocam reddit echum Molina 1. P. Conc. q. 23. art. IV. ut evidentissime demonstrat Cardinalis Gotti Quæst. VI. de Scient. futur. Cond. Dub. 3. §. 1. & Didacus Alvarez disp. VII. de Aux. n. X.

5. In semipelagianis scientia media non est damnata.

Hæc non ideo dicta sunt, ut in Semipelagianis Scientiam *Mediam* damnatam esse quisquam suspicetur. Non sum tali ingenio erga Theologos de Ecclesia optime meritos: neque immemor sum eorum, quæ scripsi sexto cap. præcedenti. Imo duplex oppono Mediastas inter, ac Semipelagianos discrimen. Primum est Semipelagianos affirmavisse initium fidei esse ex nobis, neque veram Christi gratiam ad primum conatum fideique primordia credidisse necessariam: cum Mediastæ gratiam Christi, licet non prædeterminantem, etiam ad primum bonæ voluntatis motum requirant. Alterum vero est, quod Semipelagiani causam prædestinationis ad gratiam contendebant esse illa opera parvulorum, quæ nunquam futura erant, quod Catholici defensores Scientiæ *Mediæ* nusquam aut ore, aut calamo tradiderunt.

6. Duplex causa, cur semipelagiani scientiam mediam astruebant.

Quamvis hæc vera sint, & de Scientia *Media*, donec accedat judicium Ecclesiæ, nihil possimus temere definire; distinguenda est tamen in Semipelagianis duplex causa, cur illam scientiam adstruebant. Prima causa est, ne videretur Deus iniquus, & personarum acceptator, si ex duobus parvulis pariter originali obnoxiis peccato unum, non alterum prædestinaret: quod ne sequeretur, asserebant, unum, non alterum eligi intuitu meritorum, quæ facturi essent, si vixissent: id vero de prædestinatione saltem ad gratiam Moliniani non audent proferre. Secunda causa est, ne prædestinatione antecedenter efficaci fatalis induceretur necessitas: & propter hanc causam non solum Mediastæ Scientiam Mediam tuentur, verum etiam indies veteres Semipelagianorum repetunt querimonias, quod prædestinatione beneplaciti, & gratia victrice liberum tollatur arbitrium.

7. Auctoritas S. Augustini

S. P. Augustini in hac controversia quanti sit auctoritas, manifestum est ex decretis Pontificum, & Sanctorum Patrum testimoniis, qui ejus doctrinam plenis calculis probaverunt, ut dicam in Protheoria libri VI. sed quantum ad quæstionem hanc propius accedit, cum in Congregatione de Auxiliis ageretur, præcepit Clemens VIII. ut ad mentem Augustini discuteretur, quod is viginti annorum spatio pro Gratia Dei contra Pelagianos dimicaverit, & eo Duce egerit acies Catholicæ Ecclesiæ triumphum: & nihil prætermiserit eorum, quæ ad præsentem pertinent controversiam. Quæ in Historia Congreg. de Aux. lib. V. cap. 1. P. Meyer, sive personatus cognomine Theodori Eleuterii ingenue fatetur. Atque hinc est, quod Scientia *Media*, ut à Molina traditur, cum repugnet Augustino, teste eodem Molina Q. XXIII. Conc. etiam decreto Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis amplissimæ Societatis Jesu anno 1613. fuit improbata; eamque rejiciunt Azorius & Henriquez, aliique ejusdem Societatis viri docti: ut dicam agens de Gratia efficaci. Pertinet vero ad Præsens institutum hanc scientiam *Mediam* refutare, & ea resolvere, quæ in ejus munimentum congessere Moliniani.

in hac controversia magna est.

8. Propositio.

Propositio: Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci decreto, non per Scientiam *Mediam.*

Probatur

Non iisdem principiis nos hanc *Mediam* Scientiam depellimus, quibus utuntur Thomistæ, sed hoc uno, quod & ipsi approbant, ducto ex necessitate gratiæ efficacis, quam in hoc statu ad omne opus salutare credimus necessariam. Itaque Propositio hac ratione fulcitur. Eatenus prænosceret Deus futura ordinis supernaturalis per Scientiam *Mediam* & independenter ab omni decreto efficaci, quatenus non statuisset hominibus lapsis conferre efficacem gratiam, sed quamdam generalem & arbitrii pedisequam, cujus efficientia ab humana voluntate ipsam gratiam determinante penderet: Atqui Deus hominibus lapsis decrevit misericorditer largiri gratiam victricem, sine qua nunquam vulnerata per culpam Adæ libertas opus efficeret salutare: Ergo Deus prævidet futura supernaturalia hujus status, non per Scientiam *Mediam*, sed in absoluto & efficaci suæ voluntatis decreto. Major propositio certa est: quando enim aliquid cognoscitur sub conditione inferente, & ad unum determinata, certum est ad Scientiam *visionis*, non ad *medi-*

am spectare: quemadmodum veritates istæ; Si lumen fulgeat, si dies eluceſcat, si aperiantur feneſtræ, illuminabitur aula, si gravi vulnere hominis præcordia confodiantur, corruet mortuus, si aeris nubes valido aquilone perdantur, ceſſabunt pluviæ, & alia effata istiusmodi. Efficax autem Decretum, gratia victrix, ac prædeterminans est conditio inferens: & conſequenter objectum auferț Scientiæ mediæ.

9. Notandum pro Candidatis de Dei gratia.

At minorem propoſitionem probaturi ſumus ubi de Gratia diſputabitur efficaci. Nunc quædam, ne in primo limine Candidati vacillent, accuratius poſtmodum expendenda ſubjiciam. Appellatur itaque Dei Gratia ſupernaturalis quædam vis nobis Dei liberalitate collata, unde omnes ſanctæ cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis proveniunt: quæ definiri poteſt verbis Auguſtini lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagianor. cap. 5. *Gratia eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Hæc vero, quantum ad præſens inſtitutum attinet, abſolute efficax eſt, quando vincit ac ſuperat omnem cordis obdurationem, & facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati. De qua ſane gratia inquit S. P. Aug. de Prædeſt. SS. cap. VIII. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Præſtat vero hanc appellare abſolute efficacem, quoniam tam valida delectatione trahit, ut contranitens concupiſcentia ſuperetur, & voluntas infallibiliter, libere tamen & cum indifferentia potentiæ ad oppoſitum, ſequatur vocantem; & quoniam tali gratiæ, quæ ex nolentibus volentes facit, nunquam liberum reſiſtit arbitrium. Eſt tamen aliud genus gratiæ, quæ allicit quidem quantum in ſe eſt, tribuitque poteſtatem recte ſancteque operandi, ſi tamen obex pravæ affectionis removeatur, quam placet appellare efficacem relative; quoniam hæc comparatæ ad varias hominum affectiones & efficax, & ſufficiens tantum nuncupatur. Nam ſi carnalis delectatio, cui humana voluntas obſtringitur, illius gratiæ delectatione prævaleat, fruſtratur hæc ſuo effectu, & redditur inefficax; & hæc eſt gratia ſufficiens, cui liberum arbitrium quamfrequenter reſiſtit. Quod ſi ſancta delectatio carnalem ſuperat concupiſcentiam, reapſe effectum ſortitur, & victrix eſt, ut dicitur ab Auguſtino. Non enim peccator minori concupiſcentiæ pondere preſſus indiget vividiſſima illa inſpiratione dilectionis, quæ à nullo duro corde reſpuitur, ſed ſatis eſt ſi talem habeat, quæ pugnantis concupiſcentiæ motus retundat. Quamobrem hanc gratiæ arbitramur eſſe Oeconomiam; ut primo homini tale collatum fuerit adjutorium, quod generali quadam delectatione integram ejus mentem alliciendo daret poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe bonum non deſerere; ut docet cap. XII. de Corrept. & Grat. S. P. Auguſtinus. Nunc vero gratia determinatam quoque delectationem inſpirat, quæ ſi fortis ſit admodum, & tam vivida ut quælibet cordis duritia auferatur, eſt gratia efficax abſolute: ſi non ſit tantæ vividitatis atque intenſionis pro varia affectione voluntatis, cui confertur, modo effectum conſequetur, eritque efficax, modo effectu fruſtrabitur, eritque inefficax; quamquam inſpiret ſanctam delectationem ad bonum in particulari, & ſit ex ſuis intrinſecis ſufficiens ad producendum opus ſalutare.

10. Neceſſitatem victricis gratiæ oſtendit Scriptura Sacra.

Ergo neceſſitatem victricis gratiæ, quæ talis ſit ſaltem comparate ad cordis noſtri duritiem, oſtendit primum Divina Scriptura; quæ non ab humana voluntate, neque à Divini auxilii cum ipſa voluntate temperamento, ſed ex modo operandi ejusdem gratiæ repetit efficaciam. Hujusmodi ſunt verba Apoſtoli ad Philippenſes II. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.* Quæ poſtrema verba exponens S. P. Auguſtinus in lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. ait: *Ille facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati.*

11. Oſtendunt orationes Eccleſiæ.

Idem probant Orationes Eccleſiæ, quibus non auxilium ſolum, ſine quo agere non valemus, ſed illud etiam continuo imploramus, quo actu velimus, & quod poſſumus exequamur. His enim ſupplicationibus orat Sancta Mater Eccleſia: *Fac nos, quæſumus Domine, ſemper tuis obedire mandatis: Fac nos, amare quod præcipis: Quod immerito contuliſti, propitius exequaris: Tribue quæſumus, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus: Tua medicinalis operatio tuis ſemper faciat inhærere mandatis, &c.* Hæc fruſtra à Deo peterentur, ſi mandatis inhærere, currere, exequi, amare à determinatione noſtra penderet. *Prorſus in hac re,* inquit S. P. lib. de Dono Perſev. cap. 7. *Non operoſas diſputationes expectet Eccleſia,*

sit, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: orat ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.

12. Ostendit S. Augustinus.

Si vero Augustiniana Scripta volvamus, testimonia occurrent ad rem nostram innumera. *Quæstio, quæ inter nos agitur*, ait S. P. in Epist. ad Vitalem, *est utrum hæc gratia, quoad effectum, præcedat, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut plenius id eloquar, utrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat, ut velimus.* Et de Corrept. & Grat. cap. XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret.* At plura alibi exscribam, & ab Adversariorum circumventione tutabor.

13. Notandum circa Patronos scientiæ mediæ.

Advertendum est interim complures Patronos Scientiæ *Mediæ* repetere gratiæ efficaciam ex eo, quod illam misericors Deus largiatur in aliquibus circumstantiis, in quibus prævidet humanam voluntatem sibi vocanti & excitanti obtemperaturam: & hac ratione pet Scientiam *mediam* dirigi putant absque gratia victrice totius prædestinationis nostræ negotium. Illam gratiam in his loci, ac temporis circumstantiis collatam *Congruam* appellant, eamque fatentur nunquam effectu proprio frustrari. Hi nimirum præter sufficiens auxilium, quod adsit omnibus, istud speciale addunt, quo Molinianam Sententiam liniunt pigmento, & veluti arte gladiatoria nobiscum ludunt. At perperam. Etenim S. P. Augustinus Hom. XXIII. inter L. docet, efficaciam gratiæ minime à circumstantiis naturalibus esse petendam; sed gratiæ donum esse, si improbis meditantibus scelera deest locus ac tempus, si non adest suasor malorum, si præsto sit qui ad bona opera hortetur. Hoc utique modo, vocat ille qui disponit omnia suaviter, prout videt unicuique congruere: hanc gratiam, si lubet, *Congruam* dicamus: sed in omnibus circumstantiis Divinam fateamur præordinationem, qua Deus pro suo beneplacito difinivit ita vocare, & hominum voluntates allicere, ut infallibiliter sequantur vocantem; ita ut opportuna hujus, illiusve circumstantiæ occasio non sit Divinæ prædefinitionis causa, sed effectus. Et quod maximum est, in lib. de Prædest. SS. cap 2. S. P. exemplo Pauli longiori oratione demonstrat etiam in oppositis circumstantiis Deum quandoque gratiam largiri: ille enim alienus à fide, *quam vastabat, eique vehementer aversus repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu conversus vivificabis nos: ut non solum ex nolente fieret volens, verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur.* Ex quibus efficacis gratiæ necessitas, quantum ad præsens assertum necesse est, comprobatur. Omnia vero, quæ hucusque diximus ad hanc reducuntur synopsin. Eget homo lapsus auxilio ab intrinseco efficaci: istud à decreto absoluto atque à Divino beneplacito in nos derivatur: quidquid ab hujusmodi pendet decreto non est objectum Scientiæ *mediæ*: Ergo opera supernaturalia hominis lapsi per Scientiam mediam non prænoscuntur.

14. Argumenta ex S. Augustino.

Addam aliqua ex Augustino momenta, in quibus expresse de futurorum agitur præscientia. Ac primum sit: Prævidet Deus peccatorum conversionem, & cætera opera meritoria, tanquam dona sua, & veluti opera à se principaliter facienda: sed dona sua, & opera à se facienda prævidet Deus in sua prædestinatione, sive absoluto decreto: Ergo in sua prædestinatione, in suo decreto videt Deus conversionem peccatorum, & cætera opera meritoria. Ita S. P. lib. de Præd. SS. cap. X. *Prædestinatione quippe ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et de Dono Persev. cap. XVII. *Si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo Dei dona*: Et ibidem: *Quod si dantur, & ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit.*

15. Frustra pro se citant S. Augustinum scientiæ mediæ defensores.

Præterea Semipelagiani contendebant, ut constat ex Epist. Hilarii, præscientiam conditionatorum independenter à Divina prædestinatione traditam quoque fuisse ab Augustino Epist. ad Porph. 42. n. 102. ubi scripserat: *Si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, ut ubi vellet & quando vellet, sua dogmata prædicaret, & si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam, nusquam, & nunquam appareret, nisi ubi & quando sibi homines credituros esse prænosceret:* Et infra: *hoc solum eis brevitatis gratia in hujusmodi quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Quem locum in patrocinium scientiæ *mediæ* produxerunt Patres Societatis Jesu in disputatione

XXXIII. habita coram SS. D. N. Clemente VIII. eumque ad Scientiam hanc *mediam* confirmandam validissimum putat Franc. Suarez lib. 1. de Gratia Prolog. 2. cap. 3. At S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 9. hæc ex adverso respondet: *Cernitisne me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur? Quid enim est verius, quam præsciviſſe Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque disserere tunc necessarium non putavi.* His autem docet Augustinus se utique tradidisse scientiam conditionatorum, sed absque præiudicio latentis consilii Dei, sive in prædestinatione ad fidem, & in proposito voluntatis suæ ante mundi constitutionem. Quod scientiæ *mediæ* omnino est peremptorium.

16. Suarezii argumentum refutatur.

Neque ullius momenti est, quod ait citato loco Suarezius, S. Patrem priorem sententiam de Præscientia Dei antecedente decretum potius confirmasse, dicens: *Posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*, eo vel maxime quod Augustinus cit. Epist. 102. scribit noluisse Christum apparere infidelibus, *quos nec verbis, nec miraculis suis crediturос esse præscivit:* quæ verba accipi non possunt de præscientia consequente decretum, cum Deus neminem eligat ad non credendum. Non, inquam, hæc dici possunt. Quis enim non videat ea verba. *Posset etiam sic dici, &c.* complecti electionem eorum, qui prædestinati sunt ante mundi constitutionem? Quis non percipit referenda esse ad ea, quæ S. P. scripserat citata Epist. nulla tunc facta mentione prædestinationis, quam exorta Pelagiana hæresi laboriosius explicare oportebat? Quis non acquiescat, postea quam Augustinus admonuit se loquutum absque præjudicio latentis consilii Dei? Quis non miretur Suaresium non advertisse ea, quæ sequuntur: *Tunc satis erat breviter esse dicendum excepta altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum causarum?* Quis non sentiat refutari ab Augustino Semipelagianorum objecta, non confirmari? De infidelitate autem plurimorum, non eadem ratio est, ac de fide: illius causa est sola voluntas; hujus voluntas & gratia: de illa stat sine prædestinatione præscientia, in ista prævidet Deus quidquid est ipse facturus. Sed & infidelitas, si Deus subtrahat auxilium efficax, videtur absque ulla scientia *media*, ut dixi cap. præc. propos. 2. Quapropter futilis est Suaresii argumentatio, & contra eum retorquetur.

17. Responsio S. Augustini ad objectiones Semi-Pelagianorum.

Tandem S. P. Augustinus, cum illi à Semipelagianis objicerentur quædam testimonia veterum Patrum, qui operum præscientiam independenter à prædestinatione, & efficaci Divinæ voluntatis proposito videbantur tradidisse; libro de Dono Persev. cap. 18. respondet illos præscientiæ nomine designasse prædestinationem: *Quid ergo*, inquit, *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Sed præscientia prædestinationi subnixa, non est illa, quam appellant scientiam *mediam*, hæc enim prædestinationem antevertit, & nullum decretum supponit, nisi conferendi omnibus & singulis gratiam versatilem, in qua nil potest certo præsciri, neque discretio aliqua unius præ alio contineri: Igitur rejicit Augustinus scientiam conditionatorum, qualem propugnant Mediſtæ.

CAPUT XII.

Solvuntur ea, quæ obtrudunt Defensores scientiæ mediæ.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. Enervatur argumentum ex S. Scriptura depromptum.

5. 6. 7. 8. 9. 10. Solvuntur textus S. Augustini ab Adversariis afferri soliti.

11. Et seqq. Satisfit cæteris argumentis.

1. Objectio 1. ex S. Scriptura.

PRIMO ita arguunt adversarii. Deus vidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum independenter ab omni conditione inferente: Ergo vidit per scientiam *mediam*. Probat. antec. Matth. XI. 21. ita Christus increpat Corozaitas & Bethsaitas: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro*

Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Itaque vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ ac Bethsaitæ: Sed gratia, quam habuerunt Corozaitæ, & Bethsaitæ non fuit efficax, & conditio inferens: Ergo Deus non prævidit futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum, dependenter à conditione inferente, & à decreto, auxilioque efficaci.

Solutio. Resp. nego consequentiam: futura quippe conversio Tyriorum ac Sidoniorum, cum sit conditionata, spectat, ut diximus cap. x. prop. III. ad scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus vidit possibilem conversionem ad fidem in Tyriis & Sidoniis, si apud eos facta essent signa ac prodigia, quæ patrata fuerant apud Corozaim & Bethsaidam. Harum autem urbium cives idcirco Christus increpat, quoniam obstinati erant, pervicaces, obdurati, & resistebant Spiritui Sancto, cui Tyri ac Sidonii nulla tali obduratione obcæcati obtemperassent vocanti. Et hanc Judæorum obdurationem Christus scientia *visionis* comprehendebat. Quapropter eorum increpatio in comparatione Tyriorum, quatenus spectat ad conditionatam istorum conversionem, infert in Christo scientiam *simplicis intelligentiæ*, & prout spectat ad pervicaciam & cæcitatem Judæorum, demonstrat scientiam *visionis*. Illa enim conversio erat possibilis: ista obduratio existens. Ad probat. ant. dist. majorem: Vidit Deus futuram conversionem Tyriorum ac Sidoniorum sub ea gratia, quam habuerunt Corozaitæ & Bethsaitæ, & hæc gratia in Tyriis & Sidoniis fuisset ab intrinseco efficax, quæ in Corozaitis & Bethsaitis talis non fuit ob eorum duritiem, concedo: fuisset in utrisque tantum versatilis, nego. Habet gratia Christi, quæ convertit corda hominum, gradus suos, & in uno est efficax, in altero otiosa redditur ob pervicaciam arbitrii. Quapropter credidissent Tyrii & Sidonii, si æqualia signa vidissent, quia *non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum*, sicut erant obdurati & excæcati Corozaitæ, inquit S. P. lib. de Dono Persev. cap. 14.

2. Instantia. Sed dices, Non erit ergo Gratia ab intrinseco efficax, sed tantum ex liberi arbitrii affectione, ut contendunt Moliniani.

Solutio. Resp. hanc propositionem falsam esse. Aliud est enim ponere impedimentum ne gratia Dei effectum suum sortiatur; aliud reddere illam efficacem. Ponit utique liberum hominis arbitrium impedimenta, quibus gratia aliquando effectum suum non consequitur: & hæc impedimenta sunt peccata quæ præcedunt, pravi habitus, honorum ambitio, odii atque invidentiæ nutrimenta: quæ in se habebant arbitrii vitio Corozaitæ; digni proinde gravissima increpatione, quoniam, cur non crederent, ipsi ponebant remoram, veluti splendentissimo Soli clausos sponte oculos objicientes. Vide S. Thomam in III. contra Gent. cap. 159. At cur gratia sit efficax, cur unum discernat, non alterum, cur in illo omnia validissimo impulsu superet impedimenta, trahatque renitentem hominum voluntatem, non ex nobis, sed ex Dei munere venit. Interdum enim Deus, qui sanat contritos corde, & erigit omnes elisos, talem elargitur gratiam, quæ agit de omni mala cupiditate triumphum: sed hanc, quæ speciali titulo efficax dicitur, misericordia Dei non omnibus impertitur. Communior est gratia alia, quæ in se valida quidem est, sed ei, nisi adsit specialis illa victrix, & magna, liberum arbitrium culpabili voluntate resistit. Habet in se virtutem sanitatis medicamentum, neque est ab ægrotantis conatu morbi cura, & corporis valetudo. Si autem infirmus velit comedere quidquid appetit, aerem respirare malignum, surgere è strato, spernere medentis consilium, nunquam medicinæ poterit experiri in se beneficium. Est pariformiter gratiæ efficientia à Deo, impedimentum ex nobis.

Insurges. Si gratia sit ab intrinseco efficax, poterant Corozaitæ Christo increpanti respondere, se ideo non credere, quoniam non largiebatur illis efficax adjutorium: injuste corripi, & nullam esse sui cum Tyriis & Sidoniis comparationem: his adfuturam in hypothesi gratiam, qua ipsi carebant, potentiorem ac victricem: deesse sibi voluntatem, quæ præparatur à Domino: hanc daret, & nisi credant, corripiantur. 3. Insurgitur.

Hæ sunt vetustissimæ Semipelagianorum querimoniæ; quibus tenentur quoque respondere qui defendunt gratiæ congruæ necessitatem. Etenim in horum sententia poterant reponere Corozaitæ, se non vocari ad Christi fidem in talibus circumstantiis, in quibus positi Tyrii ac Sidonii fuissent, ut assensum præberent vocanti. Itaque recurrendum est ad ea quæ respondit S. Pater Adru- Solvitur.

Adrumetinis, videlicet, merito corripi Corozaitas, quia fidei impedimentum, excæcatio, pervicacia, resistentia non ex Deo erat, sed ex ipsis. In hoc juste increpari comparatione Tyriorum, quod hi minus essent obdurati, minus invidi, minus dediti cupiditatibus. Si ad habendam actualem fidem efficax gratia requiritur, id esse post Adæ culpam, à qua proficiscitur humani arbitrii imbecillitas. Parare tamen Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, auxilia singulis sufficientia. Si adjutorium quo efficitur in nobis bona voluntas, non omnibus ex æquo conceditur, esse inscrutabile Dei judicium. Is cujus vult miseretur, & quem vult indurat: negat beneficium indebitum, exercet debitum judicium. *Tu quis es,* ait Apost. 5. ad Rom. *qui respondeas Deo?* Uno verbo: culpanda est in infidelitate mala hominis voluntas, laudanda in fide credentium misericordia liberatoris. *Sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur, voluntas à Domino; discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio:* ait S. P. lib. de Præd. SS. cap. VI. Addam præclarissimam sententiam S. Prosperi resp. VIII. ad Excerpta Genuensium. *Quare autem,* inquit, *hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit; & apud eos, quibus erant profutura, non fecerit? Si rationem facti, & profunditatem judicii ejus penetrare non possumus; manifestissime tamen scimus, & verum esse quod dixit; & justum esse quod fecit, & non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corozaim, & Bethsaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus fieri, sic hoc in eis Dominus voluisset operari.* Refunditur autem ab Augustino & Prospero in inscrutabile judicium Dei, quod uni, non alteri donetur efficax gratia; quia nulli debetur; & cum pares sint malis meritis, qui eligitur, misericorditer liberatur: qui derelinquitur, justissimo reprobatur judicio.

4. Colligitur quid dicendum ad argumenta ex Scriptura.

Ex dictis constat quid sit respondendum similibus Scripturarum divinarum testimoniis, V. G. 1. Regum 23. ubi Davidi quærenti, *Si viri Ceilæ tradent me in manus Saul?* ait Dominus, *Tradent.* Jeremiæ XXXVIII. 17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua.* Matth. XXIV. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, &c.* Hæc enim omnia pertinent ad Scientiam *simplicis intelligentiæ,* quatenus noscitur possibilis proditio Davidis, vita Sedeciæ, prævaricatio Justorum: & ad Scientiam *visionis,* in quantum videtur conspiratio Celeitarum, indoles principum Babylonis, infirmitas Justorum, qui nunc stant, sed in consilio malignantium, in circumvenientium fraude, in persecutione impiorum caderent, nisi gratia juvarentur potentiore. Vide cap. præced. prop. 3.

5. Objectio 2. ex S. Augustino.

Conantur secundo Scientiam mediam comprobare auctoritatibus Augustini. Primo quia lib. XII. de civit. Dei cap. 6. docet aliquos duos æqualiter affectos esse, & tamen unum ad impudicam voluptatem perceli, alterum in castitatis amore permanere: *Si aliqui duo,* inquit, *æqualiter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicita perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret: si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat; alter idem qui fuerat perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Quo in loco S. P. non ad gratiam victricem, non ad prædestinationem, non ad Divinum propositum, sed ad solam voluntatem æqualiter affectam, eademque gratia suffultam tam impudicitiam refert, quam continentiam & castitatem. II. In lib. de Dono Persev. cap. 14. scribit: *Habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ubi manifestissime gratiam congruam audimus commendari. III. In lib. de Spi. & lit. aperte testatur non omnem voluntatem nostram ex Deo esse. IV. de Prædestinat. cap. X. ait: *Potest autem esse sine prædestinatione præscientia:* & consequenter non omnia, quæ certissime Deus prævidet, fuerunt ab eo definita. V. In Exposit. Epist. ad Romanos Prop. LV. *Non omnes,* inquit, *qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt: hoc enim propositum ad præscientiam & prædestinationem pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & secuturum vocationem suam, quos & electos dicit.* En Scientia media literis cusa cubitalibus. VI. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Nullius,* inquit, *frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

respuat. Plura sunt ibidem pro gratia congrua satis pervia legentibus.

6. Solutio 1. Generalis responsio est, S. Patrem hæc & similia pronunciasse absque præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, ut ipsemet Augustinus inimicis gratiæ Dei respondet lib. de Prædest. SS. cap. 9. Atque si aliquando ante Episcopatum Scientiam *mediam* propugnaverat; *Nondum diligenter quæsierat, nec adhuc invenerat, qualis sit electio gratiæ:* ut profitetur lib. 1. Retractat. cap. 23. Resp. tamen ad singula. Et primo quod proferunt ex lib. XII. de civit. Dei etiam ab iis, qui gratiam congruam defendunt, solvendum est. Non sunt enim æqualiter affecti corpore & animo, qui in diversis positi sunt loci ac temporis circumstantiis. Deinde S. P. quærit ibidem causam mali, non boni, ut apparet ex illis verbis: *Quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in isto non fiat voluntas mala?* Profecto mala voluntas habet causam deficientem, & provenit à solo homine; sed voluntas bona excitatur principaliter à Dei gratia. Hinc S. P. probans in libris de civit. Dei contra Manichæos malum non esse à Deo, affirmat unice oriri ab hominum voluntate: sed in libro de Dono persev. cap. 3. disputans contra Pelagianos de origine meriti probat consimili exemplo non à voluntate, sed ab inscrutabili judicio provenire, cur ex duobus, tametsi æqualiter sint affecti, *uni donetur perseverantia, non alteri.* Lege

7. in utroque loco Sanctum Doctorem.

Solutio 2. Ad 2. constat ex supradictis habere homines in seipsis vim ingenii, ac naturalem indolem, & comparata etiam virtutum officia, quibus si congrue vocentur, vocantem non respuant. At naturales affectiones naturæ non disponunt ad gratiam; id enim asserere est Semipelagianum, & hæreticum: sed removent tantum gratiæ obicem & impedimentum: neque ullatenus recte operantur qui naturaliter habent Divinum munus intelligentiæ, *Si Dei altiori judicio* (nota quæ statim intonat Augustinus) *à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti.* Atque hæc est gratia congrua Augustini, non qualem fingunt Moliniani.

8. Solutio 3. & 4. Ad tertium & quartum dicendum non omnem voluntatem esse à Deo prædeterminante, si sermo sit de operibus naturalibus, & peccatis, quorum est in Deo præscientia absque prædestinatione: sed plura de his cap. VII. præcedenti.

Quintum locum retractat S. P. lib. 1. cap. 23. affirmans se adhuc Presbyterum ea verba scripsisse, cum nondum sciret etiam fidem inter munera Dei reperiri: unde vellem ab his adversarios nostros abstinere, ne fateri cogantur S. Patrem Scientiam *mediam* revocavisse. 9. Solutio 5.

Ad ultimum respondeo quidquid Augustinus exornavit præfato libro 1. ad Simpl. exponendum esse juxta ea, quæ de hoc libro scribit in 2. Retract. cap. 1. dicens: *In cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ: sed vicit Dei gratia, nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Deinde non sic appellat S. P. gratiam congruam, quasi ipsius efficacia sita sit in rerum circumstantiis, & naturalium affectuum cum divinis auxiliis temperamento: sed quod Deus omnia tali congruentia disponat & aptet, ut ubi, & quando sibi videtur, alliciat, trahatque indeclinabiliter hominum voluntatem. Et hoc apparet ex his quæ sequuntur: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Quid plura? recurrit tandem maximus Gratiæ Vindex etiam hoc loco ad inscrutabilia judicia Dei, qui cujus vult misereatur, quem vult indurat. 10. Solutio ultima.

Adoriuntur denique nos adversarii depromptis à ratione argumentis: quorum primum est, scientiam *mediam* post innumeras oppugnantium argutationes, veluti igne probatam in Congregatione de auxiliis immunem ab omni errore emersisse. Deinde per eam componi facile dissidia, & liberum arbitrium contra Jansenianos & Calvinistas defendi: decreta econtra prædeterminantia ex quo fuerunt intrusa, fuisse scissionum seminaria, & Adrumetinos, Massilienses, plurimosque viros turbasse pietate, ac doctrina conspicuos. Ulterius necessariam esse scientiam *mediam* ut Dei voluntas dirigatur in suis decretis circa supernaturalia opera status naturæ lapsæ, cui antequam Deus conferat gratiam, qualem ei videt congruere, explorare debet quidquid possit humana voluntas cum adjutorio versatili, si in tali rerum constituatur circumstantia. Præterea nunquam in una 11. Objectio 3. à ratione.

tantum causa videri effectum, qui producitur à duabus, & consequenter bona opera, quæ efficiuntur à gtatia simul & voluntate, non posse in prædestinatione gratiæ infallibiliter prævideri. Tandem frustra conari Augustinianos, ut gratiam victricem cum libertate componant: nam omnis suppositio antecedens, absoluta & inimpedibilis destruit indifferentiam libertatis: Decreta, prædestinatio, gratia victrix sunt aliquid antetedens, absolutum, & inimpedibile: Tollunt ergo libertatis indifferentiam.

12. Solutio 1. Quidam ad 1. respondent sub Paulo V. jam exaratum diploma, quo prohibebatur sententia Ludovici Molinæ, sed sic Deo disponente non fuisse publicatum: verum si promulgatum non est, nullum suppeditat adversus scita Molinæ argumentum. Addunt aliqui proscriptam scientiam *mediam* die xv. Jul. ann. 1697. decreto Caroli Mauritii Le-Tellier Remensium Archiepiscopi: sed nihil nos movere debent privata judicia contra statuta Pontificum. Ergo dicimus scientiam *mediam* in Congreg. de Auxiliis non esse neque damnatam, neque improbatam; tolerari, non commendari; judicium de ea suspensum, non definitum: servandam inter nos charitatis vicissitudinem, non veritatis deserendam inquisitionem; abstinendum à puerili rixarum prurigine, & à critices intemperantia: non à sectandis magni Augustini vestigiis. Hæc ad primum.

13. Solutio 2. Ad secundum vero dicimus hanc rationem adeo facilem conciliandi libertatem, cum gratia nunquam ab ortu Pelagianismi ad Molinam usque sive ab Augustino, sive ab Ecclesia fuisse probatam: incredibile esse tanto annorum intervallo Christianam Fidem Moliniano Magisterio, si ad veritatem accederet, fuisse privatam: affirmandum esse iis, qui congrua jactant adjutoria, Deum optimum maximum revelasse veritatem Augustino pugnanti adversus hæreticos, & constituto in circumstantiis rerum gravissimis, non Molinæ scribenti tranquilla pace, debellatis hæreticis, & finita causa Pelagianorum. Augustinianam vero doctrinam turbasse horum hæreticorum reliquias, & prostratorum cinerem ventilantes: consecratam ad hæc tempora Summorum Pontificum laudibus splendidissimis: gloriæ characterem esse, si ea concitati fuerunt ingrati: flocci facienda Launoji dicteria confossa à Clementis XI. vigilantissimis curis fulmine Vaticano. Moliniana dogmata ècontra non à Semipelagianis, & glorioſis defensoribus libertatis refelli, sed ab Augustini ac D. Thomæ catervis pugnantibus pro Christi gratia, pro arbitrii facultate, pro imperturbata Patrum suorum traditione.

14. Solutio 3. Ad tertium dico, universas vias Domini esse misericordiam & veritatem, sive justitiam & pacem. Iis dirigitur Deus in hoc miseriarum statu absque *media* scientia. Videt omnes posteros Adæ originali coinquinatos peccato, & ex una luti massa pro sua potestate fingit sibi vasa honoris, & permittit coagmentari vasa contumeliæ. Quos eligit ad honorem, trahit ad se omnipotentissima gratia, præmovet efficaciter, adjuvat infirmos, erigit elisos, convertit rebelles: hæc est via misericordiæ. Et quotquot reprobat ad contumeliam, relinquit inhiantes cupiditatibus, sinit dari sponte præcipites, spernit sanie voluntaria confectos: hæc est via veritatis, & via justitiæ. Ut ergo omnia à fine usque ad finem disponat suaviter, ac fortiter, sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*, qua comprehendit quidquid ejus subditur potestati; necnon *scientia visionis*, qua in posteris Adæ cernit miseriam, & culpam, hanc objectum justitiæ, illam misericordiæ.

15. Solutio 4. Ad quartum vera est responsio, in una causa cognosci effectum alterius, si hæc ab illa recipiat virtutem, motum, & determinationem ad actum: quod præstat Divinum adjutorium hominum voluntati. Ut postremam aufugias muscipulam, faciam oppido.

CAPUT XIII.

Quonam pacto Divinis prædefinitionibus libertas cohæreat humana?

SUMMARIUM.

1. Regula prima conciliandi libertatem humanam cum Divina prædefinitione ad mentem Thomistarum
2. Statuitur Regula secunda, & longè melior.
3. Regula tertia quorumdam Augustinianorum,
4. Regula quarta nonnullorum aliorum.
5. Quorumdam Theologorum opinio re à Jansenismo errore non discrepat. Item affertur Regula quinta cæteris omnibus præferenda
6. Regula sexta Recentioribus communis.

Ex

Quomodo cohæreat libertas humana Prædefinitionibus Divinis.

EX Auguſtiniana doctrina circa prædeſtinationem & gratiam conſequi libertatis exitium querebantur olim Semipelagiani, ut conſtat ex Epiſtolis Hilarii & Proſperi: nec novum eſt, ſed in tali officina elaboratum propoſitum ultimo loco argumentum. Pro cujus ſolutione advertendum eſt, modum conciliandi cum gratia prædeterminante libertatem viſum Sanctiſſimo Protoparenti Auguſtino perdifficilem, ut fatetur lib. IV. contra Julianum cap. VIII. *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio libertatis & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Habet ſimilia S. P. Epiſt. CV. & lib. de Sp. & Litera cap. 39. Hinc merito ſuſpecta nobis redditur concordia per ſcientiam *mediam*, quæ cum ſit facillima & obvia, nunquam tamen probari potuit Gratiæ Magiſtro ac Propugnatori Auguſtino. Dabo in hac re clariſſimorum Theologorum, qui ſcientiam *mediam* rejiciunt, non unam hujus conciliationis methodum, & quæ planior videbitur, erit nobis eligenda.

Prima Regula.

1. Regula 1.

Thomiſtis familiare eſt recurrere ad ſenſum *compoſitum*, ac *diviſum*, ſeu, quod idem eſt, ad potentiam *poſſibilitatis*, & potentiam *poſitionis*. Senſus horum eſt, ſalvari hominis libertatem, quoniam non poteſt quidem non agere ſuppoſita Divina prædeterminatione, ſed poteſt abſolute etſi ab ea præſcindatur. Quemadmodum dum ambulo non poſſum non moveri, at poſſum tamen deſiſtens ab exercitamento ambulationis. Hanc autem prædeterminationem ponunt ad actum, & reſpectu operationis, non quantum ſpectat ad potentiam: ſcilicet, Deus determinat E. G. actum charitatis, ſed relinquit liberam poteſtatem ad odium: in quo longe recedunt à ſententia Calvini, qui impie aſſeruit non remanere ſub efficaci decreto Dei indifferentiam ad oppoſitum, quod jure damnatum eſt à Tridentino Seſſ. VI. Can. 4. Statutum eſt enim *liberum hominis arbitrium à Deo excitatum poſſe diſſentire ſi velit.* Quod non eo ſenſu definitum eſt, quaſi efficax Dei motio ad opus ſalutare non trahat: ſed quod ita trahat, ut voluntas poſſit reſiſtere, licet efficaciter præmota nunquam reſiſtat.

Addunt aliqui diſtinguendam eſſe triplicem neceſſitatē: *abſolutam*, qua aliquid ita eſt, ut non poſſit non eſſe: quo ſenſu neceſſe eſt Deum eſſe: *naturalem*, qua aliquid ita eſt, ut virtute naturali aliter ſe habere non valeat: quo ſenſu neceſſe eſt cœlum moveri: & neceſſitatem *conſequentiæ*, quo aliquid aliter ſe non poteſt habere ob rerum connexionem & cohærentiam; quo ſenſu neceſſe eſt hominem moveri dum currit.

In horum itaque Theologorum principiis negandum eſt quamcunque ſuppoſitionem antecedentem evertere libertatem: & ſi adverſarii inſurgant dicentes fieri non poſſe, ut ſtante efficaci prædeterminatione non eveniat neceſſario res præfinita; recurrendum eſt ad traditam diſtinctionem, in ſenſu *diviſo*, & neceſſitate *abſoluta* vel *naturali*, nego: in ſenſu *compoſito*, & neceſſitate duntaxat *conſequentiæ*, concedo.

Secunda Regula.

2. Regula 2.

Quidam, atque, ut arbitror, longe melius diſtinguunt inter cauſas quæ extrinſecus movent, atque impellunt, neque illarum quas præmovent, *formam* penetrant, aut *modum* attingunt; & inter Deum, qui nobis intimus nedum ſecundam cauſam movet, ſed etiam efficit voluntatem, & cum libera operatione determinat quoque modum agendi contingenter. Imprimis, inquiunt, ſummam habet Deus poteſtatem inclinandi hominum corda quocunque velit, ut ſcribit Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. XIV. *Magis habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Deinde decrevit Deus quædam fieri neceſſario, & quædam libere, & quibusdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus ex neceſſitate proveniant; quibusdam autem aptavit cauſas contingentes & defectibiles, ex quibus effectus eveniant contingenter; ut ait S. Thomas 1. P. q. 20. art. VIII. Addunt hi Theologi contingentiam ſemper in cauſam proximam eſſe refundendam; *Sicut germinatio plantæ eſt contingens propter cauſam proximam contingentem, licet motus ſolis qui eſt cauſa prima, ſit neceſſarius*: ait idem S. Thomas 1. P. q. XIV. art. 13.

Juxta horum principia dicendum eſt inferri quidem neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente cauſæ extrinſecæ, quæ impellit ad actum, & ex neceſſitate cauſæ proximæ, quæ ſubſtantia ſua ſit determinata ad unum: non vero ex ſuppoſitione cauſæ primæ, quæ non ſolum infert actum, verum etiam naturam cauſat, & modum attingit. Quod

si dicas: Necesse est ut quidquid Deus prædefinivit, eveniat infallibiliter; respondendum est, etiam prædefinitum fuisse ut mediis liberis futurum sit: quæ si necessario ponerentur, falleretur Divina præscientia, & frustraretur definitio, quum Deus præsciat ac definiat fore ut fiant libere & contingenter. Si rursus insistas, quod possibili posito in actu, nullum, ut fert commune proloquium, sequitur inconveniens: ideoque si potest homo sub efficaci decreto dissentire, supponi potest quod actu dissentiat, & frustretur decretum; pariter dicendum est, verum esse Scholasticum axioma, si possibile ponatur in actu eo modo, quo possibile est: non est autem possibile, ut ponatur dissensus nisi ea libertate, quæ fuit à Deo præfinita. Quamobrem si res est futura, id Deus & præscivit & definivit; & nisi futura esset, etiam hoc à Deo prævisum esset ac definitum.

Hæ duæ rationes conciliandi cum Divinis prædefinitionibus humanam libertatem sunt principiis Thomistarum valde affines. Quibus si nos uti velimus, possumus percommodo; dummodo decreta absoluta, gratiam victricem, prædeterminationem non adstruamus ex capite essentialis dependentiæ. Arduum est enim percipere, quod modus sit contingens ac liber, qui suapte natura postulat ad unum determinatum actum prædefiniri.

Tertia Regula.

3. Regula 3. Sunt ex Augustinianis nonnulli, qui efficacem gratiam etiam in utroque statu propugnant, negant tamen esse prædeterminantem. Nam S. P. Augustinus, inquit, in hoc efficaciam gratiæ constituit, quod operetur Deus in nobis bonam voluntatem, & agat motum ejusdem: quod illam stupentem suscitet: quod ex indignatione transferat ad lenitatem; neque aliud est gratia Christi, quàm charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. At impossibile est hominem velle, diligere, fieri ex nolente volentem ante motum liberum voluntatis. Non ergo præcedit, inquiunt, gratia Christi, neque prædeterminat liberum voluntatis arbitrium. Hi propterea, negant gratiam efficacem esse aliquid antecedens & necessarium: negant præcedere actum liberum; negant consequi ex gratia necessitatem operationis.

Mihi vero tam plana & expedita via, uæ nunquam Au gustino succurrit, videtur tortilis & obliqua. Distinguendum enim est inter actus voluntatis indeliberatos, & deliberatos. Gratiam efficacem esse sanctam delectationem indeliberatam, à Deo excitatam in corde hominis, ultro fateor. Sed deliberatam ac volitam, de cujus libertate agimus, quis appellaverit Christi gratiam? quis non dixerit gratiam in voluntate supponere? Certo per dilectionem deliberatam meremur: & meritum subsequitur gratiam, quemadmodum effectus quilibet suam causam. Igitur sicut actus indeliberatus præcedit deliberatum, ita gratia Christi antecedit actum liberum voluntatis.

Quarta Regula.

4. Regula 4. Nonnulli, qui admittunt statutum supra discrimen inter statum creaturæ innocentis & per peccatum corruptæ, tenent, quod suppositio antecedens si necessaria sit ex capite dependentiæ, & requisita à rerum creatarum conditione & essentia, fortassis libertatem interimat: ac si contingens sit, accidentalis & ex capite infirmitatis, atque necessaria duntaxat non propter rerum essentiam, sed propter status circumstantias, non libertatem cogere, sed sanare. Quod sequentibus exponunt exemplis. Concupiscentia etiamsi pondus sit ad malum inclinans, & adeo grave, ut Apostolus illam dicat legem repugnantem rationi, & captivantem in lege peccati: attamen, ut fides Christiana docet, vulnerat quidem libertatem, sed non interimit, eoquod adventitia sit, accidentalis, & præsupponat in arbitrio indifferentiam, quæ essentialiter constituit libertatem. Nam nullum accidentale, qualecunque sit, essentiam rerum immutat; velut quod homo sit albus, aut niger, nullam infert essentiæ hominis vatiationem. Itaque cum decretum efficax, gratia victrix, & absoluta prædefinitio non sint creatæ libertati essentialia, sed exigantur ob vulnus peccato Adæ contractum, non poterunt evertere libertatis naturam. Imo quemadmodum concupiscentia, quæ ad malum inclinat, minuit voluntarium, non tollit: ita gratia Christi, quæ bonam excitat voluntatem, arbitrium perficit, non perimit.

Rursus Divina præscientia est aliquid antecedens, & nihilominus nullam infert necessitatem. Quare? attulimus cap. 3. causam multiplicem. Sed fautores Scientiæ mediæ respondent præscientiam non tollere libertatem, quia nihil ponit in rebus, & objectum supponit,

ponit, non facit: quod universaliter falsum est, multa enim præsciuntur prædestinatione, & multorum ipsa præscientia est causa, cum Scientia Dei respectu plurium rerum sit practica. Sed detur adversariis quod ipsi contendunt. Præscientia, quæ supponit objectum & non facit, non infert necessitatem: Ergo neque necessitatem infert prædestinatio accidentalis, quæ præsupponit arbitrium in sua essentiali constitutum indiffrentia. Simile quidpiam proferre possumus ex gratia congrua, quæ antecedit actum, & infallibiliter sortitur effectum; nec tamen officit libertati, quoniam supponit arbitrium in sua essentiali indifferentia.

Præterea explicatur hæc Sententia singulari quadam opinione Suarefii. Disputatur à Theologis de Christi libertate supposito præcepto Patris. Thomassinus docet fuisse tantummodo liberum libertate à coactione, sive lubentiæ. Maurus censet non fuisse liberum ad transgredienda præcepta, sed solum ad illa adimplenda per hunc actum, vel alium. Quamplures affirmant non fuisse illi impositum præceptum rigorosum. Multi dicunt fuisse liberum non quantum spectat ad substantiam mortis, sed quatenus pertinet ad circumstantias. Quid Suaresius? Is Tom. 1. in 11. P. dist. xxxvii. Sect. 3. ait posse voluntatem Christi considerari dupliciter: 1. ut voluntas creata est. 11. ut unita Personæ Divinæ ipsam regenti; salvari autem in Christo libertatem propterea, quod licet peccare non possit humana Christi voluntas quatenus unita Verbo, potest tamen secundum se inspecta; non enim unio cum Verbo ad humanæ voluntatis essentiam pertinet *Voluntas*, inquit,, *Christi secundum se potest dici potentia peccandi, seu capax peccati, non tamen ut est voluntas Christi, quia jam componitur cum illa voluntate conjunctio cum potentia Divina.* Bene habet. Quomodo salvatur libertas in Christo, quia ejus voluntas secundum se est essentialiter capax peccati, quamvis peccare non valeat prout unita personæ Verbi: salvatur pariter libertas in voluntate nostra ex quo essentialiter sit indifferens, licet prædeterminetur accidentaliter, exigente gratiam indeclinabilem sauciata liberi arbitrii natura.

Itaque ex dictis ita difficultatem resolvunt: Suppositio antecedens, & inimpedibilis tollit libertatem si essentialis sit, & exigita titulo dependentiæ, transeat: si accidentalis sit, & requisita ex capite infirmitatis, nego.

Si dicas: Ad veram libertatem in statu naturæ lapsæ requiritur non solum libertas à coactione, verum etiam libertas à necessitate; est enim contraria propositio damnata in Jansenio: Atqui ex antecedenti necessario, quamvis accidentali, tollitur libertas à necessitate: Ergo, &c. Respondent dist. majorem. Requiritur libertas à necessitate essentiali, concedo: à necessitate accidentali, nego. Existimavit Jansenius libertatis essentiam constitui per solam immunitatem à coactione, offendens plura in Augustino testimonia, quibus non semel arbitrii libertas per lubentiam & spontaneitatem describitur. At aliter Augustinus loquitur de libero arbitrio disputans contra Stoicos Fati assertores, & contra Manichæos facientes Deum auctorem peccati; aliter contra Pelagianos inimicos prædestinationis & gratiæ. Agenti enim contra Manichæos & Gentiles Philosophos, sat erat asserere malam voluntatem esse ex nobis, neque ad hanc arbitrium cogi aliqua constitutione fatali. At contra Pelagium disputanti necesse fuit demonstrare humanam voluntatem præveniri gratiæ muneribus eo majoris efficientiæ, quo sanandum est vulnus arbitrii, & regenda validis præsidiis infirmitas. Hæc Jansenius, quamquam in Augustiniana lectione aliquamdiu versatus, sub inversusque permiscens, agens de Gratia definitionem arbitrii contra Stoicos traditam unice usurpavit. Illud liberrime patrari dixit, quod non fit coacte, etiamsi eveniat necessitate aliqua essentiali. Asseruit proinde amorem Beatorum in patria esse undequaque liberum, quia amant summum bonum voluptate ac lubentia; cum tamen necessarius sit necessitate essentiali, neque relinquat potentiam ad oppositum.

Objectio.

Solutio.

Quinta Regula.

Doctrinam nuper traditam, quod Theologorum illorum pace dixerim, verbotenus, non re à Jansenio errore discrepare arbitramur. Quippe Jansenius non adeo desipuit, ut crederet beatitudinem esse homini essentialem, quinimo in beatis veram libertatem, eamdemque ac in viatoribus gratia præventis asseruit, propterea quod, ut gratia victrix, ita Dei visio ad creaturæ rationalis essentiam non spectat. Et quidem toto libro 111. de Statu naturæ lapsæ nititur Jansenius monstrare victam vitio naturam, libertate carere propter ignorantiam & concupiscentiam, quæ humanam voluntatem captivant

5. Regula 5.

vant in lege peccati, & carnalibus desideriis obstringunt: veram autem libertatem restitui per gratiam liberantem, & liberum facientem; & tam concupiscentiam, quam gratiam ita dominari, ut ablata indifferentia ad bonum, & malum agendi inducant necessitatem. Ut ergo concupiscentia non est natura, sed vitium, & gratia non est homini lapso perfectio essentialis, sed donum, ita per Jansenium, peccandi necessitas & dominatus concupiscentiæ accidentalis est, quomodo & accidentalis necessitas recte agendi quam infert gratia liberatix. Tantummodo in sensu Jansenii sub dominatu concupiscentiæ, aut gratiæ consistit libertas à coactione, quoniam homo peccat culpabili cupiditate, & recte agit victrici delectatione: neque cogit arbitrium cupiditas, vel delectatio. Hæc est perversa doctrina Jansenii: quare non video quo jure Theologi quidam affirment Jansenium necessitatem essentialem, non accidentalem asserere, & hoc inani præsidio studeant gratiam cum Dei prædeterminatione componere. Quartam ergo regulam reprobo substituta sequenti, quæ est Jansenianis principiis opposita.

Igitur creatura rationalis duabus facultatibus prædita est, intellectu, & voluntate: intellectus objectum est verum, & objectum voluntatis est bonum. Mens non est indifferens ad verum in communi, quia non potest cognoscere quod non est verum; neque voluntas est indifferens ad bonum in communi, quia non potest amare quod non est bonum. Ergo ad verum in communi naturaliter determinatus est intellectus, & ad bonum in communi est naturaliter determinata voluntas. Non ita res se habet circa hoc particulare verum, & circa hoc particulare bonũ, Si hoc particulare verum sit per se evidenter clarum, nec videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quæ appellantur prima principia, E. G. omne totum majus est sua parte, in quibus nulla interesse potest species falsi, naturaliter intellectus determinatur ad assentiendum, nec remanet libertas & differentia judicii. Si autem hoc particulare verum non sit per se evidenter notum, & videatur per aliud, cujusmodi sunt veritates, quibus permisceri potest species falsi, E. G. hæc propositio, Sol circa terram movetur, potest mens assentiri, vel dissentiri, & sive assentiatur, sive non, remanet semper indifferentia judicii ac vera libertas. Pariter si hoc particulare bonum ita proponatur voluntati, ut non possit apprehendi sub specie mali, & sit per se, evidenter, & omnimode bonum, ut Deus visus per lumen gloriæ facie ad faciem, voluntas in hoc bonum tendit eadem necessitate, qua fertur in bonum in communi, in quo nequit apprehendi aliqua ratio mali, & consequenter non remanet in voluntate vera indifferentia ac libertas: at si hoc particulare bonum non proponatur, ut omnimode bonum, neque evidenter & tale apprehendatur, uti in hac vita fides, charitas, martyrium, quæ ita voluntati proponuntur, ut ea possit fugere & nolle, cum possit intellectus apprehendere, & proponere aliquam speciem mali in mundi contemptu, in sui abnegatione, in mortis supplicio; tunc quidem remanet in voluntate vera libertas, vera indifferentia, & vera potentia ad oppositum.

Illatio triplex contra Jansenium.

Ex quibus infertur primo contra Jansenium, Beatos cum Deum videant intuitive, non esse in amore beatifico liberos, cum ad amandum Deum clare visum sint naturaliter determinati: unde S. Thomas 1. p. q. IX. art. V. ait: *Cum in Deo sit unum & idem ejus substantia, & bonum commune, omnes qui vident ipsam Dei essentiam, eodem motu dilectionis moventur in ipsam Dei essentiam, prout est ab aliis distincta, & secundum quod est quoddam bonum commune. Et quia in quantum est bonum commune naturaliter amatur ab omnibus, impossibile est, quin diligant ipsum.* Sequitur secundo, quandiu in hac mortali vita degemus, posse Deum libere odio haberi; quia licet per ideam summi boni, & ex rebus aspectabilibus illum cognoscamus existere; tamen per plures effectus apprehenditur sub quadam specie, qua inordinatæ voluntati proponitur tanquam malum, E. G. tanquam prohibens peccata, & pœnam infligens: quod expressis terminis docet idem Sanctus Thomas. II. 2. quæst. XXXIV. art. 1. in corpore. Sequitur tertio non ideo concupiscentiam non evertere libertatem, quia accidit ex Adæ peccato, & essentia humani arbitrii pravam inclinationem non exigit, ut fatetur quoque Jansenius hac eadem ratione adstruens veram peccandi libertatem in damnatis ac dæmonibus: Sed quia concupiscentia non ita flectit ad malum, ut non possit proponi voluntati aliquod bonum illi contrarium, quod concupiscitur. Sequitur quarto gratiam prædeterminantem & victricem stare

cum

cum libertate, non quod neceſſaria ſit duntaxat titulo infirmitatis, ſed quia ita mentem illuſtrat, & voluntatem incendit, ut excitari poſſint contrariæ cogitationes & affectus: veluti quando Martyr per efficacem gratiam determinatur ad mortem ſubeundam, poteſt timere mortem ipſam & formidare ſupplicia. Sequitur ultimo tolli veram libertatem à neceſſitate etiam per determinationem accidentalem, ſi talis ſit ut non relinquat potentiam ad oppoſitum; quomodo vincula licet adventitia & accidentalia tollunt libertatem à coactione, ſi tam vehementer conſtringant, ut non remaneat aliqua poteſtas arctiſſimos nodos ſolvendi. Sed hæc alibi accuratius.

6. Regula 6.

Sexta Regula.

Poſtrema regula conciliandi cum Divinis præfinitionibus libertatem eſt, quam plurimi probant Recentiores: qui docent efficaciam gratiæ non conſiſtere in mortua aliqua qualitate phyſice prædeterminante, ſed in blanda intimaque delectatione, quæ ſuperat determinatione morali omnem adverſam cupiditatem. Atque hi putant ſe facile nodum ſolvere, dicentes indifferentiam phyſicam non tolli niſi prædeterminatione phyſica, & recte componi cum prædeterminatione morali. Utuntur idoneis quibusdam exemplis. Dum (inquiunt) vir compos ſui amore tenetur propriæ vitæ ſervandæ, nunquam in ſe convertet gladium, nunquam bibet ſponte venenum, nunquam ex prælta turri deſiliet; quod phyſice tamen poteſt, & faciet reipſa ſi naturali rationis lumine deſtituatur. Quis etiam, (addunt) dixerit diſertiſſimum oratorem cogere illos quibus, verbis, ac propoſitis rerum agendarum exemplis ita alicujus rei deſcribit utilitatem, ut non valeant abjicere exhortationes? Ita non cogit, neque affert neceſſitatem Chriſti gratia, quæ efficaciter præmovet blanda, ſuavique charitatis delectatione.

Tria notanda.

Tria ſunt, ut opinor, in hac regula: unum aperte falſum, unum verum, unum dubium. Verum eſt, gratiam in mentis illuminatione, & ſancta delectatione conſiſtere, ut ex noſtris docent Cardinalis Noriſius, Auguſtinus Burgenſis, Baſilius Poncius, Manſo, aliique plurimi; necnon Macedo, Lauria, Iſambertus, Habert, Gradin, & infiniti propemodum, quibus nec diſſentit Hyacinthus Serry in ſuo D. Thoma conciliato; quamquam communior ſit Thomiſtarum ſententia gratiæ naturam ſitam eſſe in qualitate, quæ hanc illuminationem & ſanctam delectationem præcedit. Sed hæc quæſtio alibi pertractabitur. Falſum eſt autem hanc illuminationem, & delectationem moraliter, non phyſice prædeterminare liberum hominis arbitrium; illa enim cæleſtis illuminatio & caſta dilectio, non allicit duntaxat ſuadetque, veluti dum nuces oſtendis puero, & trahis illum, ſed vere ac proprie efficit ut faciamus: quare exemplum oratoris non eſt ad rem; & vereor quin iſtud nimis arrideat Pelagianis, qui minime negant gratiam trahentem voluntatem ſola propoſitione objecti. Dubium tandem in hac ſententia remanet, quomodo hæc prædeterminans delectatio libertatem non tollat; ideoque recurrendum eſt ad regulam præcedentem: quam confirmat ipſum exemplum hominis deliri occidentis ſeipſum; qui non peccat, propterea quod mente captus, & nullius conſilii, caret indifferentia judicii: & ex adverſo homo ſanæ mentis ſub determinatione naturalis amoris libere ſervat propriam vitam, quoniam cum tali amore ſtat judicii indifferentia, ea nempe, quæ apprehendere poteſt in ipſamet vitæ propriæ conſervatione aliquam ſpeciem mali.

Notandum de comparatione liberi arbitrii.

Sed quoniam ad cupiditatem & delectationem recurrunt etiam Janſeniani, ut ſententiam hæreticam Sanctorum verbis incruſtatam reddant quodammodo ſpecioſam: obſervandum eſt liberum arbitrium comparari aliquando à SS. Patribus ſtateræ, quæ hinc, indeque ab impoſito pondere flectitur: unde ab Auguſtino in lib. de Spiritu, & litera definitur cap. 33. *Media illa vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt.* Trahit autem ſua quemque voluptas, & pondus animæ eſt ejus amor; ideoque media illa vis inclinatur in bonum delectatione juſtitiæ, in malum vero perverſa flectitur cupiditate. Ergo Janſeniani in hoc turpiſſime errant, quod liberum arbitrium, quaſi mortua eſſet bilanx, non vis, ſeu activa facultas, poſitum inter cupiditatis & gratiæ æqualia pondera opinentur nihil poſſe operari, ita ut neceſſario agat quod amplius delectat, uti ſtatera à graviori pondere neceſſitate dejicitur; ut ſcribit lib. IV. de Grat. Chriſti cap. 9. malus Auguſtini Interpres Janſenius. Hæc profecto ſententia hæretica eſt: non enim liberum arbitrium eſt indifferens ad inſtar ſtateræ: non eſt potentia paſſiva, ſed activa;

neque post Adæ lapsum periit, & est titulus sine re, sed vivit adhuc, agit, & dum trahitur sive concupiscentia, sive sancta delectatione, habet indifferentiam potentiæ à nobis superiori Regula expositam. Quapropter æquilibrium Jansenianum, sive æqualem, alternamque concupiscentiæ & gratiæ pugnam, quæ sopiri non potest, nisi altera alteram superet delectando, eoque, ut Jansenius inquit, totum vergat pondus, nec non comparationem stateræ, quam alio plane sensu, & ad significandam liberi arbitrii indifferentiam activam Patres tradiderunt, perinde ac Calvini dogma rejicimus & damnamus. Neque tamen admittere possumus æquilibrium aliud virium arbitrii, quasi tantum valeat ad peccandum, quantum ad non peccandum æqua penitus lance: sed firmiter confitemur illud invalidum esse, donec per gratiam Christi sanentur omnes languores animæ, ut Epist. 186. ad Paulinum docet S. Pater. Unde qui tale æquilibrium propugnant, *Videntur esse peccati originalis obliti*, inquiunt gravissimi Theologi Ludovicus Gotti de Grat. Actuali q. 2. dub. 5. §. 3. & Benitez disp. 111. dup. 1. cap. 1. ambo ex claro S. Dominici Ordine, & Angelici Doctoris magna Schola.

Regula 5. Statuitur optima.

His, quantum vires ingenii mei poterant, explicatis, quintam Regulam cæteris præfero, & hujus ope reliquas ad Catholicum sensum, in quo ab Auctoribus suis traduntur, existimo revocandas. Itaque affirmo sub efficaci gratia, in sensu composito ac diviso Thomistarum priori regula explanato, manere veram indifferentiam potentiæ cum determinatione actus, quoniam perseverat cum tali determinatione indifferentia judicii. Idem assero de modo illo intrinseco contingenter operandi, quem modum suprema causa in inferioribus attingit, ut dixi secunda regula. Hoc idem de prædeterminante gratia, cujus necessitas repetitur ex hominum infirmitate. Idem pariter de sancta delectatione, in qua Christi gratiam collocandam esse fatemur. Ex quibus etiam apparet, cur tam sensus compositus & divisus Thomistarum, quàm aliæ omnes regulæ locum non habeant in visione beatifica; quod scilicet non remaneat potentia ad oppositum, ubi summum bonum ita videtur, ut nequeat in eo apprehendi species aliqua mali. Atque hæc est ratio conciliandi decreta absoluta, gratiam, ac prædestinationem Dei cum libertate humana, absque ulla Scientia media. In quibus si nondum lectores acquiescant, oro, ut animadvertant, quod principio monui, hanc perdifficilem esse quæstionem. Ego enim in exitu libri sum, ubi cum Augustino de Spiritu & lit. cap. XXXIV. tantum dixero: *Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptiores.*

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUINTUS

In quo differitur cur Dei voluntas dicatur ab Apostolo bona, beneplacens & perfecta,

Cur Dei Voluntas dicatur bona, beneplacens, & perfecta,

PROPOSITUM est hoc libro de Divina Voluntate differere: de qua pertractatis iis, quæ ad prædefinitiones secundarum causarum spectant, & quæ potissimum in hoc argumento ingenia exercent Scholasticorum, minus prolixa supereſt disputatio. Ergo videndum primo quomodo hæc Dei voluntas sit *bona ac beneplacens*, id est, non delectetur morte peccatoris, neque ulla sint opera manuum suarum, quæ despiciat, & in quibus perpeti providoque regimine ordinem rectum fixumque non servet. De *perfectione* quoque Voluntatis, quæ est persistens cum immutabilitate libertas, agendum erit. Atque ita fiet, ut paucis liber iste absolvatur: nam de Divino erga electos beneplacito, in libro, qui ad istum consequetur, paulo operosior instituenda erit dissertatio.

CAPUT I.

An Divinum beneplacitum erga singulorum hominum salutem versetur?

SUMMARIUM.

1. Datur in Deo voluntas.
2. De objecto D. voluntatis terminativo, ac motivo, & de objecto Ejusdem terminativo materiali, & secundario.
3. 4. 5. 6. 7. Ex diverso respectu varia Divinæ voluntatis partitio.
8. 9. 10. 11. 12 Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari.
13. 14. 15. Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera.
16. & seqq. Refutatio objectionum.

1. Datur in Deo voluntas.

DARI in Deo Voluntatem constat Theologorum omnium consensione: non enim hanc negare potest, quisquis cœlestem Patrem quotidie orat, dicens: *Fiat voluntas tua:* aut eumdem cum Psalmista adloquitur, Ps. 113. v. 10. *Super misericordia tua & veritate tua: nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum? Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Consequitur autem voluntas natura sua intellectionem: neque aliud est, quam in aliquod objectum conjuncta cum perceptione propensio. Quisquis ergo substantiam absque voluntatis potentia persistentem excogitet, is non Deum percipiet, sed rem corpoream spiritu ac ratione carentem. Ex his vero, quæ diximus de Divina simplicitate, compertum est Dei substantiam, intelligentiam, ac volun-

tatem nullatenus ab invicem discrepare, diversamque cum nominum, tum idearum sortiri rationem, cum ad plures terminos comparantur. Quod enim de sapientia dictum est supra, debemus affirmare, ut scribit Augustinus in v. de de Trinitate cap. x. *De omnibus omnino, quæ de Deo possunt prænunciari.*

2. De objecto voluntatis.

Quoniam ergo voluntas dicitur comparative ad bonum, atque ipsamet Dei substantia bonum est per se subsistens, & per se diligendum, cætera vero omnia bona sunt quadam participatione ac dependentia: certum omnino est solam bonitatem Divinam esse voluntatis Dei objectum *terminativum* ac *motivum*, & bonitatem creaturarum objectum, ut vocant, *terminativum materiale*, atque *secundarium*. Quæ cum sola vocabulorum explicatione facillime intelligantur; sufficit præfatas dictiones enunciavisse.

3. Varia D. Voluntatis partitio.

Ex diverso quoque respectu varia emersit in Scholis Divinæ voluntatis partitio. Alia enim est voluntas *signi*, alia *beneplaciti:* illa est manifestatio aut declaratio exterior, qua Deus nobis significat se aliquid velle; hæc vero est ipsamet interior volitio aliquid tanquam sibi gratum decernens. Porro signa voluntatis Divinæ sunt præceptum aliquid jubens, aut prohibens, consilium, permissio, & operatio. Hanc voluntatem improprie & metaphorice dici est manifestum; nam voluntas est actus immanens, signum vero externa manifestatio. Quemadmodum ergo exterior pronunciatio verborum non est intima mentis contemplatio, sed signum ejusdem, ita præceptum, divinumque consilium sunt duntaxat interioris voluntatis significationes, non ipsamet latens atque interna volitio. Signa vero, quæ nobis Deus exhibet, cum falsa nequeant esse, semper internam aliquam voluntatem supponunt: at non semper illam, quam nos ex primo signi contuitu possumus conjicere. Ita cum Deus præcepit Abrahamo immolationem Isaac, apparebat hoc signo velle Deum mortem ipsius, sed intendebat solummodo experiri fidem & obedientiam Abrahami, & promissi Reparatoris atque Unigeniti sui præsignare crucifixionem. Ita permissiones peccatorum latentis alicujus consilii certissima signa sunt, sed nunquam mortis atque interitus peccatoris, quum velit misericordissimus pater, ut convertatur & vivat. Eapropter cum docent Theologi voluntatem *signi* sæpenumero non impleri, hoc sensu debent intelligi, quod non semper ea complentur, quæ nos arbitramur hisce signis subesse: sed aliquando alia eveniunt longe præstantiora; quorum causa Deus præscius futurorum præcedentia signa præmiserat. Atque hæc de voluntate, quam *signi* appellant.

4. De Voluntate beneplaciti.

At voluntatem beneplaciti, de qua exquisitior habenda est disceptatio, dividunt Theologi in *antecedentem*, & *consequentem*. Fautores Scientiæ mediæ voluntatem antecedentem illam dicunt, quæ antecedit voluntatis humanæ consensum, ejusque præscientiam: consequentem econtra, quæ talem consensum consequitur. At nos, qui totis lacertis contendimus dari absolutam voluntatem aliquos salvandi ante prævisa merita, & independenter à voluntatis humanæ prævisione, non possumus in hoc statu illam probare sententiam, neque futurum credere bonæ voluntatis actum aliquem, ante Divinum liberalissimum beneplacitum, quo præparetur ipsa bona voluntas à Domino. Itaque voluntatem antecedentem Thomistæ illam dicunt, quæ connotat homines secundum se spectatos, ut conditos ad imaginem ac similitudinem Dei, & pretio passionis Christi redemptos: & voluntatem consequentem illam, quæ comparatur ad creaturas rationales in certis constitutas circumstantiis, quibus spectatis vult Deus aliquid simpliciter & absolute. Quemadmodum ergo justissimus princeps vult omnium civium ac totius Reipublicæ incolumitatem ac vitam, & mercator mercimoniorum suorum conservationem; & ille tamen furem & homicidam damnat mortis, is vero tempestate jactatus arcas mercesque projicit in mare: ita Deus quemque ad salutem invitat, & tota die expandit manus suas ad populum contradicentem, ut omnes ad illum accedant, capiantque hæreditatem salutis; sed quosdam sceleribus inquinatos, propter gloriam justitiæ suæ, rejicit, reprobatque. Quibus exemplis utitur D. Thomas 1. p. q. XIX. art. 6.

5. Distinctio voluntatis antecedentis, & consequentis.

Nos, non repudiata hac Thomistarum doctrina, cum sit hæc duplex hominum consideratio, secundum se, & in genere, atque in certis quibusdam circumstantiis, distinctio rationis nostræ, cumque vere ac proprie, & præcisa etiam consideratione mentis humanæ Deus sincere voluntate antecedenti velit omnium hominum salutem, duo alia connotata paululum diversa spectamus, unde sumitur duplicis voluntatis, antecedentis & consequentis distinctio. Attendendus est ergo ordo à Deo impositus,

tus; in quo omnes homines tam justi, quam impii, donec vivunt, in via, qua ad salutem pervenire possunt, collocantur; omnes jus habent accedendi ad Ecclesiam, petendi Sacramenta, & obtinendi gtatiam, quam hæc efficiunt: omnibus prædicatum est Evangelium, exhibita misericordia, præparata divinorum beneficiorum munera: pro omnibus Christus abunde comulateque satisfecit, & pretium redemptionis exhibuit, *non solum pro peccatoribus passus*, (ut ait Catech. Rom. p. p. cap. 5. n. 11.) *sed etiam pro illis, qui pœnarum omnium quas pertulit, auctores, & ministri fuerunt.* Hujus ordinis impositio est objectum voluntatis antecedentis; unde Janseniani, aliique hæretici, qui affirmant neque Ecclesiam pro omnibus institutam esse, neque pro omnibus oblatam passionem Christi, neque pro omnibus satisfactum, nefarie impieque negant Deum velle omnium salutem antecedenti voluntate. Deinde attendendum est hujus impositi ordinis complementum & executio, qua hominum plurimi perducuntur ad salutis terminum, accipiunt donum perseverantiæ, percipiuntque reapse fructus passionis Christi: de quibus præfatus Catechismus Rom. P. 2. cap. 4. n. 24. inquit: *Si vero fructum, quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus.* Atque secundum hanc postremam rationem non pro universis, sed pro multis suum fudisse sanguinem, & rogasse Christum Cathechismus ipse declarat. Igitur voluntatem antecedentem illam dicimus esse, quæ spectat ad ordinis impositionem; & consequentem eam, quæ executionem respicit hujus ordinis: utramque vero esse voluntatem beneplaciti, & effectum sortiri, ad quem primario ordinatur.

6. Hanc duplicem voluntatem veteres variis vocabulis designarunt.

Pluribus vocabulis hanc duplicem voluntatem veteres designarunt. Tradidit voluntatis utriusque discrimen Damasc. lib. 11. de Fide Orthodox. cap. XXIX. his verbis: *Voluntas antecedens est, quod quis à seipso vult. Consequens, quod ex eorum quæ fiunt causa proficiscitur. Nam præcedente voluntate vult Deus omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire: verum nobis peccantibus vult nos castigari prout conducit.* Ibidem appellat Damascenus voluntatem antecedentem voluntatem *bonitatis*, consequentem vero voluntatem *justitiæ*. Beatus Prosper in fine Respons. ad Ob. Vincent. priorem voluntatem vocat *invitantem*, alteram *judicantem*. S. Anselmus in cap. VI. Matth. primam nominat *voluntatem misericordiæ & de rerum possibilitate*: secundam *voluntatem justitiæ, & de effectibus rerum.* Itaque voluntas antecedens, bonitatis, misericordiæ, & possibilitatis rerum efficit ut omnes salvari possint, & constituantur in via salutis, eamque consequantur, si velint. Voluntas consequens, justitiæ, & de rerum effectibus præstat, ut omnes reipsa salventur, & ponantur in termino salutis. Hæc Patres: in quibus animadvertendum est, voluntatem consequentem dici voluntatem *justitiæ* comparate ad judicium ac retributionem; nam quatenus electis suis media elargitur particularium gratiarum, etiam voluntas consequens & effectrix appellanda est voluntas misericordiæ.

7. Num detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes.

Quod nunc quæritur est, num detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes, nam de voluntate sequenti manifestum est in ea singulos non comprehendi. Videndum etiam, an hæc voluntas antecedens in Deo sit vere ac proprie, an vero metaphorice tantum, quemadmodum est in Deo ira, pœnitudo, commiseratio. Negant primum Jansenius, Quenellus, Trickius, & ejusmodi pestes, qui contendunt, omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvari infallibiliter, quod damnatum est in Propositione XXX. Paschasii Quenelli: & consequenter docent, velle Deum salvos fieri solos prædestinatos, atque pro istorum salute tantum fuisse Redemptorem suffixum cruci. Negant voluntatem antecedentem proprie in Deo esse Thomistæ præclarissimi, Bannez, Zumel, Bancel; quibus subscribunt Sylvius & Estius, necnon ex nostris Basilius Legionensis, Florez, & alii contra longe plures, quos tamen ego arbitror posse facili negotio simul conciliari

8. Propositio I.

PROPOSITIO I. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvari.

Probatur 1. ex SS. Scriptura.

Demonstratur hæc propositio 1. Divinarum Scripturarum auctoritate. Nam illam beneficam voluntatem Dei testatur Ezech. XXXIII. 32. his verbis: *Quare moriemini domus Israël? dicit Dominus. Vivo ego. Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat.* Quibus verbis Deus non contentus dixisse se velle impiorum conversionem, id etiam juramento confirmat. Istud vero quantum nos reddat de Divina voluntate certiores colligitur ex Tertulliano lib. de Pœnit. cap. LV. ex Hieronymo Epist.

XLVI. imo ex eodem Apostolo ad Hebræos cap. VI. 16. dicente: *Homines enim per majorem sui jurant: & omnes controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationem hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit jusjurandum.* In quo enim possumus propositam spem continere, si neque firmam anchoram habeamus verbum Dei, & immobile ipsius jusjurandum? Rursus idem Apostolus in 1. ad Timoth. II. ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, grátiarum actiones pro omnibus hominibus . . . . Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus: unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Atqui pro omnibus orandum est, ac pro omnibus passus est Christus, nemine prorsus excepto: Igitur & omnes homines, nemine excluso, vult Deus salvos fieri: alias inepta foret, & minus cohæreret Apostolica exhortatio. Hinc S. Prosper ad 2. object. Vincentianam, quæ hujusmodi est: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint:* respondet: *Remota discretione, quam Divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.*

9. Responsio Jansenianorum.

Respondent Janseniani productum Pauli testimonium referri ad homines status innocentiæ, non vero ad illos, quos originalis culpa devinxit. Quod ostendi potest etiam ex idea voluntatis antecedentis, quam supra tradidimus ex Thomistis: hæc enim respicit rationalem creaturam secundum se, & abstrahendo à superinductis circumstantiis peccati. Ubi ergo originalis culpa supponitur, voluntas antecedens non habet locum.

Solutio 1. At inanis profecto elusio. Nam in primis Apostolus de his loquitur, pro quibus affirmat orandum esse: At præcepit ut oremus pro omnibus, etiam regibus improbis, quales tunc orbi terrarum dominabantur, & quos specialiter ibi commemorat: Ergo ad omnes homines Apostolica spectat sententia. Imo quemadmodum prior ille status innocentiæ primi parentis peccato deperiit: ita nos beatus Apostolus non hortatur, ut pro hominibus status innocentiæ Deum exoremus: sed nostras præscribit supplicationes pro iis, quorum & vitiata est natura, & facilis est interitus, possibilis tamen Deo miserante conversio. Præterea Apostolus addit Christi mediationem, ac redemptionem. Omnes ergo, quicunque *Redempti* sunt, sub illa generali voluntate certissime comprehenduntur. Neque obstat, quod in hoc statu superinductæ sint circumstantiæ originalis peccati; tum quia etiam originali culpa, imo & actuali quacunque posita, spectant viatores omnes ad ordinis impositionem superius declaratam: tum etiam quoniam passione Christi prioris damnationis chirographum deletum est, ac propterea subsistit adhuc generalis illa voluntas intuitu meritorum Christi: per quem *regenerati sumus in spem vivam*, quemadmodum testatur Apostolus.

Hinc validissime probatur propositio ex quo Christus pro omnibus hominibus mortem subierit. Id in libro de Hæresi Jansseniana adversus quintam propositionem sumus demonstraturi. Nunc satis est Jansenii dogma brevissime refutare. Ac primo opponitur allato Pauli testimonio: *Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus:* quod de solis prædestinatis non non potest intelligi; quum nos hortetur Apostolus, ut nuper diximus, ad orandum pro omnibus, etiam reprobis ac perditissimis. Rursus idem Apostolus 2. ad Corinth. cap. 5. v. 14. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Probatur hoc Pauli testimonio omnes Adæ posteros originalem culpam contrahere, ut constat ex lib. VI. Augustini contra Julianum cap. 4. & ex XX. de civit. Dei cap. 6. Igitur sicuti omnes in Adam mortui sunt, ita Christus pro omnibus mortuus est. Atqui in Adam mortui sunt omnes: Ergo pro omnibus omnino mortuus est Christus. Verum de hac gravissima controversia citato loco accuratius.

10. Solutio 2.

Possumus generalem illam voluntatem salvandi omnes auctoritate quoque Patrum corroborare. Nam D. Basilius Hom. in Psalm. XXIX. *Pœna*, inquit *secundum Dei judicium; vita vero est, quam ille vult. Quid ergo dicit? nempe velle hoc Deum, suæ ut vitæ participes omnes fiant.* Macarius Hom. 26. *Dominus*

11. Probatur 2. ex SS. Patribus.

minus in benignitatem, & misericordiam compositus unice desiderat quod toti prorsus ad eum convertamur, ab omni contrarietate nos eripientes. Chrysostomus in 1. ad Timotheum cap. 2. *Imitare Deum tuum: si enim ille omnes vult salvos fieri, merito pro omnibus oportet orare: si omnes ille vult salvos fieri, velis & tu: si & tu vis, ora pro iis.* Ambrosius lib. III. de Interpellat. David. cap. 2. *Pulchre itaque Apostolus, ut præmisimus, explanavit quia & omnibus bonus est Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, &c.* Prosperum paulo superius laudavimus: & de S. P. Augustino dicendum est infra respons. ad 1. Adde Concilium Arelatense tertium, Moguntinum, Valentinum, & Carisiacum: Theologos quoque celeberrimos cujusque ordinis, atque ætatis; quorum consensio invictum suppeditat argumentum.

12. Probatur 3. ratione. Ex dictis eruitur quoque validissima ratio. Tenemur quippe omnes orare pro singulis, petere ac sperare regnum cælorum, ac Redemptorem nostrum ardentissima charitate diligere, propterea quod nos à perditione per mortem suam atrocissimam liberavit: Atqui tanta spei, & charitatis motiva prorsus evanescerent, si nos pulsare posset suspicio, quod Divinum beneplacitum non se extenderet ad omnium hominum salutem: Ergo, &c.

13. Propositio 2. PROPOSITIO II. Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera.

Probatur. Sequitur ex dictis, & brevissime confirmatur. I. Quidquid sacræ literæ de Deo affirmant, si maxime deceat ipsius bonitatem, misericordiam, ac providentiam, qua rationales creaturas dirigit in viam salutis; id absque ulla hæsitatione est asserendum de ipso Deo: Atqui in sacris libris legitur velle Deum, ut omnes homines salvi fiant; id vero magnopere decet infinitam ipsius charitatem, & directionem creaturarum in finem ultimum: Igitur absque ulla hæsitatione asserendum est, Deum proprie ac sincerissime velle salutem omnium. II. Voluntas antecedens dicitur comparative ad institutionem mediorum, quibus omnes salvari possunt: Hoc autem est aliquod vere bonum, quod est objectum voluntatis sinceræ ac propriæ: Ergo est in Deo sincera ac propria voluntas illa antecedens salvandi omnes. III. Vere Deus omnes ad agnitionem veritatis invitat, omnibus, si velint, Ecclesiæ Sacramenta dispensat, pro omnibus redemptionem dedit Unigenitum suum. Hæc sunt signa beneficentissimæ Dei voluntatis. Atqui istiusmodi signis non subest certa, & absoluta voluntas omnes efficaciter perducendi ad consecutionem salutis. Subest ergo saltem voluntas generalis, & antecedens, quæ versatur circa salutis possibilitatem, in qua singuli comprehenduntur.

14. Oblocutio. Verum quidem est, complures Theologos affirmare voluntatem antecedentem, non esse in Deo proprie, quod S. Thomas scribat esse voluntatem inefficacem, conditionatam, ac suspensam; eamque 1. P. q. XIX. art. 6. ad 1. appellet *velleitatem* potius, quàm voluntatem; quoniam non semper impletur: cum econtra illud semper compleatur, quod Deus vult *simpliciter*. Atque hinc est, quod Paulus Irenæus, aliique Janseniani dogmatis fautores à celeberrimis Theologis jactant se minime dissentire.

15. Responsio. At pessime novæ hæreseos patroni aberrant. Scholasticorum enim dissidium facile componitur, atque à Pseudoaugustinianis illis toto distat cælo. Distinguendus est enim duplex Divinæ voluntatis effectus. Unus est rationalem creaturam ad finem supernaturalem ordinare, eamque in via locare salutis, necnon ei parare, exhibere, conferre quoque, nisi ea detrectet, auxilia gratiæ sufficientia. Alter effectus est creaturam rationalem ad salutem perducere, illam in termino collocare, & præter communia gratiarum dona, eidem specialissima & efficacia, etiam finalis perseverantiæ, largiri. Horum diversitatem effectuum ex antiquioribus tradiderunt Aegidius Romanus in 1. dist. 46. q. 1. & Scotus, ac beatus Bonaventura eodem loco: ex recentioribus vero Bernardus Desirant lib. XXX. Aug. Vindicati, & alii quamplurimi. Dum ergo Theologi aliqui asserunt voluntatem antecedentem in Deo esse metaphorice, id Catholico sensu pronuntiant. Ac primo, cum nulla sit intrinseca Deo distinctio, negant esse in Deo antecedentem voluntatem distinctam à consequente, quod totum discrimen petendum sit ex parte *volitorum*, ut inquit Durandus Quæst. 3. distinct. 47. Deinde si comparetur voluntas Dei antecedens ad actualem gloriæ consecutionem, atque ad seriem auxiliorum, quibus ad salutis terminum perducuntur electi, manifestum est hanc voluntatem in Deo non esse propriam ac veram, neque semper impleri; quoniam reapse non omnes

electi

electi sunt, neque omnibus vult Deus talia media impertiri, quæ certissime cooperante libero arbitrio ad salutem perducant. Sed impletur tamen in aliquo ordine, & semper effectum proprium & immediatum consequitur; primum scilicet, qui est ordinare creaturam in suum finem, eamque in via constituere salutis. Quæ doctrina Catholica est, vera; & ab omnibus, si Molinianos excipias, summa consensione defenditur. Jansenius vero voluntatem hanc generalem à statu naturæ lapsæ procul ablegat, nullam gratiam admittit, cui liberum arbitrium resistat, nullam sinceram voluntatem salvandi nisi prædestinatos, nullum præter electos à Christo Reparatore redemptum, & licet aliquando ad palliandum dogma perversitatis Veterum usurpet verba, longe tamen ab eorum sensu recedit. Ita voluntatem Dei antecedentem, quam inculpate Veteres impropriam ac metaphoricam appellaverunt, propterea quod illam comparaverint cum actuali consecutione salutis: adversus Jansenistarum cavillationes nos sinceram verissimamque esse contendimus, sed illam explicandam esse censemus connotative ad generalem ordinem creaturarum, non ad qualescunque rerum circumstantias: alioquin nullum foret discrimen inter duplicem Dei voluntatem, quod nemo consentit.

Eorum, quæ objiciuntur, refutatio.

16. Objectio 1. Opp. 1. Exponere Apostolicam sententiam *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generali voluntate antecedenti, in qua singuli homines complectantur, est falsa interpretatio, quam S. P. Augustinus rejicit tanquam doctrinæ prædestinationis & gratiæ hujus status apertissime repugnantem. Ergo & rejicienda est ab Augustini discipulis ejusmodi commentatio. Prob. ant. Quadrifariam sanctissimus Antistes sententiam interpretatus est Apostolicam. Primum, ut dicatur Deus velle omnes salvos fieri, quia nullus fit salvus, nisi Deo volente ac prædestinante, quemadmodum de Ludimagistro dicimus: *Omnes pueros literas docet*, non quod gymnasium frequentent omnes omnino pueri; sed quia illo uno Magistro proficiunt quotquot literis impendunt operam. Ita S. P. Epist. ad Vitalem, in Enchirid. ad Laur. cap. CII. lib. de Prædest. SS. cap. VII. de Corrept. & Gratia cap. XIV. & lib. IV. contra Julianum cap. VIII. Altera Augustiniana interpretatio est, ut *omnes* accipiantur distributive, & pro *generibus singulorum*, quomodo dicitur omne animal fuisse in arca Noe, id est, animal cujuscumque speciei; itaut sententia sit, Deum velle salvos fieri nonnullos ex omni genere & conditione, Judæos, Græcos, pueros, adultos, divites, pauperes, &c. Ita S. P. in Enchirid. cap. CIII. de Corrept. & Gratia cap. XIV. necnon Fulgentius, Anselmus, Beda, aliique. Tertia expositio est, ut asseratur velle Deum omnes salvari, quoniam *nos facit velle*: Nam sicut clamantem Spiritum, ad Romanos VIII. recte dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; ita recte dicimus volentem Deum, à quo efficitur ut velimus. Ita S. P. de Corept. & Gratia cap. XV. & lib. XXII. de civit. Dei cap. 1. Neque solum efficit Deus, ut electi velint salvari, sed etiam ut pii homines magnopere desiderent omnium salutem, tametsi non omnes salvari velint, ut animadvertit ex Augustino Estius dist. XLVI. §. IV. & Sylvius quæst. XIX. art. 6. Postrema expositio est; Deum contulisse humano generi in universum auxilia quamplurima externa, quibus suam pro omnium salute curam ac sollicitudinem significavit, nimirum legem omnium menti inscriptam, exemplum ac redemptionem Christi, prædicationem Apostolorum, orationes Ecclesiæ, Sanctorum virorum merita ac labores, &c. Quam interpretationem affert fidelissimus Augustini Discipulus Prosper in Resp. ad 1. & 2. Ob. Vincent. Hæc omnia interpretamenta excludunt à Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes, & admittunt duntaxat voluntatem consequentem pro electis, pro cæteris autem voluntatem *signi*, ac metaphoricam. Ergo juxta Augustini doctrinam non videtur generalis illa propria ac vera voluntas admittenda.

Solutio. Resp. Vasquesius 1. p. disp. 83. cap. 2. beatissimum Patrem locum Pauli nullo ex illis modis recte exposuisse, & noluisse concedere voluntatem Dei antecedentem circa omnium salutem. Sed stant adversus Vasquesium Theologi præstantissimi, qui præfatas expositiones summopere commendant, & cæteris quoque præferunt, S. Thomas q. XIX. art. 6. Estius dist. 46. §. IV. Sylvius q. 3. ad præcit. artic. beati Thomæ, S. Anselmus & Beda apud Gerardum Vossium lib. VII. Hist. Pelag. parte 1. Thes. 2.

ut

ut prætermittam clarissimos Thomistas, & Augustinianos universos. Itaque respondendum est, allatas Augustini interpretationes, nequaquam cum voluntate antecedenti circa omnium salutem pugnare. Nam S. Pater de voluntate consequenti, absoluta, efficaci, & quæ est de rerum effectibus, non de antecedenti, quæ spectat homines in universum, accipiendus est. Ac primo id prænonuit Sanctus Thomas in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. Deinde hæc eadem Vasquesii impostura post obitum S. Patris in Galliis spargi cœpit; eique occurrit beatus Prosper in Præfat. Resp. ad Object. Vincent. dicens: *Contexunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo.* In illo vero prodigiosorum mendaciorum indiculo, secunda contra Augustinianam doctrinam objectio erat: *Quod Deus nolit omnes salvare:* & consequenter Vasquesius ineptissimas Semipelagianorum querimonias ingeminat. Præterea Augustinus acerrime in libris laudatis propugnabat prædestinationem & gratiam, necnon voluntatem Dei trahentem validiori gratiæ adjumento unum præ alio, quod Pelagiani negabant, ideoque de voluntate efficiente & absoluta erat ei specialiter pertractandum. Rursus S. P. voluntatem antecedentem salvandi omnes apertissime admittit lib. de Spiritu & lit. ad Marcellinum cap. XXXIII. ubi hanc proponit quæstionem: *Si voluntate quærimus, de hac quæritur unde sit. Si natura, cur non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator. Si dono Dei, etiam hoc, quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Ad istam vero quæstionem sic respondet: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, v. g. volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita, ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere: sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Dei voluntate.* His verbis, exemplisque satis liquet non rejici à S. Protoparente Augustino antecedentem voluntatem salvandi omnes, & interpretationes supra recensitas de voluntate efficaci & absoluta accipiendas esse, quam præsertim nolebant admittere Pelagiani.

17. Objectio 2.

Opp. 2. Antiquiores Augustini Discipuli, & qui fideliores habentur ejusdem Assecłæ, nullam in Deo voluntatem agnoscunt, nisi Divinum erga prædestinatos beneplacitum. Fictitia est ergo voluntas antecedens salvandi omnes. Prob. ant. Auctor Hypognost. lib. VI. cap. ult. *Omne*, inquit, *quod Deus vult facere, potest, nec prorsus humana voluntate præpeditur, quod vult.* S. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. XXXI. *Omnes ergo, quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: nec est quisquam, quem Deus salvari velit, & non salvetur; quia Deus noster omnia, quæcunque voluit, fecit.* S. Prosper Carmine de Ingr. cap. 16.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora; non causis anceps suspenditur ullis.

Quibus docet, nullam esse in Deo voluntatem, quæ suspensa sit, neque adimpleatur; qualis est antecedens, conditionata, & inefficax. Patres denique Africani in Sardiniam relegati Epistola Synodica cap. XIV. *Omnes*, inquiunt, *prædestinati ipsi sunt, quos Deus vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu ex omni hominum genere, gradu, & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur.* Fideliores ergo Augustini discipuli voluntatem salvandi omnes ad solos referunt prædestinatos.

Resp. dist. ant. Fideliores Augustiniæ doctrinæ sectatores nullam in Deo voluntatem salvandi profitentur, nisi respectu prædestinatorum, & loquuntur de voluntate consequente, & quæ est de rerum effectu, conc. de voluntate Solutio.

te antecedente, & quæ est de rerum possibilitate, nego. Prædictos Patres de voluntate consequente verba facere, liquet primum ex eorum scopo, & ex argumento quod tractant: quum toti sint in vindicanda adversus Pelagianos, horumque reliquias discretione rejiciendorum, atque eligendorum, præparationemque gratiarum, non qualiumcunque, sed quas Deus juxta propositum voluntatis suæ impertitur electis. Id namque obtrectatores Augustinianæ doctrinæ negabant pugnaciter. Præterea horum Patrum sensus haud obscure ex recensitis libris, locisque deprehenditur. Etenim Auctor Hypognost. loquitur de voluntate salvandi *finaliter*, id est perducendi reipsa prædestinatos ad salutis consecutionem, ac terminum, ut ex sola lectione capitis ultimi manifeste colligitur. De hac eadem voluntate accipiendum esse beatum Fulgentium, quæ subsequuntur verba liquido manifestant. Nam scribit: *Ipse prædestinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædestinationis effectum.* S. Prosperum loqui de voluntate absoluta, quæ suum consummat opus, & ex his carminibus eruitur, & ex Respons. ad 2. Ob. Vincent. de qua supra. Afros quoque Patres de consecutione salutis, non de ejusdem initio disputare ex eo constat, quod in laudata Epistola de Prædestinatione secundum Dei propositum agere instituant. Sed vide Desirantium lib. Aug. Vindicat. XII.

18. Objectio 3. Opp. 3. Omnis Dei voluntas *impletur*; dicitur enim in Psal. 134. v. 6. *Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra*: & cap. 46. Isaiæ v. 10. *Omnis voluntas mea fiet*; Atqui voluntas antecedens non impletur: Ergo voluntas antecedens in Deo minime reperitur.

Solutio. Resp. 1. dist. min. Voluntas antecedens non impletur quantum ad effectum sibi proprium, qui est omnes in via constituere salutis, ac singulis præparare & exhibere auxilia communia, quibus consequi possunt salutem, si velint; nego: non impletur quantum ad effectum voluntatis consequentis, qui est perducere ad terminum salutis, & largiri specialissima gratiarum dona, quibus salus certissime comparetur, concedo. Resp. 2. dist. majorem: Omnis Dei voluntas impletur, si absoluta sit, & consequens, concedo; Si conditionata, & antecedens, subdistinguo: non impletur in individuo, & in singulis hominibus inspectis secundum peccatorum circumstantias, ipsomet Deo ita volente ac disponente in gloriam gratiæ, & manifestationem justitiæ suæ, concedo: non impletur comparate ad creaturas rationales spectatas secundum se in universum, & abstractive à superinductis peccatorum circumstantiis, volente Deo creaturarum suarum perditionem, nego. Utraque responsio constat ex dictis, sed prior cum tradita à nobis notione voluntatis antecedentis magis cohæret.

19. Instantia. Instistes: Si voluntas antecedens dicatur duntaxat connotative ad creaturam rationalem abstractive ab individuis aliqua circumstantia affectis; Ergo Deus voluntate antecedenti dicendus erit velle salutem etiam damnatorum hominum, ac dæmonum, neque minorem habebit curam reproborum adhuc permanentium in via, quàm dæmonum ac damnatorum.

Resp. transmisso antec. nego consequentiam; quum enim effectus voluntatis antecedentis sit locare rationales creaturas in via salutis, eisque communia gratiarum dona parare, ut valeant æternam sibi promereri beatitudinem, donec liberi arbitrii facultate ad bonum, malumve uti possunt: non potest ad hanc voluntatem pertinere quisquis jam constitutus in termino, neque merendi pollet libertate, neque piorum oratione juvatur, neque ulla interiori gratia excitatur, aeque aliquod experiri potest divini beneplaciti beneficium. Responsio.

20. Objectio 4. Opp. 4. *Non est* voluntas antecedens propria ac sincera, quæ conjungitur cum voluntate consequente illi opposita: Voluntati salvandi omnes opponitur voluntas consequens damnandi quamplurimos: Igitur voluntas antecedens salvandi omnes in Deo propria, ac sincera non est. Prob. ma. Si enim in potestate esset mercatoris motos fluctus componere ac tempestatem sedare, & nihilominus in mare merces projiceret; hæc voluntas consequens & efficax qua projicit merces evidentissime ostenderet non fuisse in eo sinceram, propriamque voluntatem merces conservandi. Cum ergo Deus possit omnes salvare; si plures damnat ac reprobat, manifesto ex hac damnandi, ac reprobandi voluntate infertur, illam, quæ versatur circa omnium salutem, in Deo propriam sinceramque non esse.

Solutio. Resp. dist. majorem: Si utraque voluntas antecedens & consequens connotent eumdem finem, idemque objectum, conc. Si diversum, nego. Mercator, cum particularis persona sit, unicum

cum sibi finem præfigit, nimirum negotiationem ac lucrum; & comparate ad finem unum, non datur duplex voluntas opposita, sed unica. At Deus universalis rerum omnium provisor, ac rector non solum voluntate sua locat omnes in via salutis dum vivunt, & vult illos ad impositum ordinem pertinere, verum etiam illud definit, quod efflagitat particularis singularum rerum conditio, & impositi ordinis executio. Respicit ergo voluntate antecedenti rationalem creaturam universim, eamque visceribus misericordiæ & charitatis complectitur: consequenti vero hæc, vel illa individua, quæ meritorum malorum præscientia damnat ad ostensionem justitiæ. Quum ergo in Divina voluntate duplex sit connotatio, ac duplex finis; non implicat voluntatem antecedentem & consequentem invicem esse contrarias; sive, ut loquar rectius, unam eamdemque voluntatem, si ad diversa referatur connotata, aliquam dicere oppositionem; quæ, cum sit ex parte terminorum, nullam potest in Deo evincere diserepantiam.

21. Objectio 5. Opp. 5. Ideo judex voluntate antecedenti vult omnium civium incolumitatem, quoniam non intuetur futuram aliquorum flagitiosissimam conversationem, quos de patrato scelere accusatos voluntate consequente damnat ac punit; quorum pessimam vitam si antecedenter novisset, nunquam de ipsorum salute fuisset sollicitus: Igitur Deus, qui omnium rerum præsentissimam habet cognitionem, de illorum quos voluntate justitiæ reprobat, condemnatque, non potest habere voluntatem sinceram antecedentem misericordiæ, ac beneplaciti, ut salvi fiant.

Solutio. Quidam respondent allatum exemplum non esse ad rem, nam si de improbo, ac pestifero cive loquamur, quemadmodum & de peccatore finaliter impœnitente, comparatur voluntas ad personam in certis circumstantiis constitutam; & consequenter non remanet objectum voluntatis antecedentis, sed in his locum habet sola voluntas consequens: quæ responsio ex tradita definitione utriusque voluntatis in sententia Thomistarum, est manifesta. Alii docent Judicem non esse generalem provisorem, sicuti Deus est, ideoque ex voluntate antecedente, qua vult homicidam vivere in quantum homo est, nulla ei præparare media, ut possit capitis pœnam vitare: Deum vero singulis hominibus, quantumvis sceleristissimis, communia saltem media præbere: unde in Judice voluntas antecedens est sterilis & otiosa; in Deo autem vera, benefica, & alicujus effectus operatrix. Sed respondemus exemplo Judicis nostram confirmari sententiam. Etenim etiamsi Judex prævideret civis alicujus meditatum flagitium, quo patrato in reum pœna mortis animadverteret, non tamen civem illum prorsus desereret, sed monitis minisque à perpetrando scelere deterreret, impleretque omnia, quæ munus postularet Rectoris, ac Judicis. Ita Deus, quamquam ob multorum, quam prævidet, obdurationem futuramque impœnitentiam illos reprobet ac suppliciis addicat, eos tamen generalibus adjumentis non deserit, sed misericordissima charitate hortatur, adjuvatque ne pereant.

22. Objectio ultima. Opp. ult. Voluntas antecedens de universorum salute effugium erat Semipelagianorum, quo Augustinianam de Electione aliquorum secundum Dei propositum doctrinam repudiabant.

Solutio. Resp. Semipelagianos admisisse in Deo voluntatem antecedentem, quæ ex præscientia humani consensus, fideique sola naturali facultate elicitæ proprium consequeretur effectum, impugnasse penitus voluntatem sequentem, qua Deus certos à massa perditionis ante mundi constitutionem liberare decrevit: excogitasse quoque, ut salutis initium in nobis statuerent, prævisionem meritorum, quæ nunquam futura erunt, in parvulis, qui ante usum rationis rapiuntur. Quæ omnia sequenti libro sunt refutanda. Nos econtra dicimus nunquam ab humana Divinam præveniri voluntatem, hanc omnium meritorum nostrorum causam esse ac principium; &, quo ab inimicis gratiæ Christi magis recedamus, etiam voluntatem consequentem & absolutam à divino proposito, non ab operum præscientia repetendam esse defendimus. Distat ergo toto cœlo voluntas antecedens in sensu Pelagianorum ab ea, quam hactenus propugnavimus.

CAPUT II.

Nullam esse in ordine universorum Creaturam, quam Deus sui ipsius causa non amet, & cujus non habeat sedulam curam ac vigilantissimam providentiam.

SUMMARIUM.

1. Deus amat creaturas propter propriam sui ipsius bonitatem.
2. 3. 4. Satisfit objectionibus.
5. 6. 7. An, & qualiter amet Deus creaturas possibiles?
8. 9. 10. Gubernat Deus Providentiâ suâ omnia abjectissima, & minima.
11. & seqq. solvuntur objectiones.

De amore, & Providentia Dei erga Creaturas.

PROXIMA est quæstio de Amore Dei erga creaturas suas, & de providentia, quam tenet rerum universarum. Pro qua dirimenda illud tanquam certum supponimus, in Deo reperiri actum amoris, quo vult rebus à se aut productis, aut producendis aliquod bonum; etsi in eo non sit desiderium, neque odium, saltem inimicitiæ, proprie tale. Desiderium enim est de bono tantum absente; quod nequit in Bono incommutabili, ac summa *entis* plenitudine excogitari. Odium quoque est velle alteri malum: quod repugnat Deo semper ad benefaciendum propenso. Nam & quando punit, cujusque malevolentiæ expers est; neque movetur animi perturbatione, sed amore justitiæ, & propriæ divinitatis, gloriæque motivo. Quare odisse dicitur impios, translata ab hominum indignatione proprietate sermonis.

I. Propositio I.

PROPOSITIO I. Deus amat creaturas suas propter propriam sui ipsius bonitatem.

Probatur 1. Pars.

Duas hæc thesis partes habet. Ac prima probatur ex 1. Geneseos v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* & Sap. XI. 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Probatur quoque ratione. Deus namque creaturis suis aliquod largitur bonum, existentiam, conservationem, & quidquid ipsarum conditioni, & rerum ordini maxime congruit. Atque, si nondum fuerunt productæ, id illis sempiterna sua voluntate conferre decrevit. Vult ergo creaturis universis aliquod bonum, ideoque vero illas amore prosequitur.

Probatur 2. Pars.

Altera pars propositionis, scilicet quod Deus omnia diligat propter semetipsum, constat pariter ex Scripturis; legitur enim Proverbiorum XVI. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Cui & ratio manifestissima accedit; & quod sola bonitas Divina sit charitatis Dei objectum, ut inquiunt *specificativum*: & quod ita Deo conveniat ratio primi principii, quemadmodum finis ultimi. Quamobrem ut operari non potest, nisi ex se ipso; ita nequit, nisi propter se, aliquid velle, aut diligere.

2. Oppositio 1.

Opp. 1. Divinus amor est indistinctus à Dei essentia: Deus non est aliud, quam ens à se: Ergo non amat aliud, quam se.

Solutio.

Resp. dist. maj. Divinus amor, & essentia idem sunt, si spectentur in se, conc. si comparate ad terminum, atque connotative, nego. Deo idem est esse ac velle, seu illud dicitur ad se, istud relative; quemadmodum de scientia, cæterisque attributis Dei alibi dictum est; unde nil mirum si scientiæ ac voluntatis Divinæ assignari possit extrinsecum connotatum, tametsi istud nequaquam *Essentiæ* idea ac nomine comprehendatur.

3. Oppositio 2.

Opp. 2. Aliquem diligere propter se est amor concupiscentiæ; Talis amor Deo videtur indignus: Igitur Deus neminem diligit propter se.

Solutio.

Resp. aliqui, non repugnare Deo amorem concupiscentiæ; non amorem illum, quo concupiscimus quod non habemus, sed quo concupiscimus aliquod bonum ei, quem diligimus. Sed resp. dist. maj. est amor concupiscentiæ, si inde aliqua diligenti proveniat utilitas ac delectatio: conc. secus, nego.

4. Oppositio 3. Solutio

Opp. 3. Deus in creaturis suis vult sæpenumero mala: non ergo eas diligit.

Resp. dist. ant. mala culpæ, nego. Mala naturæ, id est monstra ac portenta, subdistinguo, vult directe, nego; indirecte, ac propter justitiæ ordinem, ac regimen universi, concedo.

5. Aliqui dicunt Deum amare creaturas possibiles.

Quæres quid asserendum sit de possibilibus.

Resp. non convenire circa amorem rerum possibilium Scholasticos. Tenent quidam amari à Deo, atque his momentis ducuntur. Primo: Possibilia bona sunt in suo genere, nempe non actu,

actu, sed *possibiliter*: Quidquid autem bonum est, à Deo procul dubio diligitur. Præterea: Possibilia à Deo cognoscuntur, ergo & amantur; si enim res possibiles, quæ non sunt, possunt esse Divinæ cognitionis objectum, poterunt quoque objectum esse Divini amoris; nam qualem veritatem habent, talem etiam habent in se bonitatem. Rursus salus omnium est possibilis, ut capite dictum est præcedenti, & tamen illam vult Deus sincero animo. Mundus ergo possibilis, licet nullam habeat, vel habere debeat existentiam, diligi potest à Deo, amore saltem simplicis complacentiæ.

6. Alii dicunt nullo modo amare.

Quidam ex adverso creaturas possibiles à Deo nulla ratione amari putant. Quod primo hac probant argumentatione: Nullam participant creaturæ possibiles rationem boni; non enim habent existentiam, quæ prima est cæterarum perfectionum, nisi objectivam duntaxat, & à Divina indistinctam omnipotentia: At illud quod nullam in se continet bonitatem, nequit esse objectum dilectionis, aut complacentiæ. Ulterius: Amor Dei effectivus est, non affectivus, & semper rebus impertitur quidquid dignum videtur amore: creaturis autem possibilibus nihil bonitatis aut perfectionis largitur Deus, & consequenter minime ab eo diliguntur. Ad hæc: duo sunt charitatis, & amoris actus, uti, & frui. Utimur rebus, quas ad consecutionem finis præstantioris ordinamus: fruimur vero iis, in quibus animus voluptate ac dilectione quiescit. Hinc Magister Sent. in principio prioris libri docet rebus creatis utendum esse, Deo autem summo bono, atque ultimo fine fruendum. At possibilibus Deus neque utitur, neque fruitur. Non utitur; quoniam non eliguntur in usum propter aliquid obtinendum; nec fruitur, quia nulla re creata Deus tanquam ultimo fine delectatur. Nullus ergo actus amoris erga possibilia existit in voluntate Divina. Traditur hæc ratio à S. Patre Augustino lib. 1. Doctrina Christiana cap. XXXI. ubi postquam ostendit Deum nos diligere utendo, non fruendo, ait: *Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quemadmodum diligat.*

7. Duo certa videntur.

In hac vero opinionum diversitate, duo nobis certa videntur; primum non diligere Deum creaturas possibiles amore aliquo efficaci: quod probant argumenta nuper producta. Secundum vero, quod sicuti bonitatem & essentiam possibilium constat non esse à parte rei, sed tantum in mente hominis abstrahentis; ita amor ille Divinus erga possibilia, non est in re, sed in nostra solummodo cogitatione. Non enim diligi possunt, nisi quomodo sunt, quæcunque amore rectissimo diliguntur.

8. Propositio 2.

PROPOSITIO II. Gubernat Deus providentia sua omnia etiam abjectissima, ac minima.

Probatur 1. ex Scriptura.

Adversus Stoicos & Epicureos, qui negaverunt supremi Numinis regimen, & Genethliacos, qui omnia fato & inevitabili siderum constitutione arbitrabantur contingere, cap. 2. ac 3. primi libri propositionem firmavimus. Eamdem sequentibus momentis communimus. Principio enim Divinam hanc providentiam sacræ testantur literæ. Octavo Sap. cap. v. 1. legitur: *Attingit à fine ad finem, & disponit omnia suaviter.* Rursus seq. cap. XII. 13. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* Tum Matth. x. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Et cap. VI. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa.* De malis quoque, si ea sint pœnarum, ait Isaias XLV. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum:* nimirum ad punitionem impiorum, & commendationem justitiæ suæ. Si vero sint mala culpæ, ab eo permitti, ut notam faciat potentiam suam, *& ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, inquit Apostolus ad Rom. IX. 23.

9. Roboratur 2. ex SS. Patribus.

Hanc Dei prævidentiam Patres communiter demonstrant. Joannes Damasc. lib. 2. de Fide cap. 29. eamdem probat ex infinita Dei bonitate; nam & homines quoque ac bestiæ propriorum fœtuũ providentiam habent naturali instinctu: *& qui non providet, vituperari solet.* Utitur eadem ratione adversus Adimantum Manichæum S. P. Augustinus. Ambrosius in primo de Officiis cap. 13. idem evincit, quod nullus operator negligat operis sui curam. Theodoretus ac Salvianus de Divina Providentia elegantissima conscripserunt Opuscula. Eamdem Paulinus, aliique metro celebraverunt. Neque soli Ecclesiæ Patres, etiam Gentiles Philosophi de summi Numinis providentia præclarissimas protulere sententias. Eminet inter cæteros Hierocles, qui scripsit in Stoicos de Fortuna & usu Deorum, Chalcidius ad Timæum Platonis, Jamblicus segmento VIII. de Mysteriis Aegyptiorum, Alexan-

der Aphrodisiensis in libro de Fato, Gellius Noctium Atticarum lib. VI. cap. II. Diogenianus Peripateticus contra Chrysippum, & alii. Quorum unanimis sensus est dari seriem & nexum causarum omnium, quæ consilio & voluntate universalis motoris in suos quæque effectus diriguntur, salva semper contingentia eorum, quæ in nostra sunt potestate.

10. Probatur 3. ex rebus singulis.

Eamdem providentiam res singulæ contestantur. Primo certi cœlorum motus, ratique ordines astrorum, quibus anni, tempora, ac sæcula imperturbato nexu prætereunt; singulæ mundi regiones, mira animantium ac satorum propagatio, Regnorum, etiam Divinis oraculis prænunciata vicissitudo, ut Græcorum, Chaldæorum, Medorum: hominum præsertim, inter animalia præstantissimi generis, artes, commercia, consuetudines. Quæ omnia, aliaque permulta non dubitamus quin opera sint rationis; ut in altero libro de natura Deorum disputat Marcus Cicero. Secundo apparet mirabilis hæc providentia, in his, quæ primo aspectu casu evenire creduntur, sed spectatis circumstantiis apparent mirabili dispositione contingere. Explicant id in libro ad Imperatores Aphrodisiensis exemplo Oedipi, quem Lajus exposuit, & à bubulco educatus obvius factus parenti ignarus ignarum occidit. Quod fato non evenisse constat ex præcedenti oraculo Apollinis Pythii,

Te namque perimet, si qua erit proles tibi,
Atque inde tota sanguine undabit domus.

Sed missa fabula, quis non fortuito, & sublata Numinis providentia accidisse existimasset, ut Moyses in fiscella scirpea ad fluminis alveum exponeretur, Joseph ad Aegyptios duceretur captivus, David relicto pecore proficisceretur ad urbem, & asinis deperditis Saul ad Samuelis domum accederet? Et tamen hæc disponente Deo facta esse probavit eventus. Nam ex tam remotis causarum primordiis Joseph in Principem Aegypti, Moyses in populi Ductorem, David ac Saul in Reges maximos evaserunt. Plura Salvianus in I. de Providentia, & Nemesius cap. 42. congesserunt. Cum ergo etiam ea, quæ temere nata videntur, ad aliarum rerum occasionem incidant opportune, dubitare non possumus quin contingant superiore aliqua ratione moderante. Postremo accedit & ratio: Si enim est Deus, is profecto sapientissimus est, rerumque universarum ideis repletus, tum principium, ac finis omnium creaturarum. Atqui nisi omnibus provideret, & ad se omnia ordinaret, non esset in eo ratio incommutabilis universorum, neque summa potestas, & ultimi finis dignitas ac præstantia; vel, quod non minus videtur absurdum, productis à se rebus invideret, & illas in pugnam ac distractionem sineret abripi. Est igitur in Deo ratio, dispositio, & regula universorum. Atque hæc est providentia, quam Boetius lib. IV. de Consolat. Philosoph. Prosa sexta definit: *Providentia est ipsa illa Divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.*

Respondetur ad Objectiones.

11. Objectio I.

Opp. 1. In hac rerum universitate plura sunt, quæ à recto ordine deflectunt, & cum suarum causarum fine nequaquam cohærent, ut monstra & ostenta: cumplura etiam, quæ universo nullam afferunt pulchritudinem, aut utilitatem, ut innumera insectilium, ac vermiculorum genera. Igitur erga hæc saltem non extat ratio Divina, vel providentia.

Solvitur.

Resp. nego ant. Quæcunque enim casualia & portentosa videntur, distant quidem ab intentione ac fine particularium causarum, sed non à directione ac regula causæ primæ, & licet videantur noxia & inordinata, si comparentur ad causam proximam, sunt tamen magnopere utilia, & ordinatissima si referantur ad sempiternam rationem, & constitutam à Deo rerum seriem. Quippe & illud sapientissime à Deo æterna lege sancitum est, ut causæ secundæ natura sua mutabiles quandoque in rerum efficientia commutentur, ut in ipsa contingentium varietate unius summæ causæ immutata ratio persistat. At vide Resp. nostram ad 3. Cap. III. lib. I. Porro etiam minima & viliora ad præordinatum providentiæ finem maxime conducunt, & licet insipientibus superflua videantur, non sunt tamen Conditori, & artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui suma lege dominatur. Aptissimo exemplo id planum facit S. P. Augustinus lib. I. de Genes. contra Manich. cap. XVI. *Si in alicujus opificis officinam* (inquit) *imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat: & si multum est insipiens, superflua putat. Jam vero si in fornacem incautus ceciderit,*

rit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa & noxia existimat ibi esse multa: Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria. In hoc autem mundo, cujus conditor, & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, &c.

12. Instantia. Insurges: hanc de rebus vilioribus providentiam non habere Deum affirmat Apostolus 1. ad Corinth. IX. 9. dicens: *Nunquid de bobus cura est Deo?* Consentit beatus Hieronymus in Caput 1. Abacuc. Videtur quoque Divinæ indignum Majestati summum Deum rebus abjectissimis immisceri.

Solutio. Resp. Significare Apostolum, quod præceptum Deut. XXV. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, specialiter datum fuit causa hominis; nempe ut mercedem & alimoniam, quam jumentis largimur, magis in homines exerceamus. Probat enim ibi Paulus licitum sibi fuisse victum accipere à Corinthiis, tanquam laborum suorum justum debitumque stipendium: quoniam etiam qui plantat vineam edit, bibitque de ipsius fructu, qui pascit gregem, de lacte ejus manducat; & Mosaicum præceptum non alligandi os bovi trituranti, propter Ecclesiæ ministros datum est, quibus, dum seminant spiritualia, licet carnalia metere, & dum in Sacrario operantur, ea quæ de Sacrario sunt comedere. Hieronymum asserere, quod non sit eadem providentia, eademque cura de hominibus, ac de cæteris rebus, non vero negare quod Deus omnia immediate dirigat, & gubernet, diximus, & apertissime ostendimus lib. IV. cap. II. Prop. 2. ad 1. Id minime dedecet altissimam Dei majestatem. Ut enim ratiocinatur D. Ambrosius: *Si injuria est regere, nonne est major injuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe nulla injustitia sit, non curare quod feceris summa inclementia. Quod si aut Deum creatorem suum abnegant, aut ferarum & bestiarum se haberi numero censent, quid de illis dicamus, qui hac se condemnant injuria?* lib. 1. de Officiis cap. 13.

13. Urgetur. Dices: Atqui videtur congruum, ut Altissimus universorum Dominator ministerio creaturarum utens, quemadmodum Reges, terrenique principes, non immediate subjecta gubernet.

Resp. Falsum esse ant. quippe quod Reges per constitutos à se Vicarios remotas regant provincias, non tam dominii argumentum est, quàm potestatis coarctatio. Contra Deus qui omnipotens est, & ubique præsens, singulis rebus tribuit efficaciam; & omnia propria potestate disponit. Non deest illi dominationis magnificentia, cum per subjectam creaturam innumera operatur; neque dum communicat creaturis dignitatem causalitatis, suæ prodit indigentiam virtutis. Quanto causis corporeis, quæ invicem separantur agendo, nobilior est anima quæ per membra omnia diffunditur, & opera vitæ per corporis organa exercet; tanto, si aliquam fas est infinito addere comparationem, reges à præpositis suis loci intervallo ac viribus separatos antecellit Altissimus, qui ubique præsens nunquam à creaturarum suarum operatione sejungitur. Respondetur.

14. Objicitur 2. Opp. 2. Dei providentia si esset, foret à justtia inseparabilis: quod falsum est de præsenti providentia. Primo enim cur Deus innumera mala permittit si justus est? Deinde si homines mali sunt propria voluntate; quare via impiorum prosperatur, quare florent inqui? Cur econtra bonis accidunt sæpissime mala? Cur non perdit Deus improbos, & beneficiis non cumulat honestiores?

Solvitur. Resp. Justissimam esse præsentem Dei providentiam. Permittit mala, ut perfectiora & magis defæcata fiant bona: sunt enim fructus suavissimi, dum folia & cortex acrioris sunt succi: modulatio vocis magis jucunda cum certa interpositione silentii; & umbra in picturis eminentiora quæque distinguit. Vide has, aliasque elegantissimas similitudines apud August de Genes. ad lit. Op. imperf. cap. 5. Permittit quoque Deus mala, ut eveniant bona, quemadmodum dixi lib. 1. cap. VIII. Nam & peccatorum occasione manifestatus est ordo justitiæ, & opera exercentur misericordiæ. Prosperatur via peccatorum, ut boni sese avertant à cupiditate temporalium: *Nec bona cupidius appetantur, quæ mali etiam habere cernuntur:* ait S. P. lib. 1. de civit. Dei cap. VIII. Tum, ut Deus justus, si aliquid boni fecerunt, eis præsentis vitæ mercedem rependat. Non est tamen felicitas impiorum, ut creditur, maxima ac diuturna: sed interiori pace destituti innumeris sese immiscent calamitatibus. Præterea *Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum*

illum bonus exerceatur: inquit idem Augustinus in Psalmum LIV. Bonis adversitates adveniunt, ut terrena spernant; momentaneum hoc & leve tribulationis ipsorum æternum gloriæ pondus operetur. Non possumus denique injustam dicere providentiam, quæ in altero sæculo sempiterna supplicia, & beatissimam requiem paravit: nec semper in hac vita coronat merita, ut cum justum noverimus, spe melioris substantiæ nutriantur studia virtutum.

15. Instantia. Dices: Saltem perditissimorum hominum, quos sinit in profundum prolabi peccatorum, nullam habet Deus providentiam.

Responsio. Resp. Impios, quamquam de illis non habet Deus eamdem curam, quam tenet de Electis, à Divina tamen providentia non deseri, à qua destituti necesse foret, ut prorsus perirent atque reducerentur in nihilum. Relucet vero in his providentiæ Dei rectitudo, quod ex moribus improborum apparet infirmitas ac libertas arbitrii, virtus misericordiæ & gratiæ in his qui præservantur, summa Dei potestas ac beneplacitum in discernendis Electis, & in domo magni patrisfamilias ad omnem usum vasa tam aurea, quàm fictilia videntur disposita. Ut insuper piorum exempla nos ad imitationem hortantur; ita impiorum flagitia reddere debent timidiores, nobisque pavorem simul, ac sanctam incutere sollicitudinem. Si vero quæras qui fieri possit, ut peccata Divinæ subjiciantur providentiæ; respondendum est, quod non eo sensu providet Deus peccatis, ut ea curet ac prædefiniat; non enim causam habere possunt, nisi deficientem, cum sint privationes debitæ rectitudinis. Sunt nihilominus subjectum providentiæ quantum ad ordinem, cum permittantur altissimo Dei consilio, ut inde majora bona proveniant. *Quædam ergo & facit Deus & ordinat: quædam vero tantum ordinat;* inquit; S. P. Augustinus cit. lib. de Genes. cap. v.

Objectio ultima. Opp. ultimo. Videtur hæc providentia, quæ singulas res suis nectit ordinibus, idem ac Fatum Stoicorum, quod ex Chrysippo Gellius ita describit lib. VI. cap. 2. *Fatum est sempiterna quædam, & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaque est.*

Solutio. Resp. Quæstionem de Fato, quam Cicero vocat obscurissimam & implicatissimam, non debere mentem pulsare Fidelium. Non enim datur Fatum, quod sit anticipata necessitas proveniens ex certa siderum dispositione: de quo nonnihil me scripsisse memini superiori libro cap. III. & VII. Tale Fatum invexit primus omnium Democritus, qui etiam humanarum actionum causam statuit naturam æternam materiæ, & antecedentium causarum colligationem, ut scribit lib. I. de Placitis Philosophorum cap. XXV. Plutarchus: unde ex hoc Gentium fonte hauserunt errorem Hermogenes, ac Marcion; de quo lib. V. Tertull. ait: *Collocans cum Deo Creatore materiam de porticu Stoicorum.* Ab hac materia esse mala ac peccata asserebant; quæ tamen digna prædicabant execratione, quemadmodum virtutes, tametsi stellarum inclinatione & impulsu patratas, laudibus atque amore. Quod apta comparatione sic exponit Manilius:

Nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniant, sed semine certo.
Gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
Quod natura dedit fruges, non ullæ voluntas.

Cum ergo noverint hanc malitiosam materiæ vim Dei bonitati repugnare; facile fuit etiam cum Fato æternum principium malorum inducere, & Manichæorum hæresim ex Persarum, Magorumque cineribus suscitare. Hinc Priscillianus *ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate* hæresim nominis sui condidit, inquit ad annum Christi 381. Eusebius: ad subsequentem annum 386. illam refert Sigebertus, propagationis magis, quam ortus rationem habens. Grassabatur in partibus Hispaniarum, ubi primum emerserat, ætate quoque Augustini & Orosii: quin ibidem exarsisse etiam vivente Leone Magno, constat ex ejus ad Turibium Epistola.

De fato quid dicendum. Fatum sic acceptum nemo est qui non damnet. Nam primo, ut satis liquet ex hujus origine, & scribit S. Leo elegantissima Epistola, quam nuper laudavi, quisquis fatum adstruit, *tenebris se etiam paganitatis immergit:* nimirum conatur asserere necessariam ac sempiternam malitiæ vim, naturæ summi Dei optimæ ac perfectissimæ repugnantem. Cultum quoque siderum per hanc amentiam necesse est instaurari. Deinde neque de bonis, neque de malis actibus ullum poterit esse judicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit, & quidquid ab hominibus agitur, non est hominum, sed

sed astrorum; ut arguunt citato loco S. Leo, hom. x. Gregorius Magnus, & in lib. ad Orosium S. P. Augustinus. De Fato sic accepto rectissime eo loco Gregorius: *Absit à fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant.*

Probatur dari fatum juxta mentem Boetii.

At si accipiatur Fatum, ut illud definit Boetius, pro *inhærente rebus mobilibus dispositione, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus;* dari fatum probatur iisdem argumentis, quibus Divinam asseruimus providentiam. Quapropter S. Pater in v. de civit. Dei cap. x. scribit: *Si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Et juremerito monet à Fati nomine esse abstinendum; quod sermonis consuetudine videatur significare certam positionem siderum, ex qua casus eveniant inevitabiles. Cæterum providentia Dei rerum non tolli contingentiam constat ex quo in certa causarum omnium dispositione, etiam causæ contingentes ac liberæ contineantur; & prima causa nedum singulos effectus disponat, sed etiam rationem ac modum. Quare ex Dei providentia nulla consequi potest absoluta necessitas; ut dictum est præcedentis libri cap. 3. ac postremo. Atque hinc est, injustas esse expostulationes & querelas mortalium, qui Deo tribuunt molestias, & ægritudines, quibus plerumque in pœnam scelerum suorum afficiuntur. Quod non solum exprobrat Augustinus Enarrat. in Psalm. 72. & lectro 22. adversus Faustum, verum etiam sapientissimus, & antiquissimus Poetarum Homerus in hisce versibus latine redditis, & à Hierocle, & Gellio adversus nocentes recitatis, ne cum maleficio revicti sunt, ad Fati asylum confugiant:

Diis facere invidiam mortalis turba laborans
Clamitat à nobis nasci mala; cum tamen ipsi
Per scelus accersant supra sibi Fata dolores.

CAPUT III.

Divinæ voluntati perfectionem libertatis nequaquam deesse.

SUMMARIUM.

1. De plenitudine libertatis in Deo.
2. Declaratur status quæstionis.
3. 4 Est in Deo opposita necessitati libertas.
5. 6 Constituitur Dei libertas per actum sempiternum, ac necessarium Divinæ voluntatis à substantia indistinctæ, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem defectibilem.
7. & seqq. refutantur objectiones.

I. De Plenitudine libertatis in Deo.

RESTAT tertia voluntatis conditio, quam diximus esse plenitudinem libertatis. Hanc reperiri in Deo facile quisque conjiciet: sed ejus rationem exponere Theologi putant maxime arduum atque operosum. Nam Cajetanus Dei libertatem constituit in perfectione aliqua substantiæ Divinæ superaddita, ac pro libitu variabili: quæ opinio videtur cum simplicitati, tum immutabilitati Divinæ naturæ repugnare. Quamquam si variationem illam dixeris duntaxat respectu terminorum, ut tenent primores Thomistæ, & credibilius est voluisse Cajetanum, multos habet opinio illa, gravissimosque Assertores. Sed sunt, qui tenent Dei libertatem non addere ad substantiam Divinam necessariam ac immutabilem, nisi respectum rationis, ita ut per nullam Deo intrinsecam perfectionem constituatur: quod post Aureolum antiquiorem Scholasticum noster quoque Legionensis, & Vasquesius cum nonnullis aliis docuerunt. Alii econtra Dei libertatem stare putant in intrinseca quadam *entitate*, variabili in se *virtualiter*, quatenus divinæ voluntatis actus perinde se habeat ac si possit non existere, ut satis ambigue explicant Herrera, aliique complures. Nos vero cohærenter ad ea, quæ diximus secundo horum Opusculorum libro, scilicet, nihil esse in Deo aut mutabile, aut adventitium, aut quoquo modo à persistente natura diversum, nisi ratione connotatorum, dicimus consistere Dei libertatem ejusque actum in ipsamet Dei substantia intelligente ac volente, quatenus terminatur ad exteriora objecta: quod non solum docuit noster Gregorius, verum etiam Scotus, & ex recentioribus Theologis, Tournely, Habert, Frassen, Du-Hamelius, Juenin, aliique viri clarissimi.

Pro hac autem resolvenda quæstio-

2. Declaratur ſtatus Quæſtionis.

ne, ſupponimus agi nunc de libertate, quæ eſt poteſtas agendi vel non agendi; nam ſi liberum accipias pro eo quod neceſſarium eſt, & liberum tantum à *coactione*, ſeu libertate lubentiæ; certum eſt, Deum eſſe liberum etiam comparate ad propriam bonitatem; quam licet neceſſario, lubentiſſime tamen, maximaque diligit voluptate. At eſt hæc libertas ſola naturæ liberæ & ſui juris haud completa proprietas: & quotquot de libertate ſcripſerunt, ad hanc pertinere tradunt, ut ſit pleniſſima poteſtas indifferens ad utrumlibet. Libertatem quoque *contrarietatis*, quæ eſt ad bonum & malum, Deo non convenire, liquet ex his, quæ diſputavimus lib. 11. cap. VI. de potentia peccandi: quam eſſe à Deo removendam demonſtrat idea ſummi ac perfectiſſimi *entis*, quod nullatenus poteſt ſive à bonitate, ſive à recta agendi ratione deflectere. Quamquam ſi referas hanc libertatem *contrarietatis* non ad bonum & malum patrandum à Deo, ſed ad pœnam vel præmium rependendum hominibus; aſſentior ego Scotiſtis, qui in ipſo Deo ſtatuunt etiam libertatem *contrarietatis*, quandoquidem unum eligit, alterum reprobat, eamdemque perſonam deſerit peccantem, quam amplectitur pœnitentem. At in his, quemadmodum diverſa intervenit connotatio ac terminorum affectio, ita nulla oſtenditur *contrarietas* reſpectu Dei: de quo illud in præſentiarum inquirimus, num in rebus à ſe productis ſeſe gerat libere ita ut unum ſic eligat, ut alterum valeat eligere, atque quidquid facit, eo pacto faciat, ut potuerit non facere: quam communiſſime vocant Scholæ libertatem *contradictionis*.

3. Propoſitio 1.

PROPOSITIO I. Eſt in Deo oppoſita neceſſitati libertas.

Probatur 1. ex Scriptura.

Oraculis Scripturarum contra Vorſtium, Wiclefum, aliosque hujus farinæ Refractarios hæc roboratur aſſertio. Pſalmo enim 134. habetur: *Omnia quæcunque voluit, fecit.* 1. ad Corinth. 12. 11. *Hæc omnia operatur idem ac unus ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Matth. xx. *An non licet mihi quod volo, facere? &c.* Ad Rom. IX. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, &c.* Idem probatur ex PP. dicente Auguſtino XXII. de civit. Dei cap. 3. *Non ideo quia Deus peccare non poteſt, liberum arbitrium habere negandum eſt.* Damaſcenus lib. 11. de Fide cap. 22. ita adverſus Arianos ſcribit. *In tantum proceſſiſtis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis ſit. Ac certe ſoletis etiam Spiritui Sancto derogare, & negare non poteſtis ſcriptum eſſe: Spiritus ubi vult ſpirat. Ergo ſi Spiritus ubi vult ſpirat, Filius quod vult non agit? Omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult. Prout vult, hoc eſt pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Ac S. Bernard. de Grat. & lib. arbitrio: *Libertas à neceſſitate*, ait, *æque & indifferenter Deo, univerſæque tam malæ, quàm bonæ rationali convenit creaturæ.* Vide & Baſilium Hom. 1. in Hexam. Ambroſ. eodem loco lib. 1. cap. 5. Hieronymum in Epiſt. ad Philemonem cap. 1. 14. &c.

4. Probatur 2. ratione.

Probatur quoque ratione. Ac primo libertatem exigit ratio ſupremi dominii. Deinde magnificentia ac liberalitas, quæ, auctore Seneca libro de beata vita cap. 24. ita nominatur quia *à libero animo* proficiſcitur. Præterea divinitatis perfectio, quæ non exigua eſt poſſe de rebus univerſis pro ſuo arbitratu diſponere. Ulterius ſumma ejus ratio ac ſapientia, quæ poſtulat, ut omnia fiant à ſuprema cauſa cum electione & conſilio. His apud Scriptores vulgatiſſimis addo argumentum aliud apertiſſimum atque invictiſſimum. Poſſunt ſingulæ creaturæ à Divina ſeparari operatione; neque ulla cum Dei poteſtate junguntur lege neceſſitatis: Eſt ergo Deus in ordine ad creaturas eſſentialiter indifferens ac liberrimus. Antecedens probatur; ſi enim res creatæ à vi effectrice primæ cauſæ ſeparari non poſſent, conſequeretur omnes creaturas æternas eſſe, quemadmodum æterna eſt Dei virtus ac ſubſtantia: eſſe inſuper Deum imperfectum, niſi operaretur ad extra; neque aliquid eſſe creatum, ſed omnia ſempiterna, & cum divinitate eſſentiali unitate connexa.

5. Propoſitio 2.

PROPOSITIO II. Conſtituitur Dei libertas per actum ſempiternum ac neceſſarium Divinæ voluntatis à ſubſtantia indiſtinctæ, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem & defectibilem.

6. Probatur 1. & 2da Pars.

Hæc propoſitio duas habet partes. Ac prima ſic probatur. Dei libertas perfectio intrinſeca eſt, ejusque actus eſt immanens & vitalis: In Deo autem nihil intrinſecum ac immanens reperitur præter neceſſariam ac ſempiternam ſubſtantiam intelligentem & volentem; alias foret Deus compoſitus atque imperfectus. Eſt ergo libertas Divina idem ac neceſſaria & perſiſtens ſubſtantia Dei intelligens ac volens. Altera pars ſic oſtenditur: Requiritur ad libertatem

tatem aliqua indifferentia; liberum enim opponitur necessario: Sed actus Divinæ voluntatis non est indifferens prout comparatur ad bonitatem divinam, quæ perfecte cognita non potest cadere sub indifferentia judicii; quum nullum sit bonum: quod cum summo Deo valeat æquiparari: Ergo hæc indifferentia attendi debet penes connotata, id est exteriora objecta, quæ contingenter, & ex libera Dei voluntate efficiuntur in tempore. Ex quibus sequitur, libertatem Dei esse ex genere illorum, quæ connotative, non absolute dicuntur; scilicet, unum significant, & aliud, ut inquiunt dialectici, consignificant. Primum est ipsamet Dei natura, quæ est & suum esse, & sua operatio; alterum vero quidquid in aliqua temporis efficitur differentia: quod pro solutione argumentorum est apprime observandum. Lege quæ diximus de Dei immutabilitate lib. II. cap. IV. Prop. III.

Respondetur Oppositionibus.

7. Objectio 1. Opp. 1. Libertas importat electionem; est enim deliberatio, sive dijudicatio animi, qua se aliquid facere, vel dimittere quisquam proponit: In Deo non reperitur Electio: Ergo in Deo non existit libertas. Ad hæc: Postulat libertas indifferentiam saltem activam; hæc autem repugnat Deo; quandoquidem, ubi datur indifferentia activa, datur potestas, quæ esse potest sine actu: Atqui in Deo nulla extat potentia, quæ possit esse sine actu: Ergo neque aliqua indifferentia. Rursus: Non consistit cum immutabilitate libertas: Deus est immutabilis: Igitur non est liber.

Solutio. Resp. ad primum nego minorem; licet enim in Deo non sit electio cum permixta consultatione, quæ mutationem importat intelligentiæ, animique ancipitem suspensionem; est tamen electio, quæ est unius optio præ alio, absque ulla animi hæsitatione. Nam illa voluntatis ante electionem indeliberatio ac suspensio, cum ex ignorantia proveniat, arbitrii defectus magis dicenda est, quàm perfectio. Ad secundum dico: esse quidem in Deo indifferentiam activam; sed cum hæc dicatur connotative, indifferens Deus est non comparate ad propriæ entitatem substantiæ, sed ad mutabilitatem effectuum: quamquam potestas etiam sine actu non semper dicat imperfectionem; non enim homine, qui actu loquitur, est semper imperfectior ille, qui, cum loquendi habeat potestatem, silentium servat. Verum in Deo nulla est potentia ab actu distincta, nisi prout actus accipitur terminative; exigente summa Dei perfectione, ut idem sit ejus potestas & operatio. Ad tertium nego majorem; quippe salvatur Dei immutabilitas cum indifferentia actus liberi, dummodo iste contingens sit, quatenus connotat terminum, non pro eo, quod dicit in recto. Etenim creatio mundi est actus liber; & tamen ex quo Deus in tempore mundum condiderit, non est intrinsecę mutatus. Libera fuit quoque Verbo Divino humanæ naturæ assumptio; non proinde aliquid Personæ Verbi putandum est accessisse: nimirum cum Deus sit actus purissimus, libere agit absque sui mutatione; alias foret in Deo potentia indeterminata ac suspensa, & ejus libertas creaturarum subjiceretur defectibus, quos de summo Deo differentes caute debemus ab omni ejus proprietate secernere.

8. Objectio 2. Opp. 2. Cum Nicolao L'Herminier. Actus Dei liber constituendus est in actione voluntatis, quæ potuerit non esse; & discrimen aliquod assignari debet inter libertatem & actum. At discrimen nullum est, nisi quod libertas est quædam facultas pertinens ad Dei substantiam, actus vero operatio ejusdem facultatis, qui possit non esse. Deinde quæritur quid sit Dei libertas *formaliter* & in abstracto: atque huic quæstioni non bene satisfit, dicendo, libertas Dei est ipsa Divina substantia terminative accepta: sicuti quærenti quid sit æternitas, haud recte respondetur dicendo esse Divinam substantiam principio ac fine carentem. Rursus etiam Dei scientia est *Entitas* Divina connotans creaturas: Non ergo per hujusmodi connotationem propria ratio libertatis poterit explicari.

Solutio. Resp. ad primum utique actum Dei liberum esse actionem, quæ potest non esse: at quoniam quidquid in Deo est, si spectetur secundum id quod importat in recto, est necessarium atque immutabile; opus est, ut hujus liberæ actionis indifferentia versetur tota penes extrinsecum connotatum. Discrimen vero inter facultatem & actum in Deo pariter nullum est; nisi hoc unum, quod facultas connotat terminum ut potest poni, actus illum respicit ut positum, vel ponendum in aliqua temporis differentia: atque hoc pacto libera potestas creandi connotat creaturam possibilem, decretum liberum creaturam futuram, creatio & conservatio actualis crea-

creaturam actu existentem. Ita Deus nulla ratione mutatus dicitur & potens, & volens; quemadmodum idem nummus appellatur pretium, & arrha. Ad secundum nego hanc non esse optimam Æternitatis definitionem: *Æternitas est ipsa Dei substantia, pout caret fine ac principio.* Nam ait Augustinus in Psalmum primum & centesimum: *Non enim aliud anni Dei, & aliud ipse Deus; sed anni Dei æternitas est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile.* Habet similia beatus Anselmus in Monologio cap. 26. ubi de Divina substantia ait: *Æternitas ejus nihil aliud est, quàm ipse.* Falsum est ergo quod censet L' Herminier, Æternitatem Dei, aliaque Divina attributa definienda esse tanquam *formas* divinitati inhærentes: cum potius similes definitiones repugnent Deo, qui substantialiter est sua æternitas, sua voluntas, sua libertas. Ad tertium respondeo scientiam pariter ac libertatem sumptas in recto esse unam Dei, eamdemque substantiam; distingui autem vicissim diversa connotatione; nam scientia terminatur ad creaturas: ut veritatem habent intelligibilem; libertas vero easdem respicit, quatenus existentiam habent contingentem, & prout sunt media libere ad ultimum finem ordinata.

9. Objectio 3. Solutio

Opp. 3. Actus liber Dei vitalis est; Ergo est illi prorsus intrinsecus

Resp. dist. ant. Est actus vitalis connotans extrinsecum objectum, concedo. In eo tantum, non in perfectione intrinseca, quæ est ipsamet Dei substantia, consistens; nego. Multa sunt Dei intrinseca, quæ tamen ad objectum creatum comparantur, ut præscientia, virtus creatrix, prædestinatio, & cætera istiusmodi. Atque etiam *ab intra* personæ Patris intrinseca est generatio ac paternitas, quæ tamen absque ordine ad Filium à persona Patris distinctum nequeunt comprehendi.

10. Instantia.

Insurges: Hujusmodi connotatio vel intrinseca est, vel extrinseca: Si istud dixeris, constituetur Dei libertas per aliquid externum, atque adventitium; Si primum, erit Deo intrinsecus ac necessarius respectus ad res creatas. Rursus si tali connotatione Divina constat libertas, erit imperfectior libertate creata, quæ sine istusmodi terminatione consistit. Insuper nulla Divina perfectio etiam inadæquate constitui potest per aliquid extrinsecum, & creatum: Istiusmodi connotatio extrinseca est, & creata: Igitur nequit etiam inadæquate Divinam constituere libertatem.

Resp. ad 1. Talem connotationem spectatam ex parte actus, atque secundum id quod supponit in recto intrinsecam esse, necessariam quoque, & sempiternam; contingentem autem esse, extrinsecam, ac variabilem ratione termini & objecti. Quod explicari potest exemplo relationis Dei Creatoris ad res creatas, aliisque supra productis. Est enim Deus in se revera Creator, & quæcunque ipsius operatio æterna est, neque à divinitate sejungitur; & tamen liberrima est ipsius omnipotentia: advenitque ei nova Creatoris denominatio per solam rerum creatarum connotationem. Hoc ferme pacto nulla facta in *fundamento*, ut inquiunt, mutatione, nova illi ex accessione termini venit aut similitudinis, aut æqualitatis, aut coexistentiæ, relatio. Illud vero quod de libertate creata dictum est, nostram confirmat assertionem. Enimvero in libertate creata & indeterminatio, & volubilitas, & diversorum actuum variatio succedit, neque opus est, ut exterius contingentiam suam mutuetur. At Dei libertas, cum non sit suspensa ac mutabilis, neque in se actus habere possit diversos, à terminis duntaxat suam accipit indifferentiam. Quapropter qui actum Dei liberum in ordine ad connotata nobiscum exponunt, nihil Divinæ derogant perfectioni; sed loqui videntur de Divina simplicitate, atque immutabilitate decentius. Sed & illud negari potest, voluntatem nostram nullatenus per extrinsecum objectum constituti. Constituitur enim, non quidem accepta secundum *formam*, pro qua supponit, sed comparate ad ad terminum, quem consignificat. Hoc pacto constitui quoque Divinam perfectionem, si ea sit de genere earum, quæ connotative dicuntur, non est indecens, sed per quam maxime congruum. Nam hac ratione, ut diximus, omnia fere attributa explicantur; quæ, tametsi connotent creaturas, non appellantur tamen Deo extrinseca, sed ab ejus natura ac substantia sunt penitus indistincta.

Responsio.

11. Objectio 4.

Opp. 4. Si idem esset actus Dei liber, ejusque substantia, quemadmodum ista, ita ille æternus foret, & necessarius. Præterea eadem Dei perfectio esset simul immutabilis & contingens; immutabilis, quoniam talis est Dei natura; contingens vero, quoniam talis debet esse actus liber. At hæc valde repugnant sanæ, rectæque rationi. Male er-

go à nobis Dei libertas, ejusque exercitium exponitur.

Solutio. Resp. utique actum Dei liberum æternum ac necessarium esse, si spectetur in eo, quod importat *in recto*, ut nuper diximus de hujus actus connotatione. At cum tali necessitate stat contingentia ratione termini & objecti. Neque pugnat eumdem actum immutabilem, & contingentem esse respectu diversorum, quomodo eadem creatio æterna est si comparetur ad Deum, temporanea si referatur ad creaturas: eadem voluntas absoluta respectu prædestinationis Sanctorum, conditionata relative ad meritorum retributionem: eadem denique scientia practica comparative ad objectum operabile, speculatrix in ordine ad ea quæ ab artifice universorum non fiunt.

12. Instantia cum solutione. Quod si instis: Actus Dei liber fuit ab æterno, neque tamen ab æterno extitit aliqua creatura; occurrit semper eadem responsio, scilicet, Actum Dei liberum fuisse ab æterno secundum substantiam suam, non quoad terminum. Et si rursus objicias, quod si ab æterno nulla erat res creata, neque etiam potuit esse connotatio, quam requirimus ad libertatem; respodemus ab æterno talem connotationem fuisse ad terminum futurum, quæ productis jam creaturis transiit ad terminum existentem, quomodo ipsa creatio ac virtus omnipotentiæ spectabat ab æternitate mundum producibilem, quem nunc connotat jam productum; & scientia, quæ erat futurorum, facta est scientia præsentium, nulla accedente ex parte Dei mutatione.

13. Objectio ultima. Opp. ultimo: Quælibet creatura dependet à libera Dei voluntate, & est effectus liberæ determinationis ipsius; ergo respectus ad creaturas non constituit, sed supponit actum liberum voluntatis Divinæ.

Solutio; Resp. dist. ant. Creatura est effectus voluntatis Dei liberæ, inadæquate acceptæ & pro actu in Deo permanente, pro quo supponit, concedo: adæquate, & acceptæ etiam pro termino quem connotat, nego. Non sequitur, creatura dependet à libera Dei voluntate, & est effectus determinationis ipsius; igitur non constituit ulla ratione actum Dei liberum. Constitutiva enim per modum termini & connotati possunt à re quam constituunt vere ac proprie produci; & sat est, si hæc præsupponatur absolute & in seipsa considerata vel tempore, vel natura, vel origine sola præcedens. Nam Pater constituitur in esse patris per relationem ad Filium, & tamen Filius à Patre procedit & generatur. Secus dicendum est de constitutivis per modum *formæ* inhærentis. Verum istud in Deo constitutivum nullum est præter incommutabilem ejus substantiam.

Ex quibus plura fas est ad rem Theologicam conjicere. Primum quidem, nullam esse in Deo intrinsecam indeterminationem; quæ cum sit irresoluti animi fluctuatio, & quædam suspensio nescientis quid sit eligendum, neque ad essentiam libertatis requiritur; neque potest cum perfectissima Dei scientia componi. Infertur secundo nullam esse causam Voluntatis Divinæ, nisi prout causa accipitur lata quadam significatione pro suo termino, atque objecto; sicut nulla datur causa, nullumque principium divinitatis. Sequitur tertio non dari in Deo libertatem *contradictionis* in sensu, quo illam explicant complures Scholastici, id est voluntatem intrinsece suspensam ab omni actu *volitionis*, aut *nolitionis*, quorum neuter potest de novo incommutabili Deo contingere; dari tamen *contradictionis* libertatem, ut est potestas indifferens ad agendum vel non agendum, indifferentia spectata ex parte connotatorum; quæ cum ex dictis satis comprobari posse videantur, persequar deinceps Librum de Electione Sanctorum, quæ Divinæ Libertatis ac Providentiæ actus est singularis, atque præstantissimus. 14. Tres sequelæ statuuntur.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER SEXTUS

In quo de Electione Justorum secundum propositum voluntatis Dei, Augustino ductore, certatur.

SUPONDI quarto libro cap. XI. huic, Præfationis loco, præmittere Augustinianæ commendationem doctrinæ, quam tentarunt inofficiosi quidam Scriptores labefactare. Sed cum obtrectatoribus obsecuti sint, debitumque supernumeraverint Carolus Moreau, Fulgentius Lafosse, Cardinalis Norisius, aliíque viri doctissimi, ne videamur ferre ad sylvam ramusculos & ramenta, pauca ex iis, quæ ad Gratiæ ac prædestinationis causam attinent, colligenda breviter nobis erunt.

Itaque S. Augustini doctrinam Summi Catholicæ Ecclesiæ Pastores mirifice coluerunt. Innocentius asseruit, illam *integra ratione consistere*, se vero iis, quæ adversus Pelagium S. Pater elucubraverat, *pari assensione* adhærere. Bonifacius, ut scribit contra Collatorem cap. 21. S. Prosper, cum esset doctissimus, *adversus tamen libros Pelagianorum Augustini responsa poscebat*. Cælestinus comprimens Semipelagianorum audaciam Epist. ad Galliarum Episcopos testatur, quod Augustinum sanctæ recordationis virum *nunquam sinistræ suspicionis rumor asperserit*. Hormisdas vero in Epistola ad Possessorem ait: *De arbitrio tamen libero, & Gratia Dei quid Romana, hoc est Catholica sequatur & asseveret Ecclesia in variis libris beati Augustini, & maxime ad Prosperum & Hilarium*, posse cognosci, & contineri de his *in scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula*. Prætermitto Felicem IV. Gelasium, Zosimum, de quibus lege Norisianas Vindicias cap. VI. Subscribunt Pontifices singuli Joanni XXII. Constitut. 2. data anno 1326. hæc asserenti: *Celebervimus Pontifex Augustinus profligatis hæresibus, earumque radicibus extirpatis, Catholicæ Fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus soliavit*. Optima hæc Augustini existimatio apud cæteros Ecclesiæ Pastores semper obtinuit. *Ducem Ecclesiæ* appellavit Clem. VIII. *Ecclesiæ auctoritatem* Paschalis II. *Ecclesiæ quietem* Leo X. *Ecclesiæ irrefragabile jubar* Innoc. XI. *Ecclesiæ fulgidissimum lumen* Clemens XI. Quæ in laudem Augustini vulgata sunt erroneis, pravisque dogmatibus emergentibus, eoque tempore, quo proscriptis hæresibus Lutheri, Calvini, Quenelli, Jansenii, plures Scientiæ mediæ assertores arrepta occasione coactam crambem recoxerunt, Augustinianum dogma, novum, libertati fatale, & excessu prolatum vaferrime traducentes. Quorum clamoribus aliquos timidiores defecerat animus, præsertim ubi Augustinianis sententiis fraudulenter intextas damnari viderunt Novatorum hominum propositiones: qui & Scripturis Divinis, & maximorum virorum textibus munire satagunt falsitatem; quemadmodum versipelles auctores mendacii Sacramentis, ut sibi captivent humanam fidem, sæpenumero mentiuntur. At recreavit nos humanissimis Epistolis datis ad FF. Prædicatores Papa Beatissimus Benedictus

dictus XIII. quibus ita Augustini ac Thomæ discipulos alloquitur: *Magno animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædeterminatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & quas ab ipsis SS. Doctoribus, Augustino & Thoma, se hausisse, & verbo Dei, summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur.* Ex quibus quanti fecerint Romani Antistites Augustiniana circa prædestinationem dogmata satis arbitror comprobatum.

Neque minorem Augustino, Sacrosancta Concilia detulerunt honorem. Synodus enim Arausicana celebrata v. Kal. Julias anno Christi 529. xxv. S. P. Augustini propositiones de Gratia versas in Canones consecravit, approbante Felice IV. Pontifice Maximo. Concilium v. Oecumenicum, *Sequimur*, inquit, *per omnia Sanctum Augustinum: & suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuit.* Eumdem Augustinum vocat Toletana x. Synodus *partem contra hæreticos munitiorem*: cæteris illum præfert sess. VII. Florentina hoc celeberrimo elogio: *Nunc Sanctorum Doctorum auctoritates in medium proferamus: ac in primis Augustini illustrissimi Latinorum Doctoris, quem Quinta Synodus consecravit.* Canones de justificatione, de gratia, & de peccato originali editos à Tridentina iisdem ferme Augustini verbis majori ex parte constructos demonstrat in Opere de Mente hujus Concilii circa Gratiam Antoninus Reginaldus. Veracissimam ac fidelissimam appellat Augustini doctrinam in lib. de Tribus Epist. cap. 35. Lugdunensis Ecclesia: eamdem compendio exscripserunt in Epistola Synodica Africani Patres in Sardiniæ insulam relegati.

Quid sentiant de Augustini libris Ecclesiæ Patres, neminem arbitror ignorare. Fulgentius lib. 1. ad Monymum cap. xxx. scribit ex libris Augustini, & Responsionibus Prosperi posse cunctos cognoscere, *quid debeant de prædestinatione Sanctorum, impiorumque sentire.* Rhemigius in lib. de tenenda veritate S. Script. affirmat Augustinianis de Gratia & libero arbitrio plenissimis clarissimisque definitionibus *quod Fidei Catholicæ necessarium est, contineri, &, si quid inde subtrahatur, violari veritatis integritatem.* Hieronymus Epist. 25. inter Augustinianas sic S. Patrem adloquitur: *Catholici te Conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt.* Quæ de Gratia Christi, pro qua tanto animi ardore pugnavit, à Hieronymo dici, neminem latet. Paulini, Prosperi, Alipii, Thomæ Archiepiscopi Valentini; aliorumque Augustino sive amicitia, sive ratione instituti conjunctorum laudes præclarissimas non opus est recensere. Gravissimam Arnobii Junioris sententiam prætermitto, ut eam, aliorumque Patrum auream pro Augustino catenam legas majori cum voluptate in Vindiciis Norisii.

Quali vero reverentia Augustinum suspiciant Theologi, infinitus ero, si velim commemorare. Aliquos tantum numerabo ex venerabilissimo Ordine, quem professi sunt Adamus, Martinonus, Annatus, Bonartus, & quidam alii in carpendo Augustino liberiores, ex amplissima nempe Societate Jesu, qua neque majori æquitate ornatum judicem possum eligere, neque sapientia ac doctrina magis conspicuum. Dixi cap. XI. quarti libri Patrem Meyer, qui sub nomine Eleuterii vulgavit Historiam de Auxiliis adversus eam, quam scripsit Hyacinthus Serry, ingenue fateri lib. v. cap. 1. Clementem VIII. in Prolusione disputationum præcepisse, ut ad normam doctrinæ Augustini, tanquam ad heraclium lapidem exorta circa Prædestinationem & Gratiam dissidia componerentur. Quare videant, qui sinistre judicant de Augustino, an maximis controversiis dirimendis regula soleat aptari non recta. Bellarminus de narratis supra decretis Synodi Arausicanæ lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. 11. scribit: *Porro in illis Capitulis* (ex libris S. Augustini verbatim excerptis) *continentur omnia fundamenta sententiæ de Prædestinatione gratuita, ut non possit ullus prædestinationem negare, nisi velit illis Capitulis contraire.* Suaresius, quo neminem temperatum magis ac modestum memini me legisse, Prolog. VI. de Grat. cap. VI. in quæstionibus de Prædestinatione ait: *auctoritatem Augustini maximam esse, & semper cæteris præferendam.* Et Vasquesius ipse ingenio ad criticem proniori: *Quamvis* (inquit 1. 2. disp. 190. cap. 6.) *nullus esset ex PP. commemoratis, quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona Moralia Scholastici Doctores allegare possent, in uno solo Augustino, ejusque schola suæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitraventur, quod unicus sit, qui, dum*

agitur

agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulget. Claudius quoque Aquaviva Præpositus Generalis ann. 1584. consilio & opera clarissimorum Societatis virorum selegit sententias, quas tenerent ubique inclyti Sodalitii Præceptores: atque in opinionum delectu pag. 37. ista protulit: *Item definitum est prædestinationis nec rationem, nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis. At hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum Schola jam recipit, sed & Ecclesiæ Patres per mille, & ducentos circiter annos, &c.*

Unum est, quod inter Scripta summorum Virorum dolui aliquando vehementer, ornatissimum nempe Dionysium Petavium, quo nemo accuratius Augustinianam propugnavit sententiam, & à falsis interpretamentis Vasquesii, Lessii, aliorumque Sociorum studuit vindicare, mutata inopinato facie lib. x. Theolog. dogmatum cap. 1. maluisse eam retractare, quàm pressis laudabiliter vestigiis insistere; ita ut initio hujus capitis scripserit: *Jam pridem in utramque partem disputari cæpit in Scholis ista quæstio, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini.* At re maturius inspecta animadverti nulli hominum Augustini discipulos magis debere, quàm ipsi Petavio. Primo quia ubi viri aliqui docti Societatis conati sunt in sententiam oppositam, ut sutores faciunt corium, Augustinianas trahere auctoritates, Petavius demonstravit interpretes esse non bonos. Deinde quia ubi plures illas falsitatis, antilogiæ, & affinitatis Calvinianæ damnaverunt; ostendit vir eximius esse à damnatis erroribus alieniissimam, atque à multis summa cum doctrinæ ac pietatis commendatione defendi. Hæc à me eisdem Petavianis verbis sunt dicta, ut dum is laudat pro Sententia Molinæ Augustinum, dum ille S. Patrem erroris insimulat, duo hi Jesuitarum arietes domestico propugnaculo reprimantur.

Vereor insuper, ne Petavius aliquid humani passus in gratiam Societatis contra propriam mentem librum illum decimum cogitaverit superstruere. Quod & ex ejus Epistolis probat Auctor Historiæ Congregat. de Aux. pag. 104. & ex doctrina alibi ab ipso Petavio tradita potest inferri. Etenim lib. VII. cap. XI. num. v. exponens Evangelicæ parabolæ clausulam, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, scribit, *regni cælestis & æternæ salutis adipiscendæ modum ac rationem non ex humanis æstimari judiciis, neque ex eo, quod in usu hominum & consuetudine versatur, sed sola Dei gratuita voluntate, ac pro ejus arbitrio totum illud administrari*: & infra, *totum salutis regnique cælestis negotium ex Dei arbitrio & voluntate pendere: quod ab Apostolo traditum sæpè adversus Pelagianos, & eorum reliquias inculcat Augustinus; &c.* Ex quibus apparet quænam sit Petavii sententia ubi ex libertate loquitur, non ex domesticorum impulsu. Nam si aliter est, & proprio loquitur sensu; necessaria consecutione possum inferre, Petavium, ipsomet judice, deteriori causæ patrocinari. Enim vero lib. IX. cap. VI. n. I. præmonet: *Cum de Gratia vel prædestinatione disputandum est, minorem haberi antiquorum Patrum rationem, qui extiterunt ante exortam hæresim Pelagianam, quàm eorum, qui postea sunt secuti. Latinorum vero multo majorem, quàm Græcorum etiam hæresi illa posteriorum, quoniam magis aliquando Latinam Ecclesiam, quàm Orientalem exercuit hæresis Pelagiana; & Græci plerique intima Pelagianorum dogmata, vel ignoravint funditus, vel minus accurate perspexerint. Ac latinorum omnium, quorum in hac controversia major est auctoritas, principem esse consensu Theologorum Augustinum.* Hæc & longe majora de Augustini sententia promit Petavius ille eloquentissimus. Quid ergo? Dum altero libro sententiam Augustini retractat, atque textus Apostoli cum nonnullis Græcorum in oppositum sensum detorquet; nonne illos sequitur, qui minorem habent in his controversiis, ipso Petavio judice, auctoritatem? Aut ergo Petavius Societati suæ contra compertam sibi veritatem morem gessit; aut contra majorem auctoritatem superba fronte pugnavit. Ipsius autem momenta quanti pendeant dicam infra: nam hactenus ex Romanis Pontificibus, ex Conciliis, ex Patribus, ex Theologorum consensu, quæ sit in hac materia auctoritas Augustini probandum erat.

Pugnat adversus dicta, quod alii quoque Patres summorum Pontificum Constitutionibus laudantur; ex quo sequitur nullam esse Augustino præ cæteris auctoritatem, Rursus quod idem Augustinus Epist. IX. ad Hieronymum scribit solis Scripturarum libris Canonicis auctoritatem certissimam esse deferendam. Tertio quod non possumus aliquam propositionem infallibilem existimare, propterea quod à solo tradita sit

Augu-

Augustino, ut definitum est ab Ecclesia. Tandem quod Augustinus in plurimos gravissimosque errores lapsus fuerit.

Sed hæ nubeculæ nequeunt splendidissimi Solis lucem obumbrare. Detur siquidem, nullum esse in cæteris libris Augustinum inter aliosque Patres discrimen: detur, non fuisse indutum virtute ex alto, ut abundantius omnibus laboraverit, quemadmodum testatur Fulgentius; attamen dum agitur de Prædestinatione & de Gratia Augustino nefas est refragari, si in ejus libris continetur quod asseverat Ecclesia, ut affirmant Pontifices; si antiquam fidem rursus condidit, ut narrant Patres; si ejus Sententiæ Canones evaserunt, ut colligitur ex Conciliis; si unicus sufficit, ubi disputatur de Gratia, ut fatentur Theologi. Habent etiam alii Patres in his, quæ data opera contra hæreses elaborarunt, suum cum Augustino honorem, si æquali ab Ecclesia exaltati fuerint præconio. Rectissime vero S. P. scribit Hieronymo, privatis Scriptoribus non esse deferendam infallibilem auctoritatem: at, quando quæ à privatis Doctoribus exarata sunt, Ecclesia commendat, summa excipienda sunt reverentia. Neque credimus Augustino, quia scripsit hæc Augustinus; sed quoniam recte Augustinum scripsisse, superiori accipimus testimonio. Defendum esse Augustinianum dogma non respiciendo ad aliquam Pontificum Bullam, non audent proferre nisi hæreticus ac seminator zizaniorum: qui ut eludant Ecclesiæ decreta, ululant: *Dixit Augustinus*, quando Augustinus non loquitur. Neque ullus mortalium, neque portæ inferi adversus Petram, supra quam fundata est Domus Domini, poterunt prævalere. Ego quidem, si Ecclesia Augustini scripta damnaret, omnium primus in ardentem rogum Magistri libros projicerem: sed celebratos universalis Ecclesiæ plausu, Catholico exponam sensu, & filiali officio tutabor. Augustinianas antilogias, excessus, absurda fingunt homines aut invidi, aut improbi. Ubicunque se dederit occasio, & ego infirmissimus pro gloria tanti Patris certabo. Sed desistam proloqui, ne oratio mea limites excedat præfatiunculæ.

CAPUT I.

Dari aliquam prædestinationem electorum, eamque multiplicem: de qua agendum sit, & qua methodo: quomodo definiatur, & proprie sit explicanda?

SUMMARIUM.

1. Datur aliqua Electorum ad gloriam prædestinatio.
2. 3. Solvitur duplex objectio.
4. 5. 6. Multiplex est prædestinatio, variisque vocabulis designatur.
7. Definitio Prædestinationis ad gloriam.
8. 9. Prædestinatio pertinet ad mentem Dei simul, ac voluntatem.
10. 11. 12. Satisfit objectionibus.

De Prædestinationis nomine, existentia, partitione & natura.

COMPLECTOR unico capite plures parvi momenti quæstiones, necessarias tamen tironibus, de Prædestinationis existentia, nomine, partitione ac natura.

1. Propositio 1.

PROPOSITIO I. Datur aliqua Electorum ad gloriam prædestinatio.

Probatur.

Probatur 1. ex Epist. Pauli ad Rom. cap. VIII. ubi hæc habentur: *Quos prædestinavit, hos & vocavit.* Deinde suadetur ratione: nam prædestinare est rationalem creaturam ad æternam vitam præeligere: Atqui Deus plures ad æternam vitam prælegit; de fide enim est multos reapse à Deo in beatissimam requiem assumi: Ergo, &c.

2. Oppositio 1.

Opp. 1. Si aliqui essent prædestinati, tollerentur orationum, jejuniorum, aliorumque bonorum operum merita, & sancta flacceseeret salutis æternæ sollicitudo, quum prædestinatio in nostra non sit potestate.

Solutio.

Resp. argumentum istud diluendum infra, ubi de Prædestinatione gratuita disputabitur. Modo dist. ant. Prædestinatio non est in nostra potestate quantum ad causam, conc. quantum ad terminum, atque sempiternæ vitæ consecutionem, nego. Si dicas Damascenum lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 30. asserere: *Prædestinationem esse earum rerum, quas Deus absolute vult, præscientiam vero illarum, quæ in nostra positæ sunt potestate;* Dico Damascenum velle, quod Deus prænoscat, non prædestinet ea ad quæ potestas nostra sola sufficit, ut opera naturalia & peccata: quæ vero etiam à Deo prædeterminante operantur, & præsciri & prædestinari; quamquam non omnia mediis

necessariis perficienda definiuntur, sed juxta causarum secundarum statutam ab ipso Deo conditionem; ut constat ex lib. IV.

3. Oppositio 2. Opp. 2. Si Deus aliquos prædestinaret, forent omnes Electi; ideo enim prædestinantur aliqui, ut ostendatur in his Divina bonitas ac liberalitas. At hæc magis manifestaretur, si prædestinatio extenderetur ad omnes.

Solutio. Resp. & Dei misericordiam magis, magisque apparere in comparatione miseriæ, in quam sponte ruunt præcipites plurimi: atque ad Divinam pertinere providentiam, ut manifestetur simul justitia in reprobis, & misericordia in Electis, eo vel maxime, quod nec impios ista deserit: ut dictum est libro præcedenti cap. 2.

4. Propositio 2. PROPOSITIO II. Multiplex est prædestinatio, variisque vocabulis designatur.

Probatur. Alia enim est ad bonum, alia ad malum, pœnæ scilicet, sed non culpæ: Ita Conc. Valentinum can. 3. *Fidenter confitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Idem affirmat S. P. Aug. in Enchirid. ad Laurent. cap. 100. Atque Fulgentius ad Monimum: *Non ergo*, inquit, *prædestinati sunt mali ad hoc, quod male operantur à concupiscentia sua abstracti, & illecti: sed ad hoc, quod juste patiuntur inviti.* Deinde prædestinatio ad bonum (jam enim usus invaluit, ut communiter in bonam partem Prædestinationis trahatur vocabulum) alia est ad *finem*, alia est ad *media*. Illa est Divinum propositum conferendi rationalibus creaturis æternam gloriam; ista vero propositum largiendi gratiam, ac præsertim finalem perseverantiam. Porro prædestinatio ad gratiam vel est ad gratiam sufficientem ac versatilem, vel ad gratiam efficacem: De prima ait S. P. lib. de Prædest. SS. cap. 6. *Electio quippe ista gratiæ, non utique meritorum.* De secunda inquit eodem lib. cap. x. *Prædestinatione Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Quas omnes divisiones constat diversa tantum connotata spectare.

5. Quomodo vocentur prædestinati ad gloriam. Prædestinati ad gloriam, de quibus agendum specialiter, vocantur *Præfiniti* ac *Prædeterminati*, quod est prorsus idem. Appellantur quoque *Dilecti*, & *Electi*: unde Apostolus 2. ad Timotheum: *Omnia*, inquit *sustineo propter electos.* Vocantur item *Cogniti & Præcogniti*: sic in altera ad Timoth. Epist. ait Apostolus: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et Petrus Epist. 1. *Præcogniti ante mundi constitutionem.* Ulterius dicuntur *Probati, præordinati in vitam æternam, & vocati secundum propositum:* idque apud eumdem Paulum non semel. Etiam vocantur ab ipsomet Apostolo *vasa misericordiæ*, necnon *vasa in honorem.* Joannes cap. x. appellat *oves*: & cap. XI. *Filios Dei:* Matthæus denique cap. XXV. *Benedictos à Patre.*

Similiter Prædestinatio appellatur *Dilectio, Electio, Propositum, Discretio, ac Præparatio.* Quæ nomina, licet sæpissime pro eadem significatione usurpentur, secundum tamen rationem nostram ordinem quemdam important. Cum enim Prædestinatio sit ordinatio creaturæ rationalis in finem, videtur supponere Divinam scientiam: quoniam velle alicui finem ultimum est actus dilectionis; dilectio vero cognitionem præsupponit. Nullam hæc omnia præseferunt difficultatem. 6. Quomodo vocetur Prædestinatio.

PROPOSITIO III. Prædestinatio ad gloriam definiri potest. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimo liberantur quicunque liberantur.* 7. Propositio 3.

Traditur hæc definitio à S. P. Augustino lib. de Dono Persev. cap. XIV. Non conveniunt Theologi in hujus definitionis explicatione. Fautores Scientiæ *mediæ* putant loqui Augustinum de Præscientia conditionata. Nos de Scientia absoluta, quæ ab efficaci pendet decreto, si loquamur de Prædestinatione hominum lapsorum; quam certum est S. Patrem potissimum definire. Supponit enim liberatio miseriam, miseria culpam. Et cum hominibus lapsis præparetur à Dei beneplacito donum finalis perseverantiæ, rectissime ait S. P. prædestinationem esse præparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Quapropter Augustinus de prædestinatione hominum post originale peccatum ratione quadam speciali locutus est. Si de statu innocentiæ sermo sit, erit prædestinatio præscientia quædam conditionata: sed non præparatio finalis perseverantiæ, quam Deus angelis & primo homini in viribus reliquit arbitrii. Manifesta sunt hæc ex cap. VIII. & XI. lib. IV. Ergo Prædestinationem, prout utrumque statum complectitur, possumus cum D. Thoma 1. P. q. XXIII. art. 1. definire: *Est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Probatur.

PROPOSITIO IV. Prædestinatio pertinet ad mentem Dei simul, ac voluntatem. 8. Propositio 4.

Media hac via inter Scholasticos incedo: & assero quod si prædestinatio acci-

accipiatur pro sola ordinatione & directione creaturæ rationalis in finem æternæ vitæ, ut nuper diximus cum S. Thoma, prædestinatio est actus intellectus connotans actum voluntatis, ut docent Thomistæ: si vero accipiatur pro divino proposito & decreto conferendi gratiam & gloriam, quo sensu ait S. P. Augustinus de Prædest. SS. cap. x. *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro:* arbitror cum D. Bonaventura, Scoto, & doctissimo Ariminense Prædestinationem esse actum voluntatis supponens actum intellectionis.

9. Probatur. Atque sic probatur pars 1. Ordinare unum ad aliud est opus intelligentiæ, *sola enim ratio dirigit*, inquit 2. Metaphys. Arist. Ergo si accipiatur prædestinatio prout dicit directionem & ordinationem creaturæ rationalis, ad munus spectat intelligentiæ. Hujusmodi autem ordinationem connotare actum aliquem voluntatis constat: nam eapropter Deus aliquos dirigitin vitam æternam, quia illos amat, cum amare nihil sit aliud, quam velle alteri bonum. Igitur prædestinatio præsupponit, & connotat actum voluntatis, amoris, ac beneplaciti, ut dicebamus modò. Secunda propositionis pars certissima mihi videtur; primo quia propositum, decretum, dilectio pertinent ad voluntatem: deinde quia S. P. lib. de Dono persev. cap. 22. apertissimè ad voluntatem Dei prædestinationem refert: & denique quia etiam Hilarius ac Prosper in Epist. ad Augustinum illam appellant *Divinæ voluntatis propositum.* Connotare autem actum intelligentiæ certissimum quoque est: nam voluntas supponit intellectum sibi proponentem quod beneplacito suo eligat, & prosequatur.

10. Objectio 1. cum solutione. Opp. 1. Prædestinatio definitur ab Augustino: *Præscientia & præparatio mediorum, &c.* Præscientia est actus intellectus: Est ergo actus intellectus prædestinatio. Resp. nego consequentiam; si enim præscientia pertinet ad intellectum, præparatio ac propositum spectat ad voluntatem: quare Augustinus exigit ad prædestinationem actum utriusque potentiæ, intellectus dirigentis, & voluntatis determinantis. Præterquam quod est opinio inter Philosophos valde probabilis, etiam judicium directivum ac practicum non mentis esse, sed voluntatis operationem.

11. Objectio 2. cum solutione. Opp. 2. Dirigere est actus liber & efficax: Libertas & efficacia spectat duntaxat ad voluntatem: Ergo. Resp. directionem spectare ad voluntatem, prout importat propositum, ac decretum; atque ad intellectum, si accipiatur pro sola præscientia ac directione, ut dictum supra.

12. Objectio ultima cum solutione. Opp. ultimo: Prædestinatio est pars providentiæ: Providentia per Boetium Prosc. 6. libri IV. ad solum pertinet intellectum: Ergo &c. Resp. nego minorem. Providentia enim attinet ad intellectum simul & voluntatem, quoniam intellectus non ordinat unum ad aliud, nisi voluntas velit unum propter aliud. Boetius ait: *Providentiam esse ipsam Divinam rationem, quæ multa disponit.* Atque id quidem recte; nam solæ causæ ratione utentes finem sibi ipsis aut subjectis causis proponunt, & provident media: cætera in finem propositum ab auctore naturæ contendunt.

CAPUT II.

Refutatur Ambrosii Catharini palmaris error.

SUMMARIUM.

1. Error Catharini.
2. In vocabulo *prædestinationis* præpositio *præ* non dignitatis, sed temporis denotat præeminentiam.
3. Solvitur objectio.
4. 5. 6. Soli prædestinati salutem consequuntur æternam
7. 8. 9. Respondetur objectionibus.

1. Error Catharini. CATHARINUS non omnes, qui sempiternam adipiscuntur beatitudinem, voluit in numero prædestinatorum comprehendi: sed duplicem illorum, qui salvantur, proprio marte constituens ordinem, in una parte locavit eximiæ sanctitatis electos, ut Deiparam virginem, Apostolos, cæterosque virtutibus ac miraculorum gloria conspicuos; in altera homines minoris meriti ac perfectionis, qui tamen redduntur regni cœlorum participes. Sanctos prioris generis prædestinatos esse concedit, & uberiori gratiarum copia donari, ita ut infallibiliter paratam sibi gloriam obtineant. At homines postremi generis, ordinaria scilicet virtute exornatos negat prædestinari, aut efficaci

ficaci aliquo adjutorio subtrahi à perditione; sed communibus auxiliis suffultos docet & ipsos ad beatitudinem pervenire. Pervertens quoque nominum significationes, noluit prædestinationem interpretari, quasi sit electio omnium salvandorum ante mundi constitutionem; sed particulam *Præ* in hoc nomine solummodo arbitratus est importare majorem cumulum meritorum, atque prioritatem dignitatis, non temporis. Quam Ambrosii Catharini sententiam *novum commentum* appellat Estius, & Dominicus Bannez ejusdem instituti 1. p. q. 23. art. 7. *hæresim manifestam.* Et quidem videtur valde propinqua errori Pelagianorum, qui apud Auctorem Hypognostici lib. 6. prædestinationem in solis Apostolis asserebant: quamquam initium salutis esse ex nobis, quod proprie est hæresis Pelagiana, nunquam revera tradidit Catharinus; ut facile possit contra fratris sui accusationem defendi. Erravit tamen omnium judicio solemniter, ut mox demonstrabo.

2. Propositio 1. Propositio I. In vocabulo *Prædestinationis* propositio *Præ* non dignitatis, sed temporis denotat præeminentiam.

Probatur Demonstratur; nam 1. ad Corinth. cap. 11. habetur: *Prædestinavit Deus ante sæcula.* Et ad Ephes. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Item Math. xxv. *Possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*: idest, ut exponit S. P. Tract. 105. in Joannem: *Ante mundum, & ante omnia tempora.* Probatur etiam ratione: Prædestinatio est propositum Divinæ voluntatis: Atqui propositum Divinæ voluntatis æternum est, cum sit actio Divina: Ergo &c.

3. Objectio. Opp. Catharinus: Ait Apost. ad Rom. VIII. *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit: quos autem justificavit illos & glorificavit.* Sed vocatio, justificatio, glorificatio, licet sint actus Divini, sunt tamen in tempore: Igitur & prædestinatio. Resp. Disparem esse rationem inter prædestinationem, vocationem & justificationem: nam prædeterminatio, præscientia, decretum, & cætera istiusmodi, sunt actiones immanentes, & dicuntur relative ad intelligentiam ac voluntatem Divinam: at vocatio, justificatio, & glorificatio sunt actiones transeuntes, & dicuntur connotative ad effectum productum in tempore.

4. Propositio 2. Propositio II. Soli prædestinati salutem consequuntur æternam.

Probatur ex scriptura. Communem hanc assertionem tradunt Scripturæ, confirmant Patres, suadet ratio. Matth. XXII. dicitur, quod illi, qui non sunt ex numero Electorum, mittentur *in tenebras exteriores.* Item ex cap. XXIV. manifestum est inter electos ac reprobos non dari medios. Rursus cap. XXV. Electis cœleste regnum promittitur *paratum à mundi constitutione.* Salvantur ergo electi tantummodo.

5. Probatur ex S. Augustino. Idem docet S. P. Augustinus, qui lib. IV. contra Julianum cap. 4. affirmat ex duobus parvulis ante mortem unum baptizari, alterum non baptizari, eoquod unus sit prædestinatus, non alter: atque Juliano objicienti locum Apostoli: *Bonitas Dei ad pœnitentiam adducit,* respondit: *Verum esse constat, sed quem prædestinavit adducit.* Libro quoque de Corrept. & Gr. cap. 1. *Neque hos moveat,* inquit, *quod filiis suis quibusdam Deus non det perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui vere Filii sunt promissionis.* Igitur Augustinus docet neminem esse perseveraturum, salvandum neminem, qui non sit de numero prædestinatorum. Neque aliud tradit lib. de Fide ad Petrum cap. 35. beatus Fulgentius, imo & Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 6. cap. XII.

6. Probatur ratione. Denique probatur ratione: Salvandi, qui non sunt prædestinati, aut pervenient ad gloriam sola naturali virtute liberi arbitrii, aut adjutorio supernaturalis gratiæ: Si primum dicatur à Catharino, manifeste profitebitur, ut constat, hæresim Pelagianorum: si secundum, jam prædestinationem aliquam fatetur; non enim conferuntur media, nisi ratione finis, neque gratia nisi ratione gloriæ. Non dico autem omnia gratiarum dona, quæcunque ea sint, conferri ex decreto efficaci dandi gloriam: minime: sed, quod sat est ad impugnandum Catharini assertum, dico quod prædestinatio importat seriem auxiliorum, quibus prædestinati æternam salutem consequuntur, sive sint efficacia, sive sufficientia duntaxat. Ergo si omnes adipiscuntur salutem per gratiam, jam salus erit prædefinita, tanquam per gratiam comparanda: At quænam gratia ex Dei prædestinatione conferatur, quemadmodum an prædestinatio gratuita sit, an ex præscientia meritorum, non est hujus loci definire.

7. Objectio Opp. 1. Matth. xx. habetur: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi,* id est, postremum tenebunt locum, qui primum electi sunt: Ergo datur duplex salvandorum ordo, unus eorum, qui vocati

vocati sunt & non electi, alter eorum qui simul electi sunt, & vocati.

Solutio 1. Resp. 1. cum Estio primos & novissimos dici & respectu hominum, & respectu Dei, ita ut Evangelicæ sententiæ sensus sit: *Multi qui judicio hominum videntur primi; erunt Deo novissimi: & multi econtra qui judicio hominum novissimi videntur, primi erunt judicio Dei.* Homines enim cæteris præferunt divites, nobiles, sæculari gloria præclaros: at Deus humiles spiritu, pauperes, & qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Solutio 2. Resp. 2. in regno cœlorum, quo nomine hujus temporis Ecclesia dicitur, primos esse novissimos, & novissimos primos, quoniam Judæi, qui primi ad Ecclesiam vocati sunt, nondum ad Christi fidem accesserunt, ad quam venerunt Gentiles, *novissimi*, & post illos Apostolica prædicatione invitati.

8. Objectio 2. Opp. 2. Multi sunt prædestinati *à constitutione mundi*, ut legitur cap. xxv. Matth. Ergo non omnes qui salvantur ab æterno prædestinati fuerunt.

Solutio. Resp. Idem esse *à constitutione mundi*, &, *ante mundi constitutionem*, quia Deus nihil disponit in tempore, quod non prædefinierit ab æterno; quare dicitur quidem in Evangelio Cœlorum regnum paratum *à mundi constitutione*; sed ad Ephes. 1. *ante mundi constitutionem* & in 1. ad Timoth. *ante tempora sæcularia.*

9. Objectio 3. Opp. 3. Vocati in vineam hora undecima non erant electi, & tamen receperunt mercedem: Consequuntur ergo salutem aliqui, qui non erant prædestinati.

Solutio. Resp. Ut ad 1. in Evangelica parabola novissimos dici Gentiles, qui ad Christum conversi receperunt eandem mercedem cum Judæis, qui legis Mosaicæ servaverant instituta. Quamquam in parabolis scopus attendi debet, neque necesse est omnia omnibus respondere. Sed vide, quæ de hujusmodi parabola diximus IX. capite lib. III. Adverte tamen, non in eo erasse Catharinum, quod aliquos eximie sanctos, & efficacissima vocatione electos esse affirmaverit; nam idem de Paulo scribit S. Pater lib. de Grat. & lib. arb. cap. V. sed ideo erravit, quia erga salvandos inferioris ordinis nullam agnovit electionem, nullum propositum, nullam specialem Dei providentiam.

CAPUT III.

Deum neminem eligere sive ad gratiam, sive ad gloriam ex præscientia operum naturalium, neque propter opera præcedentia moralium virtutum.

SUMMARIUM.

1. Variorum errores circa præsentem materiam.
2. Erronea est animarum præexistentia, quam finxit origenes, & fictum est meritum prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora.
3. Non prædestinantur Electi ex præviſis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii
4. Neque prædestinantur Electi ob præscientiam fidei, aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis.
5. Libera acceptatio, & bonus usus arbitrii præviſus antecedenter ad gratiam non sunt causa prædestinationis.
6. 7. 8. 9. 10. Opera moralium virtutum à Deo præviſa nullo pacto prædestinationis nostræ causa sunt.
11. Et seqq. solvuntur objectiones.

1. Variorum errores circa præsentem materiam. ORIGENES hydra hæreseon omnium, ut scribit lib. 1. Hist. Pelagianæ Norisius, contendebat non una cum corpore animas procreatas, sed antequam carnalibus vinculis colligarentur, separatas omnino propriam sortem bonam, aut malam promeruisse. Ita ex naturalibus meritis comparatis ante unionem ad corpus, placuit Origeni quamcunque prælectionem repetere. Pelagius vero, qui ex Rufino Origenista exitiosissimum hausit venenum, aliquos prædestinari voluit ad gloriam, alios ad supplicia, quia illos Deus prævidit pie sancteque victuros viribus arbitrii nullo indigentis gratiæ Salvatoris beneficio; hos econtra usque in finem novit in scelera prolapsuros. Is nimirum non utique præexistentiam animarum, sed præscientiam tamen naturalium meritorum cum Origene adstruit. Temperarunt errorem aliquantisper Semipelagiani, asserentes bona opera compleri per gratiam Christi, sed præcedere ex nobis initium fidei, & primum sanctæ cogitationis exordium: vel saltem, si etiam prima fides muneri divino inspiratur, pendere ex arbitrio solo illius

acceptationem & usum; atque ita divinæ electionis esse causam meritum naturale fidei initialis, aut cœlestium donorum acceptationis. Hæc omnia plenis Theologorum suffragiis reprobantur. Est tamen quorumdam opinio, qui tenent prædestinationem ad primam gratiam pendere nonnunquam à prævisione operum virtutum moralium; non quod hæc opera *de condigno*, & ex rigoroso debito Deum ad elargiendum gratiam obstringant; sed quoniam *de congruo*: & condecentia quadam Dei liberalitatem alliciunt ac trahunt. Sunt vero morales virtutes illæ, quæ naturaliter absque gratiæ auxilio exercentur: easque certum est de se peccata non esse, hominemque reddere pravis cupiditatibus minus addictum. At inesse illis aliquam rationem meriti titulo quoque decentiæ, negant Augustiniani Theologi. Sed ad ludum literarium jacienda jam alea.

2. Propositio 1. PROPOSITIO I. Erronea est animarum præexistentia, quam finxit Origenes, & commentitium meritum Prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora.

Probatur. Non est operosum Origenianam hæresim confutare. Primo impugnatur ex Scripturis, nam constat ex Historia Geneseos universorum Conditorem antea formasse corpus Adam ex limo terræ, deinde inspirasse in faciem ejus *spiraculum vitæ*, & hominem factum tunc esse in animam viventem. Non ergo anima corpori præexistebat. Secundo rejicitur ex Apostolo; qui Epist. ad Rom. cap. v. ait. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Nullum ergo datur peccatum antequam anima informet corpus; alias mors & peccatum non per Adam intrasset in mundum, sed per meritum Animæ antecedenter prævaricatæ. Et cap. 9. de Jacob, & Esau: *Cum nondum*, inquit, *nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali.* Quæ verba nihil ad rem facerent, si animæ eorum priusquam in corporeum carcerem detruderentur aliquid fuissent promeritæ. In 11. etiam ad Corinth. cap. v. scribit Apostolus, *Homines judicandos secundum ea, quæ gesserunt in corpore.* Tertio damnata est Origeniana Sententia Capite 1. Quinti Generalis Concilii his verbis: *Si quis dicit, aut sentit præexistere hominum animas, utpote quæ antea mentes fuerint, & sanctæ virtutes, satietatemque cepisse divinæ contemplationis, & in deterius conversas esse, demissasque in corpora supplicii causa; anathema sit.* Denique apparet errorem Origenis principiis absurdissimis inniti, cujusmodi sunt fabulosa unitio omnium creaturarum rationabilium, angelorum, dæmonum & hominum, atque singularum productio absque numero, & ordine: de quibus lege Scholion primum ad Capitula contra Origenem clarissimi nostri Christiani Lupi.

PROPOSITIO II. Non prædestinantur Electi ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii. 3. Propositio 2.

Est definitio Fidei contra hæreticos Pelagianos. Et probatur 1. ex Apost. dicente ad Rom. cap. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia:* & infra. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 11. ex Augustino scribente ad Vitalem: *Scimus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundum merita nostra dari.* 111. ex ratione Theologica, siquidem opus naturale non potest supernaturalia beneficia promereri: Gratia & vita æterna beneficia supernaturalia sunt: Ergo opus naturale nullam gratiæ, aut vitæ æternæ meritum habet. Probatur.

PROPOSITIO III. Neque prædestinantur Electi ob præscientiam fidei aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis. 4. Propositio 3.

Ad fidem pariter hæc propositio pertinet, & contra Semipelagianos definita est à Synodo Arausicana Canon. 11. & à Tridentina de Justificat. Canone v. Prob. 1. ex Apostolo 2. ad Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* 11. ex Augustino hæc verba in lib. de Prædest. SS. cap. 2. sic exponente: *Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare, quam credere?* 111. ex ratione: Gratia enim est donum gratis collatum: Non ergo retribuitur fidei, aut cuivis operi solius liberi arbitrii facultate patrato. Probatur.

PROPOSITIO IV. Libera acceptatio, & bonus usus arbitrii prævisus antecedenter ad gratiam, non sunt causa prædestinationis. 5. Propositio 4.

Sequitur ex dictis; & probatur 1. quia sine gratia nemo opus aliquod bonum, quod revera sit meritorium salutis æternæ, potest efficere; Igitur neque motivum prædestinationis esse potest acceptatio gratiæ, & usus arbitrii prævisus antecedenter ad gratiam. 11. quoniam plurimi prædestinantur, qui neque gratiam acceptaturi sunt neque Probatur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

que recte eadem usuri, ut sunt infantes qui Sacro tincti baptismate ante rationis usum decedunt. Quos non prædestinari propter merita Parentum, neque propter bona opera, quæ si diutius viverent facturi essent, certum est in Augustiniana sententia, ut ostendam in sequentibus. III. Per Augustinum in lib. de Prædest. SS. de Dono Persev. de Corrept. & gratia, quod liberum arbitrium Deo vocanti consentiat, & bene utatur acceptis donis, est donum gratiæ descendens à Patre luminum. Igitur commentitia est præscientia acceptationis & recti usus arbitrii antecedenter ad gratiam. In his quatuor propositionibus Catholici omnes conveniunt.

6. Propositio 5. PROPOSITIO V. Opera moralium virtutum à Deo prævisa nullo pacto prædestinationis nostræ causa sunt.

Probatur. Loquimur etiam de merito condecentiæ, sive *de congruo*. Et probatur 1. Si opera moralium virtutum meritum aliquod haberent sive gratiæ, sive gloriæ, nostra sempiterna salus ab operibus naturalibus duceret initium: Atqui id falsum est: Ergo &c. Prob. minor: Initium nostræ salutis est fides supernaturalis; quæ est donum Dei: Nam Apostolus ad Ephes. cap. 2. ait. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Quæ Apostoli verba exponens Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. VIII. ait: *Perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit, ut per fidem justificari dicantur, quia fides est humanæ salutis initium.*

7. Confirmatur. Si dixeris Tridentinum explicandum esse de merito *de condigno*, non *de congruo*; dico id gratis omnino asseri, & contra Sacrosanctæ Synodi mentem. Nam eadem Sess. definitur, *Justificationis initium sumi à vocatione Dei, qua nullis eorum meritis præcedentibus vocantur*: Excluditur ergo qualecunque meritum etiam *de congruo*. Præterea Fides: quæ ab Apostolo, & à Concilio initium salutis appellatur, vitam æternam atque justificationem *de congruo* tantum promeretur, non *de condigno*: At libero arbitrio sine gratia virtutes morales exercenti, ut constat ex Augustiniana Epist. ad Xystum, non inest meritum, quale ex Divino adjutorio tribuitur Fidei: Igitur eidem libero arbitrio sine gratia operanti nullum meritum salutis æternæ concedendum est, etiam solius congruitatis atque decentiæ.

8. Demonstratur. Rursus demonstratur propositio; quippe si opera moralium virtutum nostram prædestinationem quomodolibet promerentur, gratia non esset gratia, quoniam daretur secundum merita nostra: quod damnatum est in multis Conciliis Diospolitano, Arausicano, aliisque omnibus post exortam hæresim Pelagianorum.

Probatur etiam auctoritate S. P. Augustini, qui lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. ait: *Non habeo quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam & salutem, nisi vel majus ingenium, vel minima peccata, vel utrumque. Addamus etiam, si placet, utiles honestasque doctrinas. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit ut confundat fortia, ut eum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam Piscatoribus Oratores.* Et libro 1. de Peccatorum meritis & remiss. *Unde fit*, inquit, *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, in eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit: alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis coopertus ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur?* Hæc Augustinus, qui manifestissimis exemplis demonstrat aliquando prædestinari quosdam moralibus virtutibus minus deditos, idque non à meritis naturalibus pendere, sed à Dei beneplacito. Contrariæ opinionis censuram, affert Ludovicus Habert de Prædestinat. Paragrapho v. & Juenin cap. VI. art. 1. Concl. 3.

9. Probatur 2. ex S. Augustino.

10. Oppositio aliquorum Theologorum refutatur. His occurrunt quidam Theologi reponentes officiis virtutum moralium gratiam rependi decentia quadam & congruitate, quæ non operibus naturalibus inest in se inspectis, sed vi conventionis, de qua complacuit Divino Patri cum Christo pacisci, se quidem *facienti quod in se est* gratiam & gloriam minime denegaturum. At suppositum est & ad libidinem fictum pactum istud Molinianum, nullius nixum Scripturæ Sacræ auctoritati, & exemplis eorum qui inter Ethnicos relinquuntur, productisque Augustinianis verbis oppositum; dissonum quoque rationi: non enim constituto pacto, quod retribuitur beneficium est, sed justitia. Quare sequentem proqositionem: *Quia opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona intrinsece & theologice supernaturalia, ideo dicimus obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, seu viribus gratiæ pure naturalis, sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum,*

operum, aut ex ullo merito sive condigno, sive congruo, quod insit illis operibus in ordine ad gratiam; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem: Istam, inquam, Propositionem in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani die 4. Septembris anno 1700. habitis in Regio Palatio Sangermano notatam hoc tetro commate invenimus: *Pactum istud, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum.*

11. Objectio 1. Opp. 1. Legitur in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei. Esurivi enim & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere:* Igitur eleemosyna, aliaque moralia opera sunt causa salutis. Prob. conseq. nam opera nuper in Evangelio commemorata non sunt à charitate Christi & à fide, alias ibidem justi non responderent: *Domine, quando vidimus te esurientem?* Ergo opera illa naturalia sunt, & viribus arbitrii patrata.

Solutio. Resp. nego consequentiam; nam opera meritoria æternæ salutis referri debent in Deum, & in ejus obsequium exerceri, quod absque fide & charitate nemo præstat: & ideo opera quæ non proficiscuntur à gratia veram rationem meriti nequeunt habere, sed abunde compensantur per temporalem aliquam mercedem, ut de naturalibus virtutibus Romanorum non semel asseruit Augustinus. Justi ergo in extremo judicio mercedem ac præmium referent eleemosynarum, quas ob Christi amorem elargiti fuerint minimis ac pauperibus. Ad probationem consequentiæ dico eapropter justos dicturos esse: *Domine, quando te vidimus esurientem?* quoniam ipsi non viderunt Christum in carne pauperem & mendiculum: unde correpti admiratione, quandonam, inquient, vidimus te regem gloriæ more pauperum cibum, potum, atque indumenta petentem? Quam admirationem ab eis supremus Judex removendo dicturus est: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

12. Objectio 2. Opp. 2. In Actibus Apostolorum cap. x. Cornelius promeruit eleemosynis suis, ut instrueretur in fide. Lucæ xix. Zachæus studio videndi Christum impetravit, ut ab eo videretur, & vocaretur. Lucæ xxiii. Latro socium increpans & Christi prædicans innocentiam ab eo meruit audire: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Solutio. Resp. Cornelium non sine aliqua fide eleemosynas erogasse, ut ait S. P. cap. vii. de Prædest. SS. ac probatur ex illo Pauli testimonio: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Promeruit ergo, ut instrueretur in fide, quoniam orabat, & eleemosynam largiebatur ex fide aliqua, tametsi nondum valida atque perfecta. Idem dicendum est de Zachæo & Latrone, in quibus ut ait Prosper cap. 13. & 14. adversus Collatorem: *Præcesserit aliqua præparatio ex supernaturali fide:* quæ facile potuit in ipsis esse, quoniam ambo erant Judæi. Fidem præsertim Latronis, qua credidit in hominem crucifixum, agentem animam, plenum opprobriis, derelictum à suis, nullo prædicante, blasphemantibus omnibus, quis non credat maximum opus gratiæ, ac præstantissimum passionis Christi beneficium? Lege Homiliam S. Joannis Chrysostomi in Sanctum Latronem. At nihil nos debent movere istiusmodi exempla, quibus abutebantur etiam Semipelagiani.

13. Objectio 3. Opp. 3. In multis Scripturæ locis asseritur Deum invenire bonos, ac propterea illis gratiæ beneficia rependere; ut Genes. 18. Job. 13. & alibi. Præterea Zachariæ cap. 1. *Convertimi ad me*, ait Dominus, *& ego, convertar ad vos:* & Prov. 16. *Hominis est præparare animam, &c.*

Solutio. Resp. *Deum invenire in bonis hominibus illud tantum, quod ipse facit;* Ita S. P. lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum: exhortationibus Scripturarum commendari liberum arbitrium, sed non excludi gratiam prævenientem, quemadmodum, ubi dictum est *Converte nos Domine, & convertemur*, &, *Præparatur voluntas à Domino*, commendatur gratiæ beneficium, non denegatur libertas; ita S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 5.

14. Objectio 4. Opp. 4. Augustinus de Dono Persev. cap. 14. scribit. *Habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem.*

Solutio. Resp. Ut diximus lib. iv. cap. xii. Augustini verba tantum probare, quosdam propter virtutum moralium exercitamenta habere minorem in se obdurationem, & facilius, si à Deo vocentur, moveri: non vero ex allatis verbis infertur naturalia opera habere aliquod gratiæ meritum. Constat ex verbis quæ subsequuntur: *Si Dei*, inquit ibidem Augustinus, *altiori judi-*

cio

cio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta Divina, vel facta per quæ possent credere, si audirent talia, vel viderent. In eadem perditionis massa derelicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus. Hæc S. P. Itaque si ab altiore judicio Dei descendit, ut aliquis credat & salvetur, & quisquis tali judicio discretus non est, nequaquam credit; profecto sola naturalia opera nullatenus supernaturalis fidei promerentur initia.

15. Objectio 5. Opp. 5. Chrysostomus Hom. 45. in Genes. docet *Abrahamum se prius dispositisse, quam à Deo tam magna gratiæ acciperet beneficia.*

Responsio. Resp. Propter grassantem hæresim Manichæorum, qui negabant liberum arbitrium, S. Joannem Chrysostomum passim eam dicendi adhibuisse rationem, præsertim in Homiliis ad populum, ut illum ad bona opera inflammaret. De Chrysostomi sententia dicendum alibi. Immerito Vasquesius tantum Ecclesiæ Patrem Semipelagianis adnumerat. Possumus omnia loca Chrysostomi, ubi negat Deum prævenire hominum voluntatem, commode exponere, quod eam non præveniat libertatem evertens, ut commenti sunt Manichæi. Aperte sese explicat Sanctus Doctor Hom. XII. in Epist. ad Hebræos, ubi ait: *In Dei potestate sunt omnia, sed non ita, ut nostrum liberum lædatur arbitrium*: & infra: *Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.*

16. Objectio 6. cum solutione. Opp. 6. In Martyrologio Romano die Junii ultima legitur, Basilidem Ethnicum militem recepisse mercedem, quod sanctam virginem Potamienam visitasset dum ad supplicium duceretur, ejusque pudicitiam tutatus esset. Resp. vel mercedem ibidem dici orationem à Virgine factam pro Basilide, vel in isto aliquam fidem præcessisse ex supernaturali Dei beneficio; qua deinde Martyr occubuit, ut scribit Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 5.

Objectio ultima cum solutione. Opp. ultimo Scholasticum proloquium, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Resp. sensum hujus axiomatis esse, quod, qui facit ex viribus primæ gratiæ quod potest, gratiam à Deo habet uberiorem ac pleniorem. Explicatum alio sensu *mutatis tantum vocibus Semipelagianismum instaurat*, inquit in laudata Censura Clerus Gallicanus. De hoc Scholasticorum proloquio plura dicam in disputationibus de Gratia Christi: ubi propositiones hujus capitis novorum argumentorum accessione erunt confirmandæ. Sunt enim nunc pro necessitate hujus libri leviter delibatæ, atque labiis, ut inquiunt, extremis.

CAPUT IV.

Prædestinationem ad gloriam priorem esse prædestinatione ad gratiam.

SUMMARIUM.

1. Prædestinatio ad gloriam præcedit prædestinationem ad gratiam. 2. 3. Solvuntur duæ objectiones.

De Prioritate Prædestinationis ad gloriam, & gratiam. DE PRÆDESTINATIONE ad gratiam inquirendum restat, num electionem illam antecedat vel subsequatur quæ est ad gloriam. Sunt autem in Divinis omnia simul, & sola ratione nostra unum præcedit alterum; ideoque de hac tantum *prioritate* præsens quæstio instituitur.

1. Propositio. PROPOSITIO. Prædestinatio ad gloriam præcedit prædestinationem ad gratiam.

Probatur 1. ex Scriptura. Breviter probatur 1. ex Scripturis; sic enim habetur Act. XIII. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam:* Ergo præordinatio ad vitam causa est, cur Deus largiatur donum fidei, & consequenter gratia subsequitur prædestinationem ad gloriam, ut causam effectus. II. ex Fulgentio, qui lib. 1. ad Monim. cap. 13. scribit: *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita sua bonitate prædestinavit ad regnum; quia enim tales prædestinando præparavit ut Regno digni essent, præparavit secundum propositum vocandos ut obediant; præparavit justificandos, ut accepta gratia recte credant, & bene vivant, &c.* Et S. P. Augustinus de Prædest. SS. cap. x. *Gratia*, inquit, *est prædestinationis effectus.* III. Probatur ratione: Finis est omnium causarum prima, quippe prior est finis in intentione, & ejus causa aguntur omnia, & media opportune parantur: Atqui gloria

ria est finis, & gratia est medium consequendi ipsam gloriam: Ergo in Dei mente ac prædestinatione gloria prior est, quàm gratia.

2. Objectio 1. Opp. 1. In re gratia præcedit gloriam: sed ordinem quem res habent in se, habent etiam in Divina prædestinatione: Ergo, &c.

Solutio. Resp. nego minorem, quoniam in executione media præcedunt finem, in intentione vero finis præcedit media. Constat id exemplis evidentissimis. Aegrotus prius intendit sanitatem, & hujus gratia eligit medicamenta; in executione vero medicamenta præcedunt sanitatem: & sanus prius decernit iter Romam versus habendum, & hujus causa parat equum aut rhedam; & tamen prius hanc conscendit, quàm perveniat ad Urbem.

3. Objectio 2. Opp. 2. Quamquam operans prius intendit mercedem quàm opus, qui tamen indicit operam, prius intendit opus, quàm mercedem; ita colonus primo vult denarium, deinde vineæ culturam; sed Dominus vocans operarios vult primum culturam vineæ, deinde solutionem denarii. Ergo Deus, qui nos quasi operarios conducit in vineam suam, primo intendit opera nostra ac merita, postremo mercedem & gloriam.

Solutio. Resp. conc. ant. nego conseq. ac paritatem. Homines præcipue in conducendis operariis spectant propriam utilitatem, ideoque prius volunt opus tanquam sibi utile; & quia hanc utilitatem habere nequeunt, nisi solvant operariis mercedem, ideo hanc mercedem intendunt secundo loco. Contra Deus, qui bonorum nostrorum non indiget, sed spectat gloriam suam, ac nostram utilitatem, primo vult nostram beatitudinem, in qua magnopere glorificatur; & quoniam beatitudo haberi non potest absque gratia, idcirco gratiam secundo loco intendit. Atque ita respondet Estius dist. XL. §. VIII. Sed respondere quoque possumus majorem esse falsam, quando aliquid intenditur tanquam beneficium indebitum, antequam proponatur ut merces: quod planius erit in sequentibus dilucidandum.

CAPUT V.

Ex Sacris literis ostenditur, Prædestinationem ad gloriam in hoc statu non esse ex præscientia meritorum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Præliminaria ad Resolutionem.
4. Usque ad 12. Ex sacris litteris demonstratur prædestinationem ad gloriam esse in statu naturæ lapsæ gratuitam: ubi etiam refutantur variæ adversariorum responsiones.
12. & seqq. Satisfit objectionibus.

1. Præliminare 1. QUÆSTIONEM aggredimur magna contentione inter Theologos agitatam. In qua jam non disputatur de meritis naturalibus, quæ comparate ad gratiam vel gloriam nulla sunt, sed de meritis Deo per gratiam auxiliante patratis. Hæc autem quæstio non versatur circa Prædestinationem quantum ad omnes ejus effectus; sic enim accepta comprehendit gratiam, quam non esse ex operibus docet Catholica Fides: sed disputatur de gloria cujus intuitu Divina beneficia, præsertim vero finalis perseverantia donantur. Neque dubium ullum est de meritis Christi, dicente Apostolo ad Ephesios 1. 5. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum;* sed de meritis personalibus ipsorum prædestinatorum. Inquiritur autem de hoc statu, in quo supponitur originale peccatum; nam de prædestinatione Angelorum nos quidem adversariis consentimus.

2. Præliminare 2. Sunt ergo duo inter se pugnantia Scholarum placita. Primum est eorum, qui tenent Deum æqualiter velle omnes salvos fieri, singulis conferre media ad salutem, & illos ad gloriam eligere, quos prævidet bene operaturos, & perseveraturos usque in finem. Alterum illorum, qui docent ex perditionis massa Deum pro suo beneplacito ante prævisionem futurorum operum alios prædestinare, alios relinquere: atque his, quos prædestinat, præter communia gratiarum dona, beneficia talia parare, quibus à perditione certissime liberentur. Tenent priorem Sententiam Henricus Gandavensis, Okamus, Gabriel, & cum aliis recentioribus Jesuitis Vasquesius, Lessius, Valentia. Stant pro opposita S. Thomas, Aegidius, Gregorius Ariminensis, Bellarminus, Suaresius, Simonet, Abulensis, Estius, Sylvius, & alii. At discipuli Scoti dissident inter se, quod eorum Antesignanus

tius 1. Sent. dist. 41. asserat utramque Sententiam esse probabilem; Mastrius tamen, quem fere omnes sequuntur, gratuitam prædestinationem defendit; tenet contrariam Sententiam Claudius Frassen. Quoniam Mediste complures Prædestinationem gratuitam nedum rejiciunt, sed etiam cum Joanne Adamo dicunt ab Augustino per excessum fuisse traditam, in eaque desiderari Catholicum aliquod temperamentum; non abs re erit meminisse decreti Claudii Aquavivæ, de quo diximus in Præfatione. Probatum illud fuisse votis Joannis Azorii, Gasparis Gonzalez, Jacobi Tyrii, Petri Busæi, Antonii Guisani, & Stephani Tucci, demonstrat Norisius in Vind. cap. III. §. VII. Addimus Eminentissimum Bellarminum, ad quem nuper accessit Edmundus Simonet, lib. 2. de Grat. cap. XI. in fine hæc proferre: *Hæc sententia non quorumvis doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debet.* Neque Bellarminus ipse adduci unquam potuit ut assentiretur Sententiæ P. Caroli Faraonis Præceptoris sui, ut scribit in vita Bellarmini cap. VI. Jacobus Fuligatus. Quid plura? P. de Rhodes Jesuita disp. v. de Deo quæst. 2. sect. 5. hæc de Sententia nostra pronuntiat. *Tenent illam* I. *Scripturarum interpretes nobilissimi Abulensis, Salmeron, Pererius, Toletus, Lyranus, & ad unum veteres omnes.* II. *Controversiarum Scriptores celeberrimi Bellarminus, Driedo, Ricardus, Castro, Estius, Horantius.* III. *Scholastici fere omnes. Scripturas habent pro se apertissimas, ac multos Patres, rationes denique omnino efficaces.* Addit Sententiam oppositam à plerisque fuisse exceptam, quoniam ignari citius illi acquiescunt, neque in ea statim se prodit divinorum judiciorum abyssus.

3. Præliminare 3. Distinguendus est autem duplex ordo, *intentionis* scilicet, & *executionis*, qui diversum connotant terminum; quatenus Deus videns universam perditionis massam aliquos misericorditer voluit eripere & ad gloriam transferre: noluit tamen hanc largiri nisi tanquam coronam justitiæ, & bonis arbitrii meritis, ideoque specialia gratiarum dona electis suis præparavit, ut hæc merita ponerentur, quibus gloria rependenda esset tanquam merces ac præmium. Itaque *intentionis* ordo dicitur relative ad massam perditionis, in qua comprehenduntur aliqui nulla meritorum prærogativa ab aliis secreti & sola misericordia prædestinati: & ordo *executionis* dicitur comparate ad opera meritoria, quibus Divina promissione supposita gloria non tam beneficium est, quàm retributio mercedis. Fatemur itaque omnes, gloriam coronam esse, denarium, bravium, justamque retributionem. Idque negant solummodo Calvinus, Gomarus, & hujus furfuris pauci, dicentes bona opera Deo pluribus titulis deberi, ideoque non esse meritoria felicitatis æternæ. Sed frivola sunt hæc; nam qualiacunque sint bona opera creaturarum, si non merentur gloriam secundum absolutam æqualitatem, merentur tamen Divina præsupposita ordinatione. His prænotatis de ordine Divinæ intentionis, è Scripturarum, Patrumque doctrina repetimus discussionem.

4. Propositio. PROPOSITIO: Ex Sacris literis demonstratur prædestinationem ad gloriam esse in statu naturæ lapsæ gratuitam.

Probatur ex novo testamento. Quamplurima sunt Scripturarum divinarum testimonia, quibus nostrum roboratur theorema. Primum sit. Joan. XV. habetur: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Alterum desumi potest ex Epistola ad Ephes. cap. I. ubi Apostolus ait: *Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate*: & infra: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Tertius locus sit ex Epist. ad Coloss. cap. I. *Qui dignos nos facit in partem sortis Sanctorum:* ubi sortem appellat Apostolus Electionem ad gloriam, quod obtingat adinstar sortis præter hominum intentionem, ac studium. Accedunt verba ejusdem Apostoli ad Titum cap. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit:* quo loco utitur potissimum S. Thomas. Afferri quoque possunt ex Epist. ad Corinth. loca omnia, quibus docet solam Dei gratiam homines discernere, & nemini gloriandum esse, nisi in Domino; E. G. hæc verba: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

5. Probatur ex veteri. Neque dissimilia sunt quæ ex veteri testamento possunt proferri. Eligam perpauca. In Psalmo 17. legimus: *Salvum me fecit quoniam voluit me.* Apud Ezech. 38. promittens Deus Electis suis immutationem cordis, aliaque spiritualia bona, quæ sunt effectus prædestinationis æternæ, ait: *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum.* Et ne multus fiam, I. Regum,

Psalm. 22. 78. 105. & Jerem. 14. implorant justi gratiam, salutem, & beatissimam æternitatem propter gloriam Divini nominis. Constat ergo ex his, aliisque permultis Sacrarum Scripturarum textibus non propter merita hominum, sed secundum beneplacitum Dei fieri prædestinationem Sanctorum.

6. Responsio adversaria eliditur.

Adversarii respondent in his locis agi tantum de Electione ad fidem, ad Evangelium, ad gratiam, sive de prædestinatione ad gloriam complete & adæquate acceptam, prout etiam auxiliorum dona complectitur. Sed inaniter ludunt operam. Nam fructus qui manet, non est fides, non gratia; sed finalis perseverantia, consummata charitas, & sempiterna beatitudo. Neque eligi dicuntur Sancti ad Sanctitatem & gratiam, sed econtra Sanctos & immaculatos fieri, quia sunt electi; ut observat in primum caput ad Ephes. Hieronymus. Sors quoque Sanctorum non potest esse sola fides aut gratia, quoniam hæc reprobi quamplures participant. In Epist. autem ad Titum expresse ex Dei misericordia repetitur consecutio salutis. Discernunt quidem fides & gratia inter incredulos & fideles, inter impios ac Sanctos; sed discretio ista est temporalis, non sempiterna; nam qui prædestinati non sunt partem habebunt cum infidelibus. Quid ultra expetis? Ut dicatur cælorum regnum complacita Dei benignitate promissum? Id Lucas affirmat cap. XXII. 32. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et Christus Dominus de ovibus, quas *dedit ei Pater*, Joannis x. 28. *Et ego*, inquit, *vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quinam sunt autem nisi prædestinati ad gloriam, oves, quæ è manu pastoris rapi non poterunt? & quare non erunt oves hæ rapiendæ, nisi quia Pater eas elegit, & dedit Christo? Sed hæc omnia brevissime complexus sum, ut unicum D. Pauli testimonium accuratius expendam.

7. Confirmatur ex S. Paulo.

Est illud in Epist. ad Romanos cap. IX. ubi Apostolus ad demonstrandum adoptionem filiorum Dei ex carnali generatione, aut ex operibus prævisis nequaquam pendere, sed unicam habere causam in Dei beneplacito, affert exemplum duorum filiorum Isaac, Jacob & Esau, & v. 11. ait: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hoc loco Apostolus pares fuisse demonstrat Jacobum & Esau quantum ad parentes quia ex uno concubitu eos genuit Rebecca; & quantum ad merita eorum, quia ex solo Dei proposito, extantibus adhuc puerulis in utero, prædictum est matri Genes. XXV. 23. *Major serviet minori.* Et ne quis objiceret Deum esse iniquum, qui absque meritorum intuitu unum elegit, non alterum, addit protinus: *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rursus aptissimo exemplo coercet hominum querimonias. *O homo*, inquit, *tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam?* Deinceps ne quis reponeret Deum esse crudelem, qui odisset Esau; ait, odium erga Esau fuisse ex justitia, & amorem erga Jacob ex misericordia: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Ex quibus apparet filios promissionis & adoptatos in hæreditatem Christi fuisse præfiguratos in Jacob: Atqui Jacob nullo meritorum suorum intuitu electus est, sed benevola voluntate Dei, qui miseretur cujus vult misereri: Ergo, &c.

8. Oblocutio adversaria retunditur.

Contra apertissimum testimonium Apostoli variis interpretamentis sese adversarii tutantur. Ac primo nonnulli respondent, loqui Apostolum de prædestinatione ad Evangelicam legem, & ad gratiam, non vero de prædestinatione ad gloriam: sed refutantur quamfacillime. 1. Quia vocati *secundum propositum* sunt juxta Apostolum prædestinati etiam ad gloriam. Scribit enim præcedenti cap. VIII. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* At iis, qui electi sunt ad solam fidem vel gratiam, non omnia cooperantur in bonum, quia ex istis reprobi peccant, & plures nusquam à peccato resurgunt, & omnes pessima morte decedunt; & consequenter hic neque mors, neque permissio peccati cooperantur in bonum. Deinde

de de prædestinatis ait ibidem Apostolus vocari, justificari, glorificari. *Quos autem prædestinavit*, inquit, *hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Qui ergo non glorificantur non sunt de numero illorum prædestinatorum, de quibus D. Paulus instituit sermonem. Rursus de his scribit non separari à charitate Christi, sed angustias, famem, nuditatem, gladium, & adversa omnia superare *propter eum, qui dilexit nos.* At qui fidem & gratiam recipiunt, sed non finalem perseverantiam, ab ea charitate morte perpetua separabuntur. Præterea Apostolus vocat prædestinatos vasa misericordiæ; & vasa honoris; honor autem electorum est vita æterna, qui enim hanc deperdent, in opprobrium sempiternum tradendi erunt. Denique concludit Apostolus vasa misericordiæ præparata esse in gloriam; at quamplurimis confertur gratia, quibus tamen non est præparata gloriæ beatitudo. Quamvis ergo loquatur Apostolus de vocatione ad legem Evangelicam & de prædestinatione ad gratiam, quod verum est; tamen non denegat electionem ad gloriam, sed contra ostendit ex hac electione conferri Electis à Deo & fidem & gratiam, & specialiter efficax auxilium, quo separari non possunt à charitate Dei, quo finaliter perseverant, quo in vasis misericordiæ gloriæ suæ divitiæ manifestantur.

9. Alia explicatio S. Pauli elicitur.

Alii respondent loqui Apostolum de prædestinatione ad gloriam, & hanc non esse ex prævisione meritorum, quæ comparantur naturæ viribus, sed esse tamen ex præscientia operum, quæ perficiuntur auxilio gratiæ. Verum neque hæc responsio subsistit. Si enim Apostolus sola naturalia opera excluderet, frustra sibi objecisset, Deum fore iniquum, & acceptatorem personarum. Immerito quoque recurrisset ad merum beneplacitum Dei, qui misericordiam impendit cui vult; atque nulla ratione ex his, quæ dixerat sequenti cap. XI. concluisset, prædestinationis mysterium & judicia Dei esse inscrutabilia. Etenim quilibet etiam ingenio rudis percipit, quæ affirmat Apostolus, locum non habere, si prædestinatio fiat ex prævisione meritorum etiam quæ comparentur per gratiam. Tunc enim non est respondendum: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, aut, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Non utique; sed respondendum esset, nullam apud Deum esse iniquitatem, nullamque personarum acceptationem, quia hunc prædestinavit, illum repulit non secundum propositum voluntatis suæ, sed secundum præscientiam meritorum. *Quis illum acutissimum sensum* (inquit S. P. Augustinus Epist. 194. alias 105.) *defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis objecti quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, sicuti isti putant, verum absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec ailquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris: Quid ergo dicemus, inquit, nunquid iniquitas apud Deum? absit. Hic ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt. Futura enim Deus opera prævidebat, quando majorem minori serviturum esse dicebat.* Quæ Augustini responsio militat de præscientia operum, quæcunque sint, sive naturalia, sive comparata per gratiam unicuique communem. Accedit quod Apostolus ait: *Antequam aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante &c.* Vide, non ad opera gratiæ, sed ad vocantis electionem ac propositum Jacobi prædestinationem referri? Tandem duo illi gemini Jacob & Esau, *Cum nondum nati fuissent*, neque naturalia, neque supernaturalia opera perpetraverant; & consequenter Apostolus utraque excludit.

10. Responsio Beccani elidiur.

Respondet Beccanus ex nostra explicatione sequi, etiam Esau fuisse reprobatum absque præscientia meritorum, quod est dogma Calvinianum. At inepta consecutio; nostra enim sententia docet reprobationem negativam fieri propter originale peccatum, quod oderat Deus in Esau; positivam vero in adultis & baptizatis propter peccata actualia: & Deum gratis damnare homines, & prædestinare sine culpa ad supplicium, nemo Calvino concedit. De utraque reprobatione agam in fine hujus libri. Nunc adverte Apostolum appellare prædestinatos *vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam:* reprobos *vasa iræ apta in interitum.* Non prædestinat ergo istos ad malum, sed adinvenit *aptos ad interitum.*

11. Oppositio aliorum infirmatur.

Denique quidam reponunt non agere Apostolum de singulorum hominum prædestinatione, aut reprobatione, sed de sorte populi Judæorum, & populi Gentilium, utriusque enim typum gerebant

rebant Jacob & Esau, ut habetur Genes. xxv. 23. & Malachiæ 1. 2. & 3. & consequenter designare prædestinationem Judæorum ad possessionem terræ Chanaam, Gentium ad hæreditatem in solitudine, & inter dracones deserti. Addunt non esse firmissimum argumentum à sensu literali, ad mysticum. Verum & hæc futilia sunt, & inania. Detur namque Jacobum prædestinatum ad possessionem terræ Israel typum fuisse Judaici populi, Esau præordinatum ad montium solitudinem figuram fuisse Gentilium, certe Paulus non de electione ad bona temporalia loquitur, sed de prædestinatione ad gloriam, ut supræ vidimus. Hinc fatetur sibi esse tristitiam magnam, & continuum dolorem cordis, quoniam Israelitæ, qui erant cognati ejus secundum carnem, & quorum erat adoptio filiorum, & testamentum, & legislatio, & promissa, à charitate Christi, & Sanctorum sorte deciderint. Ait tamen non excidisse Dei verbum, quoniam veri Israelitæ sunt filii Dei, & filii promissionis æstimantur in semine. Sic à literali sensu ad mysticum transit Apostolus, & in Jacob prædestinatos, in terra Chanaam cœlestis Jerusalem hæreditatem exponit; quasi dicat, Quemadmodum nullis præviſis operibus Jacob prædestinatus fuit ad terram promissionis; ita ante præscientiam meritorum ad cœlestem patriam præordinantur electi. De sensu autem literali ad mysticum validissime argumentamur, si prior sensus, ut contingit in casu, sit in veteri Testamento, alter expressus in Novo.

Objectiones Solvuntur.

12. Objicitur 1. Primo opponunt locum Matth. cap. xxv. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ergo intuitu operum regnum cœleste paratum est.

Solutio. Resp. dist. ant. & Evangelica verba simul explano: ita ut illo textu, *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, significetur causa ac motivum possessionis regni, conc. causa ac motivum præparationis ac prædestinationis, nego. Ea verba *Esurivi &c.* non referuntur ad dictionem istam *paratum*; sed ad verba, *venite*, & *possidete*: & ideo non respiciunt regni præparationem, sed possessionem. Quod constat ex verbis quæ consequuntur. Dicturus est enim Christus reprobis; *Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Porro hoc in loco causalis, *Esurivi enim, &c.* refertur ad verba *Discedite in ignem æternum*, non ad alia, *qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Diabolo enim non est paratus infernalis ignis eoquod homines facturi non essent opera misericordiæ. Sic itaque etiam prior sententia exponenda est.

13. Instantia. Insurgit Frassen; Ex prædicto loco infertur reprobos damnari propter demerita; Ergo infertur electos prædestinari propter prævisa merita.

Responsio Resp. cum alio Scotista Francisco Henno retorquendo argumentum. Non infertur ex prædicto loco ignem inferni paratum diabolo propter carentiam eleemosynarum: Igitur neque inde infertur regnum cœlorum paratum fuisse propter eleemosynarum distributionem. Resp. 1. ut supra, propter demerita reprobos in ignem sempiternum detrudi, ac propter merita electos regnum possidere: neque istic agi de prædestinatione, sed de judicio: præsertim cum etiam parvuli baptizati regnare debeant in cœlis qui nullam largiti sunt pauperibus eleemosynam.

14. Objicitur 2. & solvitur. Opp. 2. In Scripturis æterna vita appellatur *merces, denarium, bravium, corona justitiæ, &c.* Ergo propter bona opera prædestinantur electi.

Resp. dist. ant. & hæ appellationes concernunt ordinem *executionis*, conc. ordinem *intentionis*, nego.

15. Instantia. cum solutione. At inquies: Nemo vult dare alicui mercedem, ac præmium, nisi ex meritis: Igitur si in Scripturis gloria appellatur merces ac præmium, Deus non intendit conferre gloriam nisi propter merita.

Resp. dist. ma. Nemo vult dare alicui mercedem ac præmium nisi ex meritis, ita ut merita sint motivum voluntatis dandi mercedem ac præmium, nego ma. ita ut qui vult dare mercedem comparandam ex meritis, præparet etiam ipsa merita, quibus merces comparetur, conc. ma. Utique Deus vult dare gloriam ut mercedem, atque ut præmium meritorum: sed merita non sunt motivum Divinæ voluntatis, qua primo intendit gloriam alicui. Quod explicatur exemplo. Si Rex audiens præclara alicujus viri facinora, eumque antecedenter vix noverit, & propter egregia ejus opera illum ad Reipublicæ munia, ac Magistratus honores promoveat, vult quidem honorem conferre meritis, & sunt hæc causa princeps regiæ voluntatis. At si Rex

inter

inter familiares ſuos aliquem ſummopere diligens, velit illum ad gradus ac dignitates promovere, ſed quoniam conferuntur ſtrenuis & qui inferiora munera obierint, idcirco electo familiari media miniſtret, quibus dignitatem promereatur, E. G. conſtituat ducem militiæ, exhibeat illi arma, committat regimen urbium, pecuniam atque indulta largiatur, expletisque negotiis ad præfixum honorem adſumat: tunc certe Rex confert dignitatem ex meritis; ſed τὸ ex *meritis* non appellat beneplacitum Regis, ſed ſolam diſpenſationem mercedis; eoquod familiari ſuo primum liberalem impenderit dilectionem, deinde ex præconcepta intentione omnia illi prædicta media ſuppeditaverit. Hoc ſecundo modo de Divina prædeſtinatione diſcurrendum eſſe contendimus. Addo ex Suareſio lib. 2. de Cauſis Prædeſtin. cap. 23. non ſequi, datur meritum reſpectu gloriæ, quæ eſt effectus prædeſtinationis, ergo datur meritum reſpectu prædeſtinationis quæ eſt cauſa gloriæ: multæ ſiquidem ſunt cauſæ effectus prædeſtinationis, quæ non ſunt cauſæ prædeſtinationis illorum effectuum. Prædicatio enim D. Ambroſii fuit cauſa converſionis Auguſtini, & converſio Auguſtini eſt effectus prædeſtinationis ejusdem. At prædicatio Ambroſii non eſt cauſa prædeſtinationis Auguſtini, ſed eſt effectus ac medium ad converſionem. Eodem modo prædeſtinatio eſt cauſa gloriæ, merita ſunt media ad gloriam, gloria eſt effectus prædeſtinationis ac meritorum, nec tamen ſequitur merita eſſe cauſam Prædeſtinationis. Denique Adverſarii nonne adſtruunt generalem voluntatem ſalvandi omnes antecedentem ad merita, & tamen docent gloriam meritis ipſis retribui? Nihil ergo nos dicimus de voluntate efficaci, niſi quod ipſi docent de voluntate conditionata.

16. Objicitur 3. Opp. 3. Apoſt. ad Rom. cap. 8. ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit:* Ergo præſcientia meritorum eſt cauſa prædeſtinationis.

Solvitur. Reſp. 1. diſt. ant. Et nomine præſcientiæ intelligitur actus dilectionis, conc. Intelligitur actus cognitionis bonorum operum, nego. In Sacris literis præſcientiæ nomen ſæpiſſime pro dilectione uſurpatur, ut ad Rom. xi. *Non repulit plebem ſuam, quam præſcivit.* Ad Tim. 2. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Matth. 25. *Non novi vos.* Joan. x. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas.* Hoc pacto in adducto textu nomen præſcientiæ uſurpatur. Primo quia abſolute ponitur nomen præſcientiæ, neque ulla mentio fit meritorum: non enim ait Apoſtolus *quos præſcivit bene victuros:* ſed tantum *quos præſcivit.* Deinde quia verbum *præſcivit* particula *Et* copulavit cum verbo *prædeſtinavit;* ita ut unum ſit alterius explicativum ac ſynonimum, ut in lib. 2. de Dono perſev. cap. xviii. aſſerit Auguſtinus. Uſurpant verbum *cognoſcere* pro *diligere* etiam latini Scriptores, & Hebræi paſſim. Vide lib. iv. cap. 2. Præterea diſt. conſ. Ergo præſcientia eſt cauſa prædeſtinationis: *præſcientia* perſonæ, quæ opera meritoria factura eſt, conc. *præſcientia* meritorum illius perſonæ, nego. Si velis præſcientiæ nomen pro actu intellectionis accipere, dicam quod Deus præſcivit, id eſt præcognovit perſonas, quas prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui: non quod ante prædeſtinationem novit earumdem perſonarum merita; quoniam hæc ipſe Deus *præparavit in Chriſto, ut in illis ambulemus.*

17. Objicitur 4. & ſolvitur. Opp. 4. 11. ad Tim. 2. habetur: *Si quis emundaverit ſe, erit vas in honorem:* Vas honoris deſignat prædeſtinatum. Ergo ab emundatione vitæ prædeſtinatio dependet. Reſp. diſt. & explico textum Apoſtoli: *Si quis emundaverit ſe, erit vas in honorem,* Quemadmodum ab æterno per gratuitam prædeſtinationem electus erat, conc. *Erit vas in honorem,* id eſt, locabitur in prædeſtinatorum numero intuitu prævisæ emundationis, nego.

18. Objicitur 5. & ſolvitur. Opp. 5. Joannis xvi. habetur: *Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Præcedit ergo amor hominum, & cauſa eſt amoris Divini, atque electionis. Reſp. explanando verba Joannis: *Pater vos amat,* id eſt, majoribus cumulat beneficiis, *quia vos me amaſtis & credidiſtis,* concedo: Pater ab æterno amavit vos, quia vos me amaturi eratis in tempore, nego. Iſtæ, & conſimiles Scripturæ phraſes tantum ſignificant, quod gratia gratiam meretur, ut obſervat Ven. Beda Homil. ſuper Evang. Domin. ante Aſcenſionem, & Eſtius diſt. 41. §. vii. ad 7.

19. Objicitur 6. & reſponde-tur. Opp. 6. Pſalmo 18. legitur: *Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem:* Deus ergo priusquam miſericordiam exerceat, expectat an homines operentur iniquitatem. Reſp. diſt. ant. Et loquitur Sanctus David de juſtitia infligente pœnas, quas merentur iniqui, concedo: de miſericordia, quæ iniquos prædeſtinat, nego. Obvius prædictorum

rum verborum sensus est: *Intende ad visitandas omnes gentes*, justissimis in eas suppliciis animadvertendo, *neque miserearis impiorum*, qui operantur iniquitatem, nisi peccatorum suorum egerint pœnitentiam.

20. Objectio ultima cum solutione.

Ultimo opponunt illud Pauli in 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Sed inde tantum consequitur neminem esse, quem Deus *voluntate antecedenti* nolit salvari: quæ voluntas *antecedens* respicit omnes, ut diximus libro præced. neque est voluntas illa *efficax & absoluta*, quæ refertur ad solos prædestinatos, & qua præparantur beneficia gratiarum, quibus electi à perditione certissime liberantur.

CAPUT VI.

Stetne revera pro hac Sententia Augustinus?

SUMMARIUM.

1. S. Augustinus docuit apertissimè gratuitam prædestinationem ad gloriam.
2. 3. Refutantur duæ responsiones ad primum argumentum.
4. 5. 6. Affertur secundum argumentum, & adversariorum responsa refutantur.
7. 8. 9. Producitur tertium argumentum.
10. 11. 12. 13. 14. Quartum ex Augustino argumentum.
15. Quintum argumentum.
16. 17. 18. 19. 20. Proponitur ultimum Augustini argumentum, & adversariorum responsa refutantur.
21. & seqq solvuntur objectiones.

An S. Augustinus docuerit gratuitam Prædestinationem ad gloriam.

QUIDAM ex Adversariis fatentur Augustinum gratuitam quidem prædestinationem tradidisse, sed novam inveniisse semitam, nova impressisse vestigia: multis ejus sententiam videri horridam atque asperrimam: ex ea multos fideles fuisse turbatos & ad Pelagianos defeciisse: ridiculos esse ejus nominis adoratores, qui illum credunt fidelissimum testem antiquitatis. Alii econtra, ne Augustini desertores habeantur, & ne tanti Doctoris videantur abjicere auctoritatem, illum nobis adversari propugnant. Et primis quidem debitam vicem rependit Norisius cap. ult. Vindiciarum; atque supra à me nonnulla quoque dicta fuerunt, unde possit redargui tanta verborum licentia. Nunc contra cæteros de vera Augustini mente disputandum.

1. Propositio.

PROPOSITIO: S. P. Augustinus docuit apertissime gratuitam prædestinationem ad gloriam.

ARGUMENTUM I.

Probatur 1.

Cum assereret Pelagius prædestinari homines à Deo, quia illos sanctos & immaculatos fore prævidit, S. P. Augustinus ax adverso docuit sanctitatem ac meritum non esse causam prædestinationis, sed potius effectum: Ergo Augustinus tradidit homines ad gloriam gratis prædestinari. Prob. ant. verbis S. P. lib. de Prædest. SS. cap. XVIII. *Præsciebat, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, immaculatosque præscivit: utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.* Hæc est Pelagianorum doctrina. *Intueamur ergo* (sequitur Augustinus) *verba Apostoli, atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti, & immaculati futuri eramus, an ut essemus? Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus.* Ergo quod aliqui sint sancti & immaculati, atque tales à Deo prænoscantur, per Augustinum non est motivum, sed effectus prædestinationis divinæ.

2. Instantia I. Vasquesii.

Dices cum Vasquesio agere Augustinum de prædestinatione ad *gratiam*, quam negabant hæretici Pelagiani.

Solvitur.

Resp. Vasquesium apertissime decipi. Nam Pelagius quadruplex genus gratiæ admittebat. Prima gratia est ipsum liberum arbitrium, ejusque possibilitas: de qua gratia non disputat Augustinus, quia omnibus hominibus communis est, neque ad illam unus præ altero eligitur. Secunda Pelagianorum gratia est remissio peccatorum, de qua pariter non instituitur disputatio, quia Pelagiani asserebant remissionem peccatorum

rum dari sine meritis, ut scribit S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 6. Tertia gratia Pelagianorum est lex & doctrina; neque de hac ab Augustino præfato loco disseritur, quia hæc non minus confertur electis, quàm reprobis. Quarta gratia est vita æterna. Gratuitam ergo prædestinationem ad ipsam æternam vitam negabat Pelagius, dum affirmabat prædestinationem fieri ex præscientia meritorum; ideoque Augustinus contra hæreticum istum disputat de prædestinatione ad gloriam. Præterea Pelagius arbitrabatur, hominem posse sine gratia justificari & salvari, & tamen fatebatur, eligi ac prædestinari certos homines præ aliis; ergo dum aliquorum prædestinationem commemorat, non de prædestinatione ad gratiam accipiendus est, sed de prædestinatione ad gloriam; & consequenter de hac redarguitur ab Augustino. Rursus Sanctus Pater probat quidem gratis homines prædestinari ad gratiam, sed inter eos qui vocantur gratis, & justificantur, duo distinguit genera, unum eorum qui non perseverant, & non coronantur, alterum eorum, qui recipiunt gratiam perseverantiæ, & coronæ, & ait illos, qui secundum propositum vocati sunt, certissime gloriam consequi: *Electi sunt* (inquit proximo capite) *ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit: quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum; non ergo alios; sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, illos & glorificavit:* ubi perspicue appellat prædestinationem secundum propositum non prædestinationem ad gratiam, qua plures vocantur & justificantur, sed prædestinationem ad gloriam, qua vocati & justificati glorificantur. Quare utraque prædestinatio per Augustinum præcedit merita.

3. Instantia 2. Dices 2. Loqui Augustinum de prædestione ad initium Fidei contra Semipelagianos.

Respondetur. Resp. neque hanc stare interpretationem: siquidem prædestinatio ad fidem communis est tam electis, quam reprobis.

ARGUMENTUM II.

4. Probatur 2. Augustiniana de prædestinatione *secundum propositum* evulgata Sententia, adversus illam multi Massilienses concitati sunt, ut scribit Prosper data ad Augustinum Epistola: *Multi*, inquit, *servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputasti.* Dicebant enim Massilienses, Deum ante mundi constitutionem *eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Vides apertissime ab his adstrui prædestinationem ad regnum ex meritorum præscientia. *Hoc autem propositum* (inquiunt) *vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuerit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem torporis adferre: eoquod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere.* Ajebant quoque *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* Itaque Sanctus Augustinus illam tradidit prædestinationem, ex qua Semipelagiani opponebant consequi libertatis exitium, omnemque removeri humanam industriam: Sed opponebant id consequi ex prædestinatione *ad regnum secundum propositum*, atque antecedenter ad præscientiam meritorum: Ergo Sanctus Augustinus hanc secundum propositum prædestinationem aperte tradidit.

5. Oppositio. Respondent aliqui, Semipelagianos improbasse in Augustino gratuitam prædestinationem ad gratiam, & ad fidei initium, & non prædestinationem ad gloriam.

Solutio. Verum hi sola lectione Prosperi refutantur. Etenim Massilienses dicebant: *eos Deum prædestinasse in regnum suum, quos bene operaturos præviderit;* dicebant: *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui sponte crediderint:* dicebant occasionem negligentiæ exhiberi *per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam.* Atqui prædestinare in regnum, & præordinare in vitam æternam, est prædestinare ad gloriam, non ad gratiam, vel ad initium Fidei: Reprehendebant ergo Semipelagiani in

Augustino prædestinationem ad gloriam. Ad hæc reprobabant Massilienses illam prædestinationem, qua ante prævisionem meritorum, est eligendorum atque rejiciendorum facta discretio, & qua alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ creati sunt, prout placuerit Creatori: Atqui, ut mox ostendam, non sunt per Augustinum vasa honoris, neque à massa perditionis discreti, nisi qui prædestinantur ad gloriam: Igitur prædestinationem ad gloriam reprobabant in Augustino Massilienses. Demum contendebant Semipelagiani illos prædestinari ad regnum, quos Deus credituros esse præscivit; Augustinus econtra asserebat credituros esse, ac perseveraturos usque in finem, quos Deus secundum propositum prædestinaverat. Igitur Semipelagiani negabant in electis fidem ac perseverantiam esse effectum prædestinationis ad gloriam.

6. Objectio alia. Alii reponunt improbari à Semipelagianis in Augustino prædestinationem ad gloriam, quæ fit ex prævisione meritorum; nolebant enim acquiescere, inquit S. Prosper, *Prædestinatum Electorum numerum nec augeri posse, nec minui.*

Solvitur. Sed perperam id reponitur: nam Semipelagiani eam prædestinationem improbabant, ex qua eis videbatur auferri liberum arbitrium, & fatalem necessitatem induci: Atqui hæc absurda Semipelagiani consequi putabant ex gratuita prædestinatione ad gloriam, quæ exercitium antecederet libertatis: Igitur Semipelagiani hanc prædestinationem ad gloriam in Augustino improbabant. Rursus constat ex eodem Prospero, Semipelagianos admisisse prædestinationem ex meritis: non ergo reprehendebant in Augustino quod & ipsi probabant. Ulterius dum asserebant numerum electorum posse augeri, & minui, loquebantur de numero electorum ante præscientiam bonorum operum, quæ erant facturi; nam post hanc præscientiam quemadmodum determinata sunt merita, ita determinatus est numerus electorum: Ergo dum negabant prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, loquebantur de sola prædestinatione ante meritorum præscientiam.

ARGUMENTUM III.

7. Probatur 3. Illam prædestinationem tradidit Augustinus, qua unus à massa perditionis discernitur, alter in eadem massa relinquitur: At docuit unum discerni à massa perditionis, alterum in eadem massa relinqui per gratuitam prædestinationem ad gloriam: Igitur istam gratuitam prædestinationem tradidit Augustinus. Prob. minor. ex lib. de Corrept. & gratia cap. VII. ubi hæc habentur: *Ab illa perditionis massa quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit.*

8. Confirmatur. Et ne Adversarii respondeant S. Patrem loqui de prædestinatione ad gratiam, qua ex Divina liberalitate accepta ex meritorum præscientia fit Electorum discretio, operæ pretium est demonstremus, nullo pacto in Augustiniana sententia dici discretos ac prædestinatos, nisi qui æternam salutem infallibiliter consequuntur. Quod probo 1. ex eodem capite, ubi S. Pater docet illos, qui non acceperunt perseverantiam finalem, etiamsi gratiæ participes facti fuerint, ab illa tamen massa perditionis non esse discretos: *Qui Evangelium*, inquit, *non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt . . . non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Hæc Augustinus. Sane qui in melius commutantur, prædestinati sunt ad gratiam, & tamen de his affirmat S. Pater, non esse prædestinatos, nisi illis donetur perseverantia. Perspicuum est igitur, loqui Augustinum de sola prædestinatione gratuita ad gloriam, quæ sola dicitur in ejus libris *discretio*, De hoc Augustiniano testimonio scribit Petavius lib. IX. cap. VI. n. 10. *Dirimendæ controversiæ sufficere potest, si quis minime studio partium obcæcatus, sed æquus veritatis arbiter esse velit.*

9. Roboratur. Sed etiam clariora sunt verba S. Patris in fine ejusdem Capitis, ubi ait: *Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; proculdubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est, multi vocati: & non in eis, de quibus dictum est, Pauci vero electi.* Eadem repetit capite IX. & cap. XIII. ubi disertissime docet, non pertinere ad numerum prædestinatorum, qui aut jacent sub peccato, quod originaliter contraxerunt, aut volvuntur per diversas noxias cupi-

cupiditates, aut gratiam Dei suscipiunt, sed non perseverant, & deserunt ac deseruntur. Demum in hanc gravissimam sententiam prorumpit: *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhærente sibi misericordia Salvatoris, sive cum convertuntur, sive cum præliantur, sive cum coronantur.* Omnia verbo dicam. Non sunt per Augustinum prædestinati & electi secundum propositum, nisi prædestinati & electi ad perseverantiam & ad gloriam; ita, ut qui credunt, baptizantur, & Deo vivunt, sed non habent donum perseverantiæ, Electi non dicantur nisi à nescis futurorum. Si ergo Sanctus Pater tradidit prædestinationem, & electionem gratuitam; de prædestinatione & electione ad regnum est certissime accipiendus.

ARGUMENTUM IV.

10. Probatur 4. ex S. Augustino.

Prædestinatio parvulorum, qui sacro tincti lavacro assumuntur in gloriam, gratuita est, & ex nullo meritorum intuitu: sed Augustinus ejusdem generis esse contendit prædestinationem parvulorum & adultorum: Igitur gratuitam utrorumque electionem S. Pater asseruit. *Ex duobus itaque parvulis* (inquit de Dono Persev. cap. IX.) *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Illud autem fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.* Hoc loco manifestissimum est S. P. Augustinum loqui de prædestinatione parvulorum, qui assumuntur in gloriam, & de prædestinatione adultorum quibus donatur finalis perseverantia; & consequenter non de quacunque electione ad gratiam, sed de electione ad vitam æternam instituere sermonem. Sed & illud manifestissimum est, excludi ab Augustino præscientiam meritorum, etiam comparatorum per gratiam, tum quod merita ac perseverantiam repetat ex Divina prædestinatione, tum quod recurrat cum Apostolo ad inscrutabilia judicia Dei, nunquam vero ad futurorum operum præscientiam.

11. Pelagiani refunduntur.

Pelagiani, qui hoc argumento Augustini magnopere premebantur, ne in parvulis assumptis veritatem faterentur prædestinationis, in reprobatis vero maculam originalis peccati, dicebant illos eligi, istos rejici præscientia operum, quæ facturi erant, si pervenissent ad usum rationis. At S. Pater hanc eorum responsionem pluribus rejicit. I. Quoniam tribuitur Sap. 4. Divinæ misericordiæ, si rapiat pueros antequam malitia pervertat intellectum eorum; ideoque peccata quæ prævidentur futura, si diutius viverent, Divino non puniuntur judicio. II. Quia unusquisque, ut scribit Apostolus in 2. ad Corinth. ante tribunal Christi stabit, ut referat secundum ea quæ gessit in corpore, non secundum ea quæ fuerat paturus, si ultra vixisset. III. Quod non remittantur per baptismum peccata quæ prævidentur futura: non ergo istiusmodi peccata judicio Dei puniuntur. *Abhorret ergo,* (ut Augustini utar verbis lib. de Dono Persev. cap. IX.) *ea Pelagianorum responsio ita à sensibus Christianis, aut prorsus humanis, ut id etiam refellere pudeat.* Legite S. P. & de Prædest. SS. cap. XII. & Serm. 26. de Verbis Apost. cap. 12.

12. Ulterius eliduntur.

Ulterius Pelagiani asserebant parvulos prædestinari ac reprobari propter parentum suorum merita: quod falsum esse pluribus deprehenditur. I. Quia plerunque festinantibus ac paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo sic disponente non baptizatus decedit. II. Quia experientia compertum est, ex bonis parentibus improbos gigni filios, ut Absalon ex David; ex malis procreari bonos, ut Enoch ex Cain, atque ex eodem femore bonos ac malos, ut ex Araham Ismael, & Isaac. III. Quoniam contingit aliquando, ut eadem mater alium natum portet ad gratiam, alium invita suffocet: quod merito S. Pater in Dei refert potestatem, & in altitudinem divinorum judiciorum.

13. Convincuntur Hæretici.

Reponebant rursus hæretici, Deum velle quidem omnium parvulorum salutem, sed secundas causas impedire, ne ad gratiam perveniant baptismatis. At S. P. Augustinus hæc subterfugia sequentibus verbis retundit: *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utriusque causa communis: aut res humanas in parvulis non Divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ, quandoquidem nec passer cadit in terra sine voluntate patris*

nostri, qui in cælis est. Cap. XII. de Dono Persev. Ita parvulorum exemplo non solum refutatur hæresis Pelagiana, sed roboratur etiam sententia gratuitæ ad gloriam præordinationis.

14. Instantia. Si dixeris prædestinationem parvulorum gratuitam esse etiam in ordine *executionis*, ideoque non esse normam electionis qua prædestinantur adulti; Resp. *in intentione* & parvulos & adultos prædestinari secundum propositum Divinæ voluntatis, & utrisque præparari beneficia certissimæ liberationis, quæ judicio Dei inscrutabili reprobis denegantur: & in hoc eadem est causa parvulorum & adultorum. At media, quæ electos ad beatam vitam perducunt, non sunt prorsus eadem. Parvulis præparatus est baptismus & raptus ante usum rationis: adultis vero baptismus & finalis perseverantia. Ergo illi rapiuntur nondum capaces merendi: isti assumuntur post meritum. Hæc est ratio cur regnum cælorum est corona justitiæ adultis, non parvulis; licet prædestinatio ad regnum sit gratia tam parvulis, quàm adultis.

Solutio.

ARGUMENTUM V.

15. Probatur 5. Hoc est discrimen, ut diximus lib. IV. cap. 8. inter prædestinationem Angelorum, & filiorum Adæ, quod illis beatitudinis plenitudo fuit *merces meriti*; istis vero est *gratiæ beneficium*. Id ex eo probatur, quoniam contulit Deus creaturæ innocenti adjutorium, *quo permaneret si vellet*; sed ipsam perseverantiam in ejus reliquit arbitrio. Infirmitati autem voluntatis humanæ taliter subventum est, ut per gratiam Salvatoris non solum detur illi *posse perseverare*, sed etiam *perseverantia ipsa donetur*. Hæc capite laudato satis videor mihi demonstravisse. Percipiuntur vero, ut docent Theologi, Divina decreta ex qualitate mediorum; & erga eos, quibus conferuntur media indifferentia, datur Divina antecedens electio conditionata tantummodo: sed erga illos, quibus donantur auxilia ab intrinseco efficacia & infallibilia, datur prædestinatio absoluta, & à nulla conditione dependens. Igitur quemadmodum prædestinatio Angelorum fuit conditionata & ex præscientia meritorum, quia illis datum est solum *posse perseverare*: ita hominum lapsorum prædestinatio est absoluta antecedens quæcunque merita, quia istis donatur etiam actualis *perseverantia*. Atque hæc sententia, inquit Ludovicus Habert cap. XIX. Paragr. III. Qu. 2. est communis inter Theologos post S. Augustinum lib. de Correpț. & Grat. cap. X. Quare non videntur cohærere principiis, qui negant in Angelis necessitatem gratiæ efficacis, & adstruunt gratuitam eorumdem prædestinationem, ut fecit noster Lafosse: sed aut Thomistis, aut Mediistis, aut nobis assentiendum est; & in utroque statu debet admitti prædestinatio gratuita cum gratia efficaci, aut conditionata cum gratia versatili; sive in statu innocentiæ prædestinatio ex præscientia meritorum cum adjutorio *sine quo*, & in statu infirmitatis cum adjutorio *quo* prædestinatio gratuita. Itaque Augustinus, qui in hoc statu efficacem gratiam propugnat, etiam absolutam electionem asserere tenebatur. Sed lege capita 8. & 11. libri IV.

ARGUMENTUM VI.

16. Probatur 6. Postremo Magnus Augustinus, ut cætera prætermittam, lib. de Prædest. SS. cap. XV. affirmat prædestinationem Christi esse nostræ prædestinationis exemplar: Sed prædestinatio Christi ad unionem hypostaticam, ad sanctitatem, & ad gloriam fuit omnino gratuita: Ergo & talis est Sanctorum hominum prædestinatio: *Est etiam* (inquit S. Pater) *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ; ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, quæso, ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem Personæ assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecunque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

17. Responsio adversa. Adversarii respondent etiam hoc loco Augustinum loqui de prædestinatione ad fidem & ad gratiam: quod probant hoc argumento: Augustinus appellat Christum præclarissimum lumen nostræ prædestinationis & gratiæ: *gratiæ*, inquit, non *gloriæ*. De prædestinatione ergo ad gratiam sermonem habet.

Solutio. Verum haud operosum erit responsionem illam refutare; cum Augustinus ex prædestinatione Christi inferat eos, qui prædestinati sunt, gratis eligi ad fidem, gratis ad regenerationem, gratis ad finalem perseverantiam; ita, ut ideo credant, ideo speciali vocatione trahantur, ideo in fide ac sanctitate permaneant, quia fuerunt electi secundum pro-

propositum, conformes fieri imaginis Christi, ideoque in electis, & fides, & regeneratio, & perseverantia sint effecta prædestinationis ad Gloriam, non causa. Posteaquam enim S. Pater Exemplum Christi proposuit, enucleate recenset, quid Deus Electis suis impertiatur, atque primum de Fide inquit: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum.* Posthac de speciali vocatione, qua trahuntur Electi, S. Doctor hæc profert: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & Gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens ipsis vocatis Judæis, & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, sciens esse quamdam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui.* Insuper de iis, qui hac peculiari vocatione trahuntur, ait Augustinus: *Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quisquam dicere, credidi ut sic vocarer: prævenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est ut crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt, & didicerunt à Patre per Filium, qui evidentissime dicit, Omnis, Qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne, quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est omnino non perit, nec erit inde qui pereat.*

18. Quale Augustini argumentum.

Itaque Augustini argumentum erat, Christum Dominum esse prædestinationis & gratiæ exemplum præclarissimum, quoniam sicut ille nullis præcedentibus meritis prædestinatus fuit, ut esset caput nostrum, atque ex hac prædestinatione natus est *de spiritu & virgine absque ullo peccato;* ita qui prædestinati sunt à Deo, ut sint membra Christi, non quidem uti sunt fideles reprobi, sed membra, quæ non pereant, nec dividantur à corpore, certa vocatione trahuntur, credunt, regenerantur, ac perseverant, eisque quodlibet peccatum dimittitur. Hunc Augustini sensum aperte exhibent vetustæ sententiæ ante annos 800. ex ejus libris collectæ, & editæ à Sirmondo Tom. 2. pag. 944. Quamobrem S. Pater propugnat, traditque gratuitam prædestinationem ad Fidem & ad Gratiam, neque id quispiam denegat: sed commonstrat simul & fidem & gratiam & vocationem Electorum esse effecta gratuitæ prædestinationis ad gloriam; quomodo nativitas & gratia Christi effectus fuit illius prædestinationis, qua prædestinatus est ut fieret Caput nostrum: atque ex ipsa gratuita prædestinatione ad gloriam probat Augustinus fidem non esse ex nobis, quoniam si ex nobis, nemo prædestinatus esset ad gloriam *secundum propositum*..

19. Becani argumentum convincitur.

Becanus argumento respondet nihil eo concludi, quoniam Christus consecutus est gloriam sine meritis, & nos illam per merita comparare debemus; ideoque de Christo ad homines non valet illatio. Sed Becanus suamet doctrina revincitur. Si enim exemplum Christi allatum ab Augustino non tenet de consecutione gloriæ, quæ nobis rependitur propter merita; accipiendum ergo est de *ordine intentionis*, in quo ad gloriam prædestinentur electi absque meritorum præscientia. Deinde neque Christus absque meritis omnem gloriam consecutus est, illam præsertim, qua constitutus est Caput prædestinatorum, & Sponsus Ecclesiæ. Etenim legimus in Evangelio: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et de Ecclesia scribit Apostolus, *Quam acquisivit sanguine suo.* Habuit itaque Christus à primo instanti beatitudinem, eamque, præcedentem quæcunque merita: sed non habuit omnem gloriæ extensionem, quam sibi promeruit morte, teterrimoque Crucis supplicio.

20. Instantia cum solutione.

Quod si dicas nonne debet esse discrimen inter prædestinationem Capitis ac membrorum? Imo & maximum: at non situm est in eo, quod Christus prædestinatus sit gratis ad gloriam, & nos ad gratiam. Non, inquam, istud intercedit inter nos & Christum discrimen: sed ille ex nullius meritis, nos ex meritis ejus fuimus prædestinati; idque pertinet ad gloriam Capitis, atque ad conditionem membrorum.

Solutio eorum, quæ objiciuntur.

21. Objectio 1.

Opp. 1. S. P. Augustinus lib. 1. ad Simpl. Q. 2. explicans verba Apost. ad Rom. IX. *Ut secundum electionem propositum*

positum Dei maneret, ait: *Non secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud manet, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum: nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur: Quis accusabit adversus Electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientia.* Atqui ex his verbis constat electionem à bonis operibus, non à Dei beneplacito petendam esse: Ergo, &c.

Solutio. Huic argumento non una responsione Theologi occurrunt. Quidam cum Bellarmino respondent Augustinum, dum hæc scripsit, *Nondum diligentius quæsivisse, quænam sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt:* ut ipse profitetur lib. 1. Retract. cap. 23. Neque officit quod opponunt Lessius & Vasquez, S. Patrem, in 2. Retract. lib. cap. 2. & de Prædest. SS. cap. 4. affirmare se in libris ad Simplicianum tradidisse veram de gratia sententiam: hoc namque perleve est; approbat enim duntaxat quæ scribens ad Simplicianum specialiter pertractaverat, scilicet gratiæ necessitatem, non vero vocabulum *electionis*, quod à se minus recte acceptum testatur. Alii respondent verba Augustini hunc sensum reddere: *Non quia Deus invenit opera bona in hominibus ideo manet propositum, quia hæc bona opera disponuntur ex vi ejusdem proposuti, unde non sunt causa ipsius, sed effectus:* ideoque ex hoc loco Augustiniana sententia potius corroboratur: & hac responsione utuntur communiter nostrates. Henricus Florez plurium rationum complexu nititur ostendere præfata verba non ex mente Augustini proferri, sed ex sententia adversariorum, quam in sequentibus rejicit, dicens: *Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret.* Sunt qui reponant omnem quidem electionem importare distantiam inter eum, qui eligitur, & eum qui rejicitur, ut advertit Sanctus Pater; sed necesse non est talem distantiam præsupponi, cum sæpenumero ab ipsa electione causetur. Nam electio ad gratiam, ut fateri debent adversarii, non supponit in electis distantiam, sed facit; & amor, quo Deus prosequitur creaturam, non præsupponit in ea bonitatem antecedenter ad Dei amorem, sed ipse amor bonitatem creaturæ impertitur. Hæc omnia probabilia sunt, & sufficiunt ad argumenti propositi solutionem.

22. Solutio alia. Sed ego aliter respondendum esse arbitror. Docuit Sanctus Pater duplicem esse *electionem*, ut demonstrat adversus Vasquesium P. Petavius. Alia est *electio* antecedens & gratiæ: alia est *electio* consequens & justitiæ. De priori electione loquitur Augustinus lib. v. adversus Jul. cap. 3. dicens: *Nullum elegit dignum, sed eligendo effecit dignum:* de secunda lib. de Prædest. Sanctorum cap. 17. *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt Electi.* Electio illa præcedit vocationem ac meritum: electio ista meritum & vocationem consequitur: una est causa cur præparentur electis gratiæ beneficia; altera est hujusmodi beneficiorum effectus: per illam electi discernuntur in mente Dei ab æterno; per istam separantur in tempore.

23. Responsio ultima. Resp. itaque nullum esse adversus nos propsitum argumentum; nam in 1. ad Simplicianum. Q. 2. loquitur Augustinus, de electione consequenti, non antecedenti. Et constat, quandoquidem S. Pater ait: *Electio non præcedit justificationem, sed electionem justificatio.* Igitur *electio*, de qua loquitur Augustinus, est temporalis assumptio ad gloriam, quæ subsequitur justificationem. Deinde ait: *Nemo enim eligitur, nisi distans ab illo qui rejicitur:* in electione autem æterna nullus distabat ab alio, sed omnes in eadem eramus perditionis massa. Tertio dixerat paulo ante non esse electionem ex præscientia: *Non igitur ex præscientia voluit intelligi Apostolus factam electionem;* igitur dum ait electionem esse ex præscientia, de diverso electionis genere est exponendus. Si autem quæras, cur Augustinus *Electionis* nomen, quo proprie significatur æterna prædestinatio, usurpet ad demonstrandum prædestinationis effectum; tunc respondeo, adhuc fuisse ambiguum, num daretur varia Electio inter pares, & nondum diligentius distinxisse inter *Electionem* gratiæ, & *Electionem* justitiæ, ut animadvertit citato lib. Retract. 1. cap. XXIII. qua distinctione posita araneorum telæ sufflamine dissipantur.

24. Notandum de Vasquesio. Nota obiter Vasquesium, qui hoc argumento potissimum utitur, exponere Augustinum in aliis omnibus testimoniis de Electione ad gratiam, non ad gloriam

gloriam. Quare ergo hoc loco de prædestinatione ad gloriam Augustinum interpretatur? Ait Augustinus eadem Quæstione ad Simplicianum, paucis interjectis, prædestinatum fuisse Jacobum *liberalitate donorum Dei, non electione meritorum.* De qua Disputat prædestinatione? Si de Prædestinatione ad gratiam, quare Vasquesius detorquet verba Augustini ad solam gloriæ electionem? Si de Prædestinatione ad gloriam, cur non fatetur, hanc fieri citra omnem præscientiam meritorum? Sed lege Dionysium Petavium adversus Vasquez differentem lib. IX. cap. XIV.

25. Objectio 2. Opp. 2. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. XIX. asserit prædestinationem, de qua tractat, ad fidem pertinere: *Hoc scio*, inquit, *neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sacras defendimus, nisi errando disputare potuisse:* Gratuita prædestinatio ad gloriam non spectat ad fidem: Igitur Augustinus non disputat de gratuita ad gloriam prædestinatione.

Solutio. Resp. non deesse qui censent Augustinianam de Prædestinatione ad Gloriam sententiam pertinere ad fidem. Nam Patres Synodi Sardinienſis in fine libri de Incarnat. & Grat. id aperte testantur. Claudius Aquaviva in delectu quæstionum, de quibus scripsi pag. 264. affirmat hanc doctrinam communiter recipi in Scholis, tradi ab Ecclesiæ Patribus, & semper hujus prædestinationis oppugnatores male audivisse. Ab hac de Prædestinatione sententia Recentiores non sine periculo recedere, scribit ad annum 490. Baronius. De Bellarmino & Simoneto dictum supra. Posset ergo negari minor propositio. Responderi etiam posset spectare ad fidem, in quantum ex veritate irrefragabili, quod finalis perseverantia sit speciale donum gratiæ, ipsa prædestinatio gratuita ad regnum necessaria illatione consequitur. Sed ut nullum de alienis placitis proferamus judicium, dicimus spectare utique ad fidem gratuitam prædestinationem ad gratiam, & de hac etiam pertractare Augustinum; sed illam invictissime comprobare ex Divino proposito dandi gloriam, ex quo series omnis gratiarum præparatur Electis; ut argumentis præcedentibus demonstravi. Addunt quidam, Augustinum scripsisse traditam à se doctrinam pertinere ad fidem, quoniam eo tempore illam oppugnabant soli Semipelagiani.

Prætermitto quæ opponi solent ex libro VI. Hypognosticon, ex quæstione 68. inter LXXXIII. atque ex Propositione LV. in Exposit. Epist. ad Rom. Liber enim Hypognosticon falso tribuitur Augustino. Quæstiones LXXXIII. conscriptæ sunt ante Episcopatum, cum adhuc Semipelagianorum detineretur errore. Quæ vero traduntur laudata Prop. LV. retractantur lib. I. Retract. cap. XXIII.

CAPUT VII.

Utrum alii ab Augustino Patres hanc sententiam secuti fuerint?

SUMMARIUM.

1. De Patribus ante Pelagianorum hæresin scribentibus minus debemus esse solliciti.
2. Si de græcis loquamur Patribus, non debemus excipere auctoritatem origenis.
3. Veteres Patres ambiguis verbis scribentes commode possunt exponi.
4. Patres post Augustinum gratuitam prædestinationem apertissime docuerunt.
5. Et seqq. solvuntur objectiones.

UT de aliorum Patrum sententia certum proferatur judicium, necnon ad ipsorum intelligentiam latissima sternatur via; non abs re factum puto, si pluribus, brevissimis tamen theorematibus quæstionem istam resolvero.

I. Propositio I. Propositio I. De Patribus, qui scripserunt ante exortam Pelagianorum hæresim, minus debemus esse solliciti.

Probatur. Prob. verbis S. Patris lib. de Prædest. SS. cap. XIV. *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur?* Confirmatur hæc ratio exemplo ipsiusmet Augustini, qui antequam cum Pelagianis glorioſum iniret certamen, de prædestinatione non tam exquisite scripserat, ut vidimus capite superiori. Comprobatur etiam, nam Patres præcedentium sæculorum aut de gratia Dei quid sentirent breviter ac transeunter attigerunt, aut immorabantur disputando

do adversus alios inimicos Ecclesiæ, aut populum sacris concionibus ad virtutes & orationis frequentiam simpliciter hortabantur; ut scribit citato loco Augustinus.

2. Propositio 2. PROPOSITIO II. Si de Græcis loquamur Patribus, non debemus excipere auctoritatem Origenis

Probatio. Probatur: nam Origenes Pelagianam doctrinam in libris Periarchon aperte prædocuit: unde Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem: *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est.* Deinde Origenis opera, dato gratis, quod olim extiterint pura, ut aliqui autumant, interpelata tamen fuerunt à Rufino Presbytero Pelagianorum, ut appellant, Choriphæo. De S. autem Joanne Chrysostomo putat Vasquez Semipelagianis adhæsisse: sed tanti Patris doctrinam alibi ab erroris suspicione vindicabimus.

3. Propositio 3. PROPOSITIO III. Veteres Patres, qui verbis ambiguis de SS. prædestinatione tractarunt, possumus commode exponere, quamquam videantur alicubi à meritorum præscientia illam repetere.

Probatio. Et quidem primo accipere possumus præscientiam operum pro ipsa prædestinatione, ac præparatione Divina, sine qua neqeunt merita cogitari. Hinc S. P. lib. 2. de Prædest. SS. cap. XIX. ait: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Maluerunt autem usurpare nomen præscientiæ, quod & facilius intelligatur, & non repugnet veritati; & ne viderentur evertere libertatem, & sentire cum Manichæis, quorum tunc temporis nefaria hæresis grassabatur. Secundo modo possumus PP. exponere de prædestinatione considerata secundum ultimum ac principalem effectum, id est quantum ad executionem: uti explicavimus verba Evangelica: *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: esurivi enim, &c.* Rursus possumus illos Patres accipere de Electione ac prædestinatione, qua Deus intendit conferre gloriam tanquam mercedem ac præmium meritis comparandis per gratiam præparatam electis ex vi antecedentis propositi, ut diximus in solutione argumentorum, quæ adversus nos objiciuntur ex sacris literis. Denique exponere eos possumus dicendo, merita & gratiæ usum habere rationem causæ comparate ad nostram prædestinationem, sed causæ finalis, non efficientis ac meritoriæ, prout docet S. Thomas Quæst. XXIII. art. V. dicens: *Usus gratiæ prævisus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis;* quia nimirum ad hoc gratia confertur, ut ea bene utamur, quemadmodum scribit Apostolus, Deum nos elegisse ante mundi constitutionem, *ut essemus Sancti & immaculati.* Ad Ephes. cap. 1. 4.

4. Propositio 4. PROPOSITIO IV. Patres, qui floruerunt post Augustinum, gratuitam Prædestinationem apertissime tradiderunt.

Probatur. Recensebo nonnullos. S. Prosper ad object. Vinc. cap. 2. *Illi*, inquit, *cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad gloriam.* Fulgentius ad Monimum lib. 1. cap. 13. *Potuit sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Gregorius Magnus lib. 1. Dialogor. cap. 8. *Ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo dispositа, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando merentur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit dare.* Bernardus Serm. 78. n. 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostræ salutis tria esse quædam, quæ sibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis auxiliatores & cooperatores suos, prædestinationem, creationem, inspirationem.* S. Thomas Q. citat. ad 3. *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit non habet rationem, nisi Divinam voluntatem.* Idem docet Petrus Diaconus in l b. de Incarnat. & Grat. cap. 1. Primasius Episcop. Africanus in Epistolam ad Romanos cap. 5. Gregorius VII. in Psalmos Pœnit. S. Thom. de Villanov. Conc. III. de S. Joanne Baptista. Et alii apud Bellarminum lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. XI. Petavium lib. IX. cap. XVI. & Thomassinum lib. VIII. cap. 8. Idem tenent Gallicani Antistites in Concilio Valentino III. & præsertim Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epist. & quotquot Augustinianam probavere Sententiam, de quibus dixi in Præf.

Resolvitur ex dictis quæstio proposita. Etenim Patres qui floruerunt post hæresim Pelagianam, gratuitam prædestinationem eliquatissime tradunt: Alii autem vetustiores vel parem non habent in hac materia auctoritatem, ve possiunt commode exponi. Communi ergo traditione veritas hujus asserti firmatur.

Re-

RESPONSIO AD OBJECTA.

5. Objectio 1. Opp. 1. Veteres PP. exponentes verba Apostoli: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui, &c.* asserunt id esse dictum ex futurorum operum præscienria. Subscribunt ergo sententiæ repetenti prædestinationem ex meritis. Prob. ant. 1. ex Irenæo lib. IV. adversus hæres. cap. 38. ubi ait: *Ex futurorum præscientia dictum fuit, Jacob dilexi, &c.* II. ex Hieronymo in cap. 1. Malach. ubi pariter docet *dilectionem & odium Dei ex præscientia operum* proficisci. III. Ex Chrysostomo, qui Hom. XV. in Epist. ad Rom. cap. 8. scribit: *Qua igitur de causa hic amori, ille autem odio habendus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat.*

Solutio. Resp. nego ant. si de prædestinatione quantum spectat ad *intentionem* solummodo proferatur. Et ad primam probat. dico, utique ex præscientia futurorum dictum fuisse, *Jacob dilexi &c.* ut scribit Irenæus, quandoquidem Deus Præsciebat quid erat ipse facturus in Jacob per auxilium gratiæ suæ. Hieronymi super Malach. scribentis sensus est: *Deum diligere illum qui odit vitia, sed ut vitium odio habeat, efficit Deus ipse potentissimis Auxiliis.* Chrysostomus exponendus est de prædestinatione ad gloriam considerata sub ratione mercedis ac præmii, quo sensu utique meritorum prævisionem importat: sed hæc merita nusquam Chrysostomus negat præparari à Domino; imo id luculenter affirmat lib. 1. de Provid. & Hom. XII. super illud ad Corinth. VIII. *Quid habes quod non accepisti?* Itaque frequentissimam illam propositionem, *Gloria confertur ex præscientia meritorum*, ita distinguimus, ex præscientia meritorum, quæ inducant divinum propositum, nego: quæ ex Divino proposito deducantur concedo. Merita comparantur per gratiam: gratia confertur ex intentione dandi gloriam: gloria præparatur Dei beneplacito, ideoque hinc inferuntur merita, non merita Dei propositum antevertunt. Vide Resp. ad 1. cap. IV.

6. Objectio 2. Opp. 2. Joannes Damasc. exponens ea verba Apost. ad Roman. IX. *An non habet potestatem figulus, &c.* inquit: *Non ipse Deus honorabilia, aut ignominiosa struit vasa, sed propria uniuscujusque electio.* Et lib. 2. de Fide scribit: *Secundum præscientiam suam præjudicavit omnia Deus.*

Solutio. Resp. priori loco Damascenum non agere de æterna prædestinatione, sed de præsenti merito bonorum operum, per quæ reddit quisque semetipsum vas honorabile Electione voluntatis suæ: sed hæc voluntas debet à Domino præparari, quod Damascenus minime negat. Alterum testimonium accipiendum est de prædestinatione in ordine *executionis*; nam paucis interjectis ait: *Deum prædestinare aliis præmium secundum bonitatem suam, aliis supplicium secundum justitiam suam.* Adde Joannem Damascenum eodem lib. II. cap. 30. docere προγνωσιν, id est *præscientiam* esse eorum, quæ libere à nobis fiunt, etiamsi fiant Divina præordinatione: προορισμὸς vero, id est *prædestinatio* non liberam Electionem finis per Damascenum significat, sed τὸ ἐξ ἔργον προοριζόντος, *Electionem & opus præscientis:* ac propterea *prædestinationis* nomine Damascenus significat prædestinationem in *executione*, & nomine *præscientiæ* prædestinationem in *intentione.*

7. Objectio 3. Opp. 3. S. Hilarius in Psalm. 64. hæc scribit: *Non res indiscreti judicii Electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est.*

Solutio. Resp. beatum Hilarium Electionis & discretionis vocabulo non intelligere propositum æternum Dei, sed temporalem assumptionem, qua homo ad uberiorem gratiam, vel gloriam eligitur, ut diximus Cap. præced. de Augustino scribente ad Simplicianum. Nam eligere secundum vocis etymon non est præordinare, sed ex pluribus unum legere atque actu carpere. Exponit autem Hilarius versum illum Psalmi: *Beatus, quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Hæc utique assumptio, hæc electio supponit merita; sed hæc merita ab omnium gratiarum largitore pro suo beneplacito præparantur.

8. Objectio 4. Opp. 4. S. Prosper ad XII. Object. Vincent. ait: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reversuri.*

Solutio. Resp. prædestinationem dupliciter accipi. 1. Quantum ad Divinum propositum, ut in illis Apostoli verbis: *Quos præscivit & prædestinavit, &c.* II. Quantum ad manifestationem & signum; ut de Christo Domino apud eumdem Apost. *qui prædestinatus est filius Dei*, scilicet *manifestatus.* Itaque distinguo & explico verba D. Prosperi: Et Sanctus Doctor accipiendus est de prædest: quatenus est electio, & præordinatio divina, nego: quatenus est signum ac manifestatio divinæ præordinationis, concedo. Eodem modo exponendum est vulgare illud proloqui-

um, quod circumfertur tanquam Auguſtinianum: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris*; nempe, ſi malis operibus oſtendis impium ac reprobum temetipſum, ſatage ut te manifeſtes converſione & exemplo electum ac ſanctum. Cæterum Proſperum gratuitam prædeſtinationem fateri conſtat ex 1. Reſp. ad Ob. Gallorum, & ex univerſis ejus operibus, ubi Auguſtini inſiſtens veſtigiis, docet quomodo ſpectet ad inſcrutabile Dei judicium quod unus, non alter eligatur,

Nec diſcernantur merito qui munere diſtant,

ut inquit in Carmine de ingratis.

9. Objectio ultima. Opp. ultimo: S. Fulgentius lib. 1. ad Maximum cap. 24. ſic loquitur: *Prædeſtinavit ad ſupplicium quos à ſe præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros: prædeſtinavit ad regnum quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros:* Ex quibus verbis ſic arguitur. Ex Fulgentio prædeſtinatio ad gloriam ſe habet quemadmodum prædeſtinatio ad pœnam: Prædeſtinatio ad pœnam ſupponit prævisionem meritorum: Igitur & prædeſtinatio ad gloriam.

Solutio. Reſp. diſt. ma. Prædeſtinatio ad gloriam ſe habet quemadmodum prædeſtinatio ad pœnam, in ordine *executionis*, conc. in ordine *intentionis*, nego. Reſponſio conſtat ex dictis. Certe Fulgentius prædeſtinationem ratione intentionis præcedere docet præſcientiam meritorum, cum alibi, tum libro de Fide ad Petrum cap. 3. ubi ait: *Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita bonitate ſua prædeſtinavit ad REGNUM.*

CAPUT VIII.

Eſſe gratuitam prædeſtinationem rationibus quoque Theologicis conſentaneam.

SUMMARIUM.

1. Gratuita prædeſtinatio etiam rationibus probatur. 2. Et ſeqq. ad contraria argumenta reſpondetur.

NE quis dicat Auguſtinianam doctrinam ſolummodo auctoritate niti, accedit ſequens.

1. Propoſitio. PROPOSITIO: Gratuita prædeſtinatio rationibus comprobatur:

Probatur 4. argumentis. Ex plurimis, quæ poſſent produci, quatuor tantum argumenta, eaque ex dictis notiſſima, nunc proponam. Sit primum: Divina voluntas homines in perditionis maſſa exiſtentes ad gloriam prædeterminans eſt voluntas abſoluta, efficax, & omne meritum antecedens: Ergo prædeſtinatio eſt pro hoc ſtatu gratuita. Probo ant. Voluntas conferendi media quæ efficaciter perducant ad finem, ſupponit voluntatem efficacem & abſolutam ejusdem finis: Media quæ Deus hominibus lapſis largitur, ut conſequantur ſalutem, ſunt ab intrinſeco efficacia, & infallibiliter ad ſalutem perducunt: Ergo ſupponunt abſolutam & efficacem voluntatem ejusdem ſalutis. Minor propoſitio certa ſupponitur, & probanda eſt de Gratia Chriſti, quam pro hoc ſtatu omnes Auguſtini diſcipuli efficacem ptopugnant, & præſertim ad perſeverantiam finalem, quæ non donatur niſi prædeſtinatis: vide interim Arg. III. Cap. v. II. Merita quibus ad gloriam pervenitur ſunt prædeſtinationis effectus, efficiuntur namque per gratiam, quæ prædeſtinatis confertur eo fine ut gloriam adipiſcantur; Ergo hæc merita nequeunt habere rationem cauſæ reſpectu prædeſtinationis. III. Prædeſtinationis myſterium inſcrutabile eſt, & in altitudinem refunditur divinorum judiciorum. Non ergo pendet ex meritorum præſcientia, & ex libero humanæ voluntatis arbitrio. IV. Deus prædeſtinat quamplures, qui, ſi illorum ſpectentur merita, criminibus obnoxii ſunt atrociſſimis, quales fuerunt olim vas Electionis Paulus Apoſtolus, Maria Magdalena; felix Latro, magnus Auguſtinus, Joannes Mantuanus, Francus Senenſis, Margarita de Cortona, aliique permulti. Igitur non attendit Deus, *qui mel producit de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*, merita hominum, ut inſerat oleaſtrum in bonam olivam, & fingat ex luto vaſa honoris: ſed ipſe futura bona opera præparat, ut in illis ambulemus; &c.

AD CONTRARIA ARGUMENTA RESPONSIO.

2. Opponitur 1. Opp. 1. Poteſt quis efficaciter velle finem, etiamſi ponat talia media, quæ ſufficiant ad finem conſequendum, niſi aliun-

aliunde impediantur; sive postea sequatur effectus, sive non sequatur. Aegrotus enim & medicus volunt efficaciter sanitatem, dum ponunt media, quæ illam præstare valent, tametsi quandoque sanitas non habeatur. Potest ergo etiam Deus velle nobis gloriam per modum finis, licet media conferat non efficacia, sed duntaxat sufficientia, talia nimirum, quibus si bene utamur, gloriam consequi possimus.

Solvitur. Resp. nego ant. Etenim voluntas finis non est efficax, quando media ad consecutionem finis necessaria efficacia non sunt. Atque exemplum medici & ægroti in adversarios retorquetur: nam si medicus certo cognosceret medicinam talem esse efficacem, eamque in sua haberet potestate, illam proculdubio exhiberet infirmo, quem efficaciter vellet sanum fieri. Igitur si Deus velit efficaciter gloriam prædestinatis, neque desunt ei certissima remedia liberationis, scilicet gratia victrix, ac perseverantia finalis, media istiusmodi Electis nequaquam denegat.

3. Opponitur 2. Opp. 2. Merita hominis lapsi, excepta finali perseverantia, non sunt medium efficax ad gloriam; Ergo etsi Deus operetur in nobis merita nostra per auxilium efficacis gratiæ, non sequitur esse eadem merita prædestinationis effectum.

Respondetur Resp. quod eo ipso quod finalis perseverantia effectus est prædestinationis, ipsa prædestinatio non fit ex præscientia meritorum: siquidem prædestinare ex præscientia meritorum, est prædestinare præsertim ex præscientia finalis perseverantiæ. Nam nisi quis prævideatur perseveraturus usque in finem, quomodo meritorum intuitu eligeretur ad gloriam? At perseverantia finalis effectus est prædestinationis ad gloriam; & consequenter prius est ratione nostra hominem esse prædestinatum, quam prævideri perseveraturum usque in finem. Ergo concedo totum argumentum; quum sæpenumero multi sint vocati, & justificati, in quibus nisi sit præparatum donum perseverantiæ, neque vocatio, neque justificatio sunt effectus prædestinationis; & illis tantum qui sunt prædestinati, datur donum perseverantiæ: *Hæc utique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis (in quibus donis est & incipere credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare) hæc inquam Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus:* S. P. de dono Persev. cap. XVII. vide Cap. v. Arg. III.

4. Opponitur 3. Opp. 3. Qui prædestinationem gratuitam asserunt, incidunt necessario in illud dilemma, ex quo nunquam sese expedient: Aut prædestinatus sum, aut reprobatus: Si prædestinatus, consequar, quidquid fecero, præparatam beatitudinem: si autem sim reprobatus, damnabor certissime. Quod incommodum in adversariorum sententia vitatur: quapropter verior hæc est, atque rationabilior.

Solvitur. Resp. nego ant. Nam, ut diximus, quamquam Deus homines gratis eligit, non vult tamen dare gloriam adultis nisi ut mercedem & coronam justitiæ: gratis enim eligit ad gloriam obtinendam per merita; ita ut merita connotent prædestinationis *objectum*, non *motivum*; Quare Prædestinationis actus gratuitus quidem est, sed *objectum*, ut inquiunt, *oneroſum*. Neque dicas fieri non posse, ut actus prædestinationis sit liberalis intentio, complementum vero non exigat meritorum conditionem. Cum enim hæc merita comparentur per gratiam beneplacito Divino collatam, non tollunt liberalitatem prioris intentionis, ut explicatum est Cap. IV. in Resp. ad 1. Hujusmodi argumentum ex Semipelagianorum latebris erupit, ut scribit in Epist. ad Augustinum beatus Prosper. At S. P. lib. de Dono Persev. cap. XV. sic illud in Adversarios contorquet: *Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur: si autem malos, mali erunt in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter hujusmodi causas ea, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda: tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?* Nimirum tenentur adversarii eidem respondere argumento, cum tam sit certa & invariabilis Dei præscientia quam ipsi negare non audent, quàm Dei prædestinatio, quam nolunt fateri. Ac multo magis retorquetur argumentum de gratia congrua, quam recentiores excogitarunt.

5. Argumento rustico rustica responsione satisfit. Appellatur præfatum argumentum *Rustici*, cui rudibus quoque exemplis est respondendum, E. G. aut hac infirmitate morieris, aut non: cur ergo ad sanitatem uteris medicamentis? Certa est futuri anni segetum copia: quare seris & occas? Vel manus afferent fures, vel parcent tabernæ foribus, & quid invigilas mercimoniis? Tentanti diabolo simplicem quoque Anachore-

tam ferunt respondisse: sum aut Electus, aut reprobus; frustra ergo me ad peccandum sollicitas, insidiasque moliris. Vide Cæsarium lib. 1. c. 27. Itaque operibus bonis incumbendum est: nam Deus misericors est simul, ac justus; & licet nos præveniat ut misericors Pater, reddet tamen coronam ut justus Judex.

6. Opponitur 4. Opp. 4. Non est Dei voluntas irrationalis: debemus ergo aliquam ipsius causam assignare.

Solvitur. Resp. seclusa consideratione meritorum dari causam prædestinationis, si consideretur absolute, & hanc esse, *ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ:* at si prædestinatio accipiatur comparative, id est, si quæras, cur ex eadem massa unum eligat, non alterum, quam causam inquiris præter Divinam voluntatem ac potestatem? *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ita respondet Apostolus ad Rom. IX. *Contra istam veritatis tam claram tubam quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas?* S. P. Augustinus De Dono Persev. cap. VII.

Addo argumentum, si quid habet roboris, evertere etiam *prædestinationem ad gratiam.*

7. Opponitur 5. Opp. 5. Si Deus unum præ alio eligeret absque meritorum intuitu, esset personarum acceptator: Ergo &c. Prob. ant. Acceptator personarum ille dicitur, qui æqualibus inæqualia dispensat: At Deus in sententia hac nostra æqualibus, nempe in eadem massa constitutis, inæqualia præberet ac præpararet, uni scilicet gratiam finalis perseverantiæ, alteri auxilium tantum sufficiens; illi gloriam, huic gehennam. Igitur esset acceptator personarum.

Respondetur. Resp. nego seq. ad prob. dist. ma. Acceptator personarum ille est, qui æqualibus inæqualia largitur, & alicui debitum fraudat, concedo: Si nulli fraudet debitum, sed ex misericordia det uni quod ei non debetur, & ex justitia reddat alteri quod debetur; nego quod sit personarum acceptator. *Acceptio personarum* (ait S. P. lib. 2. ad Bonif. cap. 7.) *ibi recte dicitur, ubi ille qui judicat relinquens causam meritorum, de qua judicat alteri, contra alterum suffragatur: quia invenit aliquid in persona quod honore vel miseratione dignum sit. Ubi autem est commune delictum & nullum meritum, acceptio personarum nequit esse.* Affert ibidem S. Pater exemplum duorum debitorum, quorum uni creditor remittit debitum, ab altero autem exigit: idque absque ulla inquitate & acceptatione personarum. Videte in lib. de Dono Persev. cap. VIII. explicationem parabolæ Matth. XX. ubi paterfamilias querulo cuidam operario dixit: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Legite & in Epist. ad Sixtum exemplum parvulorum, *in quibus Pelagiani hujus argumentationis vires perdunt.* Scisitamini demum, an sit acceptatio aliqua personarum uni gratiam *congruam* largiri, & illam alteri denegare?

8. Opponitur 6. Opp. 6. Prædestinatio juvatur precibus & orationibus Sanctorum: Aliquam ergo habet causam.

Solutio. Resp. dist. ant. Juvatur Sanctorum precibus quantum ad *consecutionem.* effectus, conc. quantum ad *intentionem.* conferendi gloriam, nego.

9. Opponitur ultimo. Opp. ultimo: Gratuita prædestinatio destruit libertatem: non est igitur defendenda. Prob. ant. Si prædestinatio est gratuita, decretum Divinum antecedit omnem actum voluntatis creatæ, eam prædeterminat, & salus consequitur infallibiliter & ex necessitate: neque obsistere potest voluntas, alias posset frustrari ipsum Divinum decretum, quod est omnino immutabile.

Respondetur. Ad argumentum istud cusum, ut constat ex dictis cap. 5. arg. II. in officinis Massilienses, respondeo, nego ant. ad prob. dist. antecedens. Decretum Divinum antecedit ac prædeterminat voluntatem creatam prædeterminatione, qua inspirando Sanctam delectationem vehementem quidem, & corda trahentem, sed nullum necessitatis vinculum imponentem libertati, Deus facit ut faciamus, ut in præceptis ejus ambulemus, ut vitemus peccata, à quibus liberum est abstinere; concedo antecedens. Decretum Divinum antecedit, ac prædeterminat voluntatem creatam, prædeterminatione, qua aut se facie ad faciem manifestando, aut plenissima boni delectatione trahendo, aut externa vi compellendo reluctantes, Deus liberum arbitrium necessitate constringat; nego antecedens. Doctrina est Adversariorum nostrorum, præscientiam, quamquam antecedens est, non tollere libertatem, quia nihil efficaciter in hominum arbitrio operatur: & constans est assertio nostra, Prædestinationem & decretum Dei efficax libertatem non evertere,

tere, sed perficere, quia ita efficaciter per inspirationem charitatis operatur, ut cum indifferentia, & potestate ad oppositum eidem liberum arbitrium cooperetur; quemadmodum explicavi postremo capite lib. IV. & repetam differens de libero arbitrio, & exagitando Hæresim Pelagianam.

CAPUT IX.

Argumenta, quibus permotus Petavius Augustinianam retractavit sententiam, eodem Auctore solvuntur.

SUMMARIUM.

1. Solvitur argumentum Petavii desumptum ex lingua græca.
2. Satisfit argumento ex Apostolo desumpto.
3. Et seqq. Enervantur objectiones cæteræ, tum ex consuetudine scripturarum, tum aliunde allatæ.

GRAVISSIMUM clarissimumque Theologum Petavium decimo Theologicorum Dogmatum libro Augustinianam de prædestinatione retractavisse sententiam, quam præcedenti egregie propugnaverat, jam in præfatione præmonui. Ne quis id factum arbitretur rationibus invictissimis, quamquam munivi satis Scholarum nostrarum assertum, ad uberiorem notitiam argumenta Petavii referam quam brevissime, neque alio Magistro, quam Petavio ipso, refellam.

1. Solvitur argumentum Petavii desumptum ex lingua græca.

I. Libro X. cap. I. num. 3. ait verbum ὁρίζειν, significare aliquando prædestinationem citra merita, & usum voluntatis: unde eo verbo utitur Apostolus ad Rom. cum de Christo loquens dicit, *prædestinatum esse filium Dei in virtute.* At verbum προορίζειν non absolutam Dei voluntatem designat, sed eam, quæ supponit singulorum merita; nam in IV. Act. Apost. ubi legitur de nefario Judæorum facinore: *manus tua & consilium tuum decreverunt fieri;* ibi est verbum προώρισε: idem scilicet cum priori sola addita propositione. Nullus igitur sanus ac sobrius ex illis verbis potest liquido judicare, qualis sit Sanctorum prædestinatio.

Resp. lib. IX. cap. I. num 2. ait Petavius: *Itaque quod* ὁρίζειν *Græce scriptum est in loco illo primi ad Romanos Capitis;* Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, *Latinus noster vertit, quasi esset* προορισθεὶς *ut est in nono capite,* Quos præscivit & prædestinavit. Atqui loco illo primi capitis significatur prædestinatio citra præscientiam meritorum: Igitur verbum προορίζειν, non significat decretum; cujus causa pendeat ex hominum voluntate, atque ex humano arbitrio rationem, & originem habeat sui. Præterea, ut seq. num. dicam, juxta Petavium Apostolus verbo illo προορίζειν significat prædestinationem ad legem atque Evangelium: quæ proculdubio est citra humanorum meritorum præscientiam: itaque eodem verbo designatur sola gratuita prædestinatio. Neque contrarium evincunt verba Act. IV. 27. cum referantur ad Redemptionem humani generis sola Dei voluntate prædefinitam, non ad Judæorum, vel Gentilium nefarium facinus; ut vidimus lib. IV. cap. 7. Sed hæc perlevia sunt, & tam verbum, ὁρίζειν, quàm προορίζειν solam prædestinationem significare concedimus: sed Apostolus loquitur de prædestinatione κατὰ πρόθεσιν, *secundum propositum*, versu præcedenti; & de ea, per quam: *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, seq. cap. IX. v. 18.

2. Satisfit argumento ex Apostolo desumpto.

II. Observat Petavius Apostolum in Epist. ad Romanos exemplo Jacob & Esau velle tantum ostendere vocationem ad legem & Evangelicam gratiam, quæ utique est ex sola voluntate Dei. Sed minime sequitur, ex solo Dei proposito homines eliguntur ad gratiam; ergo & gratis prædestinantur ad gloriam: quemadmodum non sequitur, Judas electus est ad Apostolatum: igitur est etiam prædestinatus ad regnum. Ita ratiocinatur Lib. X. cap. I. n. V.

Resp. lib. IX. cap. XII. n. 3. ait Petavius: *Quod ad Romanos scribens Apostolus breviter accurateque verbis istis explicat:* Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. *Hoc vero non minus in justitia, quàm æterna gloria consistit.* Et paucis interjectis, *Elegisse Deum asserit suos, ut Sancti sint & immaculati; tum ut adoptivi sint per Christum filii, non qualicunque modo, sed ut perfectam in se Dei, ac Christi similitudinem referant. Id enim filiorum natura postulat.* Quod Petavius probat non ex solo Augustino, sed luculentissimis Scripturis, & Veterum testimoniis: & concludit prædesti-

nationem, de qua loquitur Apostolus, perinde Sanctitatem & gratiam, ac salutem & gloriam importare. *Nam utraque nos Deo similes facit: utraque simul à massa damnata liberat.* Hæc Petavius. Loquitur ergo Apostolus de prædestinatione ad legem, & gratiam Evangelicam, & simul ad gloriam; & ex una infertur alia, non in singulis qui credunt & vocantur, sed in his qui sunt prædestinati *conformes fieri imaginis filii Dei.* In qua prædestinatione non comprehenditur Judas: & ideo non sequitur, Electus fuit ad Apostolatum; Ergo & ad regnum. In prædestinatione enim gratia & æterna felicitas colligantur; quoniam illa confertur electis ex certo Dei consilio & proposito dandi æternam felicitatem. At proditoris Judæ vocatio nullum habuit ad æternam gloriam ex Divino proposito ordinem ac respectum: ut erudite Petavius sequenti num. IV.

3. Solvitur argumentum ex consuetudine scripturarum.

III. Ex consuetudine, inquit, Scripturarum odium Esau nonnisi minorem significat dilectionem. Neque Dei propositum quod commemoravit Apostolus absoluto suffragatur decreto. Aliorsum enim trahuntur hæc verba etiam ab ipsomet Augustino lib. I. Q. 2. ad Simplic. antequam ad alteram desciscret opinionem. Explicandum est ergo Dei propositum cum prævisione voluntatis ejus, qui eligitur. Ita lib. X. cap. I. num. VII.

Resp. Scripserat ibidem paulo ante Petavius: *Uti Jacob nullis suis meritis Divinum favorem obtinuit, fratri ut sao anteponeretur; quo ex favore & gratia promissam Palestinæ regionem pinguem & uberem est adeptus: Esau verò nullis item meritis suis hoc infortunio percussus est, ut sterilem & incultam solitudinem possideret. Sic & Judæorum olim populus nullis suis officiis hanc à Deo gratiam emeruit, ut legis, Sacramentorum, ac regni Dei compos & hæres esset.* Igitur etiamsi Esau, ac reprobi à Deo aliquo diligantur amore; nam & ipsis plurium gratiarum dona impertitur: etiamsi dicas Esau probabiliter salvum cum Estio, Platelio, aliisque, parum id refert. Ratiocinatur Apostolus procedens de literali sensu ad mysticum: Jacob nullis meritorum officiis electus fuit ad uberrimam regionem Palestinæ; Nulla ergo prævisione meritorum prædestinantur electi ad cælestis Jerusalem possessionem, cujus typum gerebat terra Chanaan. Augustinum in lib. I. ad Simplic. loqui de sola electione consequente demonstrat Petavius lib. IX. cap. XIV. probatque eo loco gratuitam prædestinationem magnopere adjuvari. Qua ergo fronte scribit Augustinum ab opinione, quam tenuerat desciviſse, notata in margine quæstione ad Simplic. 2. Illa duplici *electione*, quam Petavius maxime probat lib. IX. cap. XII. n. VII. Græcorum Patrum, & Augustini ad Simplic. sensa explicantur. De Vasquesio hujus loci præsidium sibi advocante, *Quid aliud* (scribit Petavius citato cap. XIV. n. XI.) *quàm non expendisse verba illa Augustini, Vasquesium, aliosque putandum est*? Vide num istorum albo sese præclarissimus Scriptor accenseat.

4. Objectio 4.

IV. Massam luti, ex qua figulus pro sua potestate fingit vasa honoris & contumeliæ, Augustinus absoluti decreti propugnator accipit pro multitudine hominum peccato contaminata, sed ex adverso stat Chrysostomus Hom. 16. in Epist. ad Rom. pag. 142. Hieronymus in Epist. 150. ad Hedibiam. Ita Commentator Ambrosii, Origenes, Tertullianus, Methodius, Theodoretus, & alii, qui docent totum inter vasa discrimen petendum ex hominum voluntate. Ita lib. X. cap. I. num. IX. & seq.

Solutio.

Resp. Affirmat Petavius lib. IX. cap. VI. n. I. cum de gratia, vel electione ac prædestinatione disputandum est, majorem haberi rationem Latinorum Patrum, quam Græcorum, atque inter illos principem consensu Theologorum esse Augustinum, propterea quod hæresis Pelagiana magis aliquanto Latinam, quàm Orientalem exercuit Ecclesiam, & adversus illam acerrime Augustinus pro Catholica Fide pugnavit. Cur ergo Augustino cæteros præfert? Cap. XVI. num. II. ait Hieronymum in Epist. ad Hedibiam *Apostoli verba minus commode interpretatum.* Sed manifestum est loqui Hieronymum de electione consequente, & de prædestinatione *quæ liberum servat arbitrium.* Eodem cap. num. I. demonstrat Petavius Ambrosium sententiæ Augustini minime refragari; quod eodem momento Deus prædestinatos elegerit, & decreverit pro meritorum magnitudine majorem, minoremve mercedem. Addit, quod eruditis omnibus compertum est, præcitatos Commentarios non esse Ambrosii. Divum Joannem Chrysostomum nobis adversari revera arbitratur Petavius: sed tamen hunc aliosque debemus accipere de electione, qua unus præ alio assumitur, præsertim cum Chrysostomus rejiciat scientiam, quam vocant conditionatam, auctore ipso Petavio cap. III. num. IX. Sed de Patrum cum

Augu-

Augustino consensu dixi superiori cap. VII.

5. Objectio 5

V. Quæ scribit Apostolus ad Ephes. I. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate;* Augustinus ad prædestinationem retulit. Sed Paulus de sola electione intelligendus est, quam ipse declarat, dicens, *ut essemus Sancti*; quod facit & in cap. 8. ad Romanos scribens: *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*: quæ verba de sola electione ad fidem prolata frustra pro absoluto decreto, quo & gratia & gloria nectuntur, solent obtendi. Ita lib. x. cap. I. n. XIV.

Responsio.

Resp. Hæc sunt verba Petavii lib. IX. cap. XII. n. 3. *Hinc ab eodem Apostolo scriptum est alibi:* Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate: *Mox vero:* Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. *Elegisse Deum asserit suos, ut Sancti sint, & immaculati: tum ut adoptivi sint per Christum filii, non qualicunque modo, sed ut perfectam in se Dei ac Christi similitudinem referant. Id enim filiorum natura postulat . . . . Joannes vero perfectam cum Deo similitudinem (quam filiorum naturam conditionemque propriam esse dixi) sic in futura vita pollicetur, ut in hac interim esse nos Dei filios asseveret: Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Hactenus Petavius. Itaque electio, de qua Apostolus ad Ephes. I. & ad Rom. VIII. ex mente Petavii est gratuita: Hæc electio est ad perfectam Christi similitudinem, quam nobis Joannes pollicetur in futura vita: Ergo electio ad perfectam similitudinem Christi in futura vita obtinendam est gratuita.

6. Objectio 6.

VI. Apostolus electionem refert ad incomprehensibilia judicia Dei, ad Rom. XI. 33. Electio autem ad gloriam non spectat ad incomprehensibilia judicia Dei, in Scripturis enim Deus patefecit, quod pro eo ac quisque gessit in corpore recepturus est in judicio. Igitur de electione ad fidem, & ad Christi notitiam intelligendus est D. Paulus: nam hujus electionis causa nemini comperta est.

Solutio.

Resp. Hæc habet Petavius lib. IX. cap. VIII. num. IV. *Sit enim verior illa sententia, quæ Deum mortales omnes salvos esse velle definit, ex eoque decreto sufficientem omnibus ad illam adipiscendam vim & auxilium sufficere: postea, ut quisque concessis sibi adjumentis uti voluerit, aut noluerit, ita eligi vel reprobari: tum profecto si quis iniquum id esse Dei arbitrium causari vellet, non exceptione ac perscriptione illa summovendus esset adversarius, qua usus est Apostolus, nec arcanorum Dei judiciorum altitudo commovenda: sed recta & facilis esset illa defensio, ac communibus hominum sensibus aptior; ideo justam esse Dei in utramque partem sententiam, quod & illos qui invitati paruerint ad cæleste convivium admiserit, & eos qui perinde vocati renuerint excludendos censuerit.* Salvatur ergo in Augustiniana Sententia, auctore Petavio, arcanorum judiciorum impenetrabilis altitudo. Vide cap. VIII. in Resp. ad IV.

7. Objectio 7.

VII. Universæ viæ Domini sunt, ut habetur in Ps. 24. *misericordia, & veritas.* Ubi de misericordia agitur, non est locus inquisitioni meritorum, nec repetuntur rationes; quod ex Sacris literis accepimus pertinere ad vocationem & gratiam: sed vicissim Scripturæ ipsæ nos docent, gloriam meritis Sanctorum ex justitia deberi. Id nos admonet Paulus 2. ad Corinth. 9. & 2. ad Timot. 4. Id Parabolæ patrisfamilias conducentis operarios in vineam, & illius qui peregre abiturus pecuniam servis distribuit. Id forma judicii à Matthæo cap. XXV. descripta, & alia fere innumera, quæ studiose collegit Lessius. Ita lib. x. cap. II.

Responsio.

Resp. Legimus apud Petavium lib. IX. cap. XII. num. 2. *Deum itaque putandum est selectis illis & eximiis, quos ex infecta primi parentis scelere massa liberavit, æternam salutem haud absolute destinasse; sed modo quodam ac via comparandam. Non enim gratis, ac tanquam liberale aliquod munus hanc illis decrevit dare; sed ut bravium ac merces bonorum esset operum iis, quibus per ætatem sic assequi liceret. Nam de parvulis, quos ante usum rationis*

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo,

Aliter existimandum est. Docet consequenter per Augustinum gloriam esse coronam justitiæ, & tamen prædestinationem ad gloriam Dei esse ex beneplacito; quoniam Divina voluntas non est de salute electorum simpliciter, sed simul & pro indiviso gloriam & gratiam dare constituit, ita ut adjumentorum series, quibus ad merita & Sanctitatem adducimur, nobis ex Divino proposito conferantur. Addit n. VI. adversarios nostros

noſtros in quadam latebra captionis verſari, & gratuiti vocabulum ab objecto ad Deum agentem transferre. Quare ambæ viæ Domini, miſericordia & veritas, in Auguſtiniana doctrina late patent; & aurea quadam catena beneficia connectuntur miſericordiæ, & retributiones juſtitiæ. Miſericordia Domini eſt, quod nulla ex nobis occaſione captata aliquos eligat, & omnem ſeriem præparet adjumentorum: juſtitia vero, quod meritis vitam æternam rependat. Sed de his actum à nobis quinto Capite. Tranſit deinde Petavius ad prabandam generalem in Deo voluntatem ſalvandi omnes, & Salvatoris noſtri pro ſingulis hominibus mortem: quæ duo nos absque præjudicio gratuitæ prædeſtinationis fatemur eſſe certiſſima.

Prætermittendum non eſt, Auguſtini à veteribus Patribus diſſonantiam objectaſſe primum Semipelagianos, deinde eam aſſeruiſſe in Annalibus Belgicis Hugonem Grotium, & lib. VII. Hiſtoriæ Pelagianæ Gerardum Voſſium, poſtea ſolemniſſimum incentorem Joannem Launojum. At omnium jacula retundit ipſemet Auguſtinus in lib. de Prædeſt, SS. cap. XIV. & cuique horum reſpondet in vulgatiſſimo Epigrammate beatus Proſper:

Te ſtylus iſte
Conficit, & verbis perderis ipſe tuis.

CAPUT X.

Chriſti merita noſtræ prædeſtinationis eſſe cauſam.

SUMMARIUM.

1. Fit ex Chriſti meritis prædeſtinatorum electio

2. 3. Solvuntur duæ objectiones.

De cauſa noſtræ Prædeſtinationis.

SALVARI omnes prædeſtinatos beneficio mortis Chriſti nemo Catholicorum in dubium vertit. Solus enim propter ſalutem noſtram Crucis patibulum ſubiit

Eripiens quidquid veteris migraverat hoſtis
In jus, per noſtrum facinus, cum fœmina prima
Præceptum ſolvens culpa nos perpete vinxit.

Inquit Carmine XVI. Apollinaris Sidonius. Illud tantum quæritur, an Electionis Sanctorum merita Chriſti cauſa fuerint, an vero illam ſint ſubſecuta, ut diximus de illorum auxiliorum complexu, quibus pervenitur ad gloriam; & quæ cauſa ſunt meritorum, ſed electionem ac propoſitum Dei conſequuntur.

1. Propoſitio.

PROPOSITIO, Fit ex Chriſti meritis prædeſtinatorum electio.

Tradit hanc propoſitionem Apoſtolus, qui in Epiſt. ad Epheſ. cap. I. ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Conſtat etiam ratione: nam Chriſtus nobis promeruit omnes prædeſtinationis effectus, id eſt gratiam, juſtificationem, ac finalem perſeverantiam, dicente eodem Apoſtolo: *Creati ſumus in Chriſto in operibus bonis, ut in illis ambulemus.*

2. Objectio I.

Opp. 1. Ipſe Salvator eſt prædeſtinationis noſtræ exemplar lumenque præclariſſimum, ex Auguſtino cap. XV. de Prædeſt. SS. Sed prædeſtinatio Chriſti eſt omnino gratuita & reſpectu ſuipſius, & reſpectu alterius: Ergo & noſtra.

Solutio.

Reſp. diſt. majorem Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis noſtræ, ita, ut ille ſit mediator Dei & hominum, primogenitus prædeſtinatorum & Caput Eccleſiæ, nos vero filii adoptivi, palmites, & membra; conc. Ita, ut pares ſimus dignitate, neque nos ab illo redemptionem, gratiam, ac ſpiritualem vitam participemus, nego. Sed vide cap. VI. arg. ult.

3. Objectio.

Opp. 2. Mors Chriſti & meritum ipſius medium eſt, quo ſalutem conſequimur: Sed, ut dictum ſupra, Deus, ratione ſaltem noſtra, prius vult finem, quàm media: Voluit ergo prius ſalutem hominum, quàm mortem Chriſti, & conſequenter hæc nequit eſſe prædeſtinationis noſtræ cauſa ac motivum.

Solutio I.

Reſp. Principio Deum prædeſtinaſſe numerum Electorum etiam permanente ſtatu innocentiæ, ut ſcribit S. P. lib. XIV. de civit. Dei cap. X. Deinde quantum ſpectat ad creaturam innocentem, quoniam hæc indigebat ſola gratia verſatili, decretum tulit Angelos homi-

hominesque salvandi conditionatum, non efficax. Ad hæc cum prius vellet ostendere quid posset liberum arbitrium, deinde beneficium gratiæ suæ; permisit innocentem creaturam delinquere. Definivit postmodum Incarnationem æterni Verbi ad reparandum humanum genus, oblatumque pretium mortis suæ pro universorum redemptione suscepit. Voluit denique ex redemptis hominibus, & in jus hæreditatis misericorditer restitutis, instaurare numerum prædestinatorum, à quo per liberum arbitrium homo prævaricator exciderat: atque ut superabundaret gratia, ubi abundavit delictum, non solum voluit, quod possint omnes salvari, sed certos statuit liberandos à perditione, quibus beneficia specialissima præparavit. Ita mors Christi, ejusque meritum est causa nostræ prædestinationis, non quidem quatenus Deus determinavit numerum Electorum, sed quatenus hunc numerum ex hominibus à Christo redemptis voluit efficaciter instaurare. Igitur distinguo consequens: Deus prius voluit mortem Christi, quàm numerum prædestinatorum, nego consequentiam: quàm instaurationem hujus numeri, concedo.

Resp. 2. Deum voluisse hominum redemptionem, & propter hanc decrevisse Incarnationem Verbi: deinde vero ex redemptis hominibus aliquos prædestinasse, & intuitu passionis Christi his auxilia efficacia præparavisse. Habent ergo Christi merita rationem medii, si comparentur ad redemptionem humani generis: & rationem causæ, si referantur ad absolutam electionem aliquorum ex numero Redemptorum. Solutio 2.

CAPUT XI.

De Sanctorum pro Electis intercessione.

SUMMARIUM.

1. Utiles sunt prædestinatis Orationes sanctorum.

2. 3. 4. Solvuntur objectiones.

QUÆRITUR nunc utrum Sanctorum precibus Prædestinati juvari possint, non quantum ad Divinum propositum, sed quantum spectat ad consecutionem salutis.

1. Propositio. PROPOSITIO: Utiles sunt prædestinatis Orationes Sanctorum.

Probatio. Id cum Scripturis, tum exemplis probatur. Scripturis quidem; nam in Canonica Epistola Jacobi legimus: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Exemplis autem; nam propter orationes beati Stephani Saulus Ecclesiæ persecutor in vas Electionis, Fideique Præconem, & propter lacrymas precesque piissimæ Matris Monicæ S. Pater Augustinus de servitute Babylonis in civem fidelissimum supernæ civitatis Jerusalem, vocati sunt. Hæc vero non ita dicta sint, quasi orationes Sanctorum promereantur nobis omnes omnino prædestinationis effectus; quandoquidem & ipsa Oratio Sanctorum inter istiusmodi effectus connumeratur: quatenus E. G. ex proposito salvandi Saulum & Augustinum, decrevit Deus, ut pro illo positis genibus clamaret beatissimus Protomartyr; pro isto piissima parens assiduis fletibus ingemisceret.

2. Objicitur 1. Ob. 1. Oratio SS. vel est pro aliquo particulari, vel pro omnibus in communi, vel pro aliquo indeterminate; At nullo ex his modis confert ad nostram prædestinationem: Ergo, &c. Prob. min. nam cur Deus in particulari hunc, non illum trahat, nullam habet causam, nisi voluntatis suæ beneplacitum: ideoque oratio Sanctorum pro aliquo in particulari inutilis est, & frustranea. Rursus frustranea est, & inutilis pro omnibus in communi, cum non salventur omnes, sed plurimi reprobentur, quod spectare ad perfectionem universi, multi Theologi affirmant. Postremo oratio pro aliquo indeterminate nullam requirit efficacem intentionem conferendi gloriam. Igitur, &c.

Solvitur. Resp. Juvari orationibus Sanctorum prædestinationem nostram, non quod per eam Divinum immutari possit decretum: sed quoniam prædefinita est tanquam medium, quo comparatur prædestinationis effectus, scilicet detestatio peccatorum, justificatio, ac finalis perseverantia. Sive ergo pro aliquo in particulari, sive indeterminate Sancti orent atque intercedant, non agunt frustranee; est enim illorum oratio, non ad Divinum propositum ordinata, sed ad consecutionem finis, quem Deus mediis causis obtinendum esse decrevit.

3. Objicitur 2. Opp. 2. Illud, quo posito, vel non posito

posito sequitur nihilominus effectus, nihil confert ad eumdem effectum: Sed prædestinatio consequitur effectum suum, sive Sancti pro nobis orent, sive non orent; quippe quæ impediri nullatenus potest: Ergo, &c.

Respondetur. Resp. Divinam prædestinationem esse quidem infallibilem, neque impediri posse; quia proculdubio evenit in tempore quod prædefinivit Deus ab æterno: sed evenit eo modo, quo Deus ipse disposuit, & mediis causis secundis, id est, Sanctorum intercessionibus rectisque ipsorum prædestinatorum operibus.

Objicitur ultimo. Opp. ultimo: Electio E. G. Augustini præcessit prævisionem lacrymarum & orationum piæ Matris Monicæ, alias non fuisset electio gratuita. Igitur licet Monica non orasset, Augustinus salutem & gloriam consequutus fuisset.

Solvitur. Resp. dist. ant. Electio Augustini præcessit prævisionem precum ac gemituum Monicæ, ordine intentionis, conc. ordine executionis, nego: *Si aliqui nondum sunt vocati* (inquit S. Pater lib. de Dono Persev. cap. 2.) *pro eis oremus, ut vocentur. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus & accipiant gratiam, & efficiantur electi.* Erat ergo ita prædestinatus, ut orante ac flente uberrimis lacrymis pia Matre gratiam consequeretur, & beatissimi Ambrosii cederet hortationibus.

CAPUT XII.

Effectus prædestinationis connumerantur.

SUMMARIUM.

1. Effectus primarii sunt Vocatio, Justificatio, & Glorificatio.
2. 3. 4 5. Respondetur objectis.
6 Etiam substantia prædestinati, aliaque dona naturalia inter prædestinationis effectus possunt aliquo sensu connumerari.
7. 8. 9. Solvuntur objectiones.
10. Permissio quoque peccati est aliquo pacto prædestinationis effectus.
11. 12. Solvuntur objectiones.

De effectibus Prædestinationis. PRÆDESTINATIONIS effectus sunt beneficia, quæ Deus optimus maximus confert Electis ex efficaci intentione illos ad vitam æternam perducendi. Ut vero aliquod donum dicatur effectus prædestinationis, tria requiruntur: ac primum, quod bonum sit, & Deo auctore efficiatur, nam moralis malitia, cum sit aversio à Deo, nequit ad vitam æternam suapte natura ordinari. Necesse est deinde, ut proficiscatur ex intentione conferendi gloriam; siquidem qualecunque medium ad finem referri debet: ideoque gratiarum munera, quantumvis præclara, collata reprobis non sunt appellanda effectus prædestinationis ad gloriam. Requiritur denique, ut cum effectu ad gloriam perducat: est enim prædestinatio præparatio mediorum, quibus certissime liberantur quotquot liberantur. Sequentibus autem positionibus quinam sint hujusmodi effectus demonstrabo.

I. Propositio I. PROPOSITIO I. Effectus prædestinationis primarii sunt vocatio, Justificatio, & glorificatio.

Probatur. Apostolus ad Rom. VIII. 30. ait: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hæc omnia à Divina prædestinatione, tanquam à causa oriuntur; Ergo sunt ejusdem prædestinationis effectus. Prob. mi. etenim, ut nuper dicebamus, prædestinatio est præparatio auxiliorum, quæ certam trahunt eorum, qui eliguntur, liberationem. At glorificatio à corporis animique miseriis perpetuo liberat: vocatio autem, & justificatio ipsam glorificationem præcedunt. Hinc beatissimus Pater pauperum Thomas à Villanova Conc. 3. de S. Joan. Bapt. docet, *Catena indissolubili hæc omnia ex prima illa origine gratuita emanare.*

2. Objectio I. Opp. 1. Vocatio & justificatio conferuntur sæpe numero etiam reprobis: impium enim est, damnatumque Calvinianum dogma, nunquam dari reprobos vere justos.

Solutio. Resp. dist. propositionem: Deus impertitur gratiam vocationis, & justificationis etiam reprobis, ex efficaci intentione hos perducendi ad gloriæ consecutionem, nego. Ex voluntate, qua vult hos quoque credere, obtemperare vocanti, atque ad tempus servare justitiam, deserendos tamen justissimo Dei judicio, nec finaliter perseveraturos, concedo. Jam diximus requiri ad prædestinationis effectum, ut descendat ex efficaci Divinæ voluntatis propo-

propositio largiendi beatitudinem, quod sane propositum ad nullum reprobum attinet.

3. Objectio 2. Rursus objicies: Deserunt aliquando prædestinati vocationem, excidunt à justitia, & etiam in Apostasiæ crimen prolabuntur: quomodo erit ergo in his gratia, quam conculcant ac proterunt, medium ad beatitudinem obtinendam?

Solutio. Resp. Etiam. Reviviscunt enim præcedentia merita per subsequentem pœnitentiam, atque ex recordatione prioris vocationis magis Electus trahitur ad assentiendum præsenti: ex præterito etiam lapsu timorem, & humilitatem concipit: respiscens majorem erga se Liberatoris misericordiam experitur: conteritur animo quod fuerit quidem immemor beneficii: gratificantem sibi diligit vehementius; atque verba Davidis repetit: *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea Eloquium tuum custodivi.* Psalm. CXVIII. vers. 67.

4. Objectio 3. Tertio sic argumentaberis: Glorificatio non est medium, sed finis: non est ergo prædestinationis effectus.

Solutio. Resp. effectum prædestinationis esse quodcunque beneficium eo fine collatum, ut electi à massa perditionis liberentur, sive liberentur per modum medii, sive per modum termini. Quare glorificatio, qua Electi ab illa massa penitus subtrahuntur, non solum prædestinationis effectus est, sed etiam maximus, ac præcipuus.

5. Objectio 4. Denique opponens: Gratia collata Adam in statu Innocentiæ, quamquam restituta per ejus pœnitentiam, non fuit effectus prædestinationis Adami: Igitur neque prædestinationis effectus erit gratia, quam alii Electi receperunt, perdiderunt autem propter culpam, tametsi superveniente pœnitentia reviviscat.

Solutio. Resp. conc. ant. nego cons. Gratia enim, & reliqua dona status originalis innocentiæ nequaquam provenerunt ex intentione efficaci largiendi gloriam; hæc enim efficax intentio originalem noxam supponit: ut ubi abundavit delictum, ibi superabundet & gratia.

6. Oppositio 2. PROPOSITIO II. Substantia quoque prædestinati, aliaque naturalia dona inter prædestinationis effectus possunt aliquo sensu connumerari.

Probatur. Hanc conclusionem ita temperandam esse putamus: quoniam si substantia prædestinati spectetur absolute, nimirum, ut pendet à solo creationis decreto, certum est, non esse prædestinationis effectum: quippe decretum creandi homines præcedit ratione nostra præscientiam originalis peccati; ideoque in hac parte nos consentimus Vasquesio, cæterisque Societatis Jesu Theologis. Itaque substantiam prædestinati dinumeramus inter effectus prædestinationis, in quantum servata misericorditer post peccatum præordinatur ad gloriam. Substantia enim prædestinati servata est post originale peccatum propter merita Redemptoris: Ergo est prædestinationis effectus. Consequentia videtur evidens; nam si substantia prædestinati servata est non vi prioris decreti spectantis ad creationem, sed intuitu meritorum Christi, apparet, posse & ipsam ad gloriam efficaciter præordinari. Probatur ergo ant. Propter Adæ peccatum non solum expoliatum fuit humanum genus supernaturalibus donis, sed ulterius quoque promeruit, ut redigeretur in nihilum, ideoque beneficio misericordiæ præservatum est. Igitur propter Christi merita huic malo subventum est: unde Augustinus Serm. II. de Verbis Apost. c. 5. docet Electos *per Jesum Christum esse creatos.*

7. Oppositio 1. Opp. 1. Voluit Deus hominum redemptionem, & ejus causa Unigenitum Filium misit in Mundum: præsupponitur ergo ad Christi merita substantia prædestinatorum, qui redimendi erant, & ex numero redemptorum præeligendi.

Responsio. Resp. distinguendam esse ratione nostra duplicem in Deo voluntatem: unam redimendi humanum genus per Christi incarnationem; alteram instaurandi numerum Electorum ex hominibus per Christum redemptis. Falsum est igitur substantiam prædestinati servatam Christi merito non esse posteriorem Incarnatione, quatenus præordinatur ad numerum illum instaurandum. Quare dist. conseq. Substantia prædestinati præsupponitur ad Christi merita, id est, voluntas redimendi humanum genus antecedit ratione nostra decretum Incarnationis, concedo: voluntas implendi statutum prædestinatorum numerum, & quosdam præ cæteris ad hunc finem præordinandi præsupponitur ad Christi merita, nego. Vide cap. X. ad 2.

8. Oppositio 2. Opp. 2. Prædestinatio facta est post præviſionem originalis peccati: Atqui peccatum originale supponit substantiam prædestinati: Ergo substantia hæc præsupponitur ad prædestinationem.

Solutio. Resp. dist. mi. Peccatum originale supponit substantiam prædestinati spectatam absolute, prout creata & producta est; co. Spectatam quatenus mi-

sericorditer præservata ordinatur ad instaurandum numerum Electorum, nego minorem.

9. Oppositio 3. Opp. 3. Si humana substantia modo explicato prædestinationis effectus est; erit etiam effectus prædestinationis substantia reproborum, quoniam & hæc meritis Christi servatur. Adde non posse numerari inter prædestinationis effectus quod est commune tam Electis, quàm reprobis: Sed substantia etiam ut conservata post peccatum communis est tam Electis, quam reprobis: Ergo hæc numerari non potest inter prædestinationis effectus.

Responsio. Resp. nego sequelam: & ad probat. dico: esse quidem reproborum substantiam effectum meritorum Christi, nec tamen dici posse effectum prædestinationis: quia non omne beneficium meritis Christi collatum prædestinationis effectus est, sed illud quod habet conjunctum propositum conferendi etiam gloriam; ut diximus supra de vocatione & justificatione. Quapropter illud etiam, quod Electis reprobisque commune est, in illis, in quibus omnia ordinantur ad gloriam, censetur inter prædestinationis effecta: tametsi non est tale in filiis perditionis & gehennæ, quibus non confertur eo fine, ut perducantur ad gloriam.

Instantia, cum solutione. Quæ diximus de substantia prædestinati, valent etiam de naturalibus donis. Et si opponas, istiusmodi dona minime pertinere ad gloriam, quam supernaturalis gratiæ auxilio tantummodo comparamus; Respondeo utique naturalia, E. G. voluntas, liberum arbitrium, ingenium, &c. se solis ad æternam salutem, imo ad fidei, aut cujusque meriti initium non sufficere; ut adversus dogmata Pelagiana quisque Catholicorum fatetur; ad illam tamen gloriam conducere virtute supernaturalium auxiliorum. Firmiter quippe tenendum est contra nefariam Calvinianorum hæresim, etiam naturalem arbitrii facultatem active ad opera pietatis concurrere, dummodo gratiæ beneficio adjuvetur. Atque hoc duntaxat sensu naturales potentias inter effectus prædestinationis ad gloriam percensemus.

10. Propositio 3. Propositio III. Etiam permissio peccati est aliquo pacto prædestinationis effectus.

Probatur. Non loquimur de peccato finali, quod per pœnitentiam non deletur, & sempiternam perditionem secum trahit; tale enim peccatum in prædestinatis nullum est, quibus paratum est perseverantiæ donum ex liberalitate Creatoris. Neque sermo est de effectu, qui immediate & per se ad gloriam conferat, & quem consueverunt Scholastici appellare effectum *elicitum;* cum revera permissio peccati per se videatur magis pœna, quam donum, neque ad comparandam beatitudinem immediate conducat: sed de effectu remote, & mediate ad gloriam perducente, & quem dicunt Scholæ *imperatum.* Atque sic explicatam thesim demonstro 1. testimonio Apostoli dicentis ad Rom. VIII. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.* Quæ verba expendens Augustinus de Corrept. & Grat. cap. 9. ait: *Diligentibus eum omnia cooperantur in bonum: usque adeo prorsus omnia, ut etiam, si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Idem Augustinus lib. XIV. de civit. Dei cap. 13. *Audeo dicere,* inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & Sacer psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Similiter beatus Gregorius lib. II. Moralium cap. 26. *Fit ut aliquando se hæc gratia utiliter subtrahat, & præsumenti quantum infirmatur, ostendat: tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia à nobis servari non possunt.* Ex his vero conficitur ratio Theologica: Quod ex Divina ordinatione conducit ad bonum spirituale prædestinati, effectus est prædestinationis saltem *imperatus:* Permissio peccati ex Divina ordinatione conducit ad spirituale bonum prædestinati, id est, ad humilitatem, & æquiorem beneficiorum divinorum existimationem: Ergo permissio peccati est prædestinationis effectus saltem *imperatus.* Vide Propos. 1. ad secundam objectionem.

11. Objectio 1. Opp. 1. Permissio peccati non est Dei beneficium, non confertur ex meritis Christi, non est actus misericordiæ largientis dona, sed opus justitiæ aut punientis culpam, aut derelinquentis hominem in manu consilii sui, non denique liberalis distributio, sed æqua denegatio victricis gratiæ: Ergo non est cum prædestinationis effectibus dinumeranda.

Solutio. Resp. permissionem peccati posse duplici ratione considerari, id est, in se, & prout

prout Divinæ providentiæ subest ordinationi. In se quidem spectata importat divinorum auxiliorum justam denegationem, & pœna est hominis præsumentis, non gratia Domini liberantis: at in intentione illius, qui, ut ait Augustinus de Corrept. & Grat. cap. x. *Melius judicavit de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere*, habet & ipsa permissio peccati quamdam rationem beneficii, quatenus scilicet trahit ad majorem humilitatem, pœnitentiam, solicitudinem, & gloriam prædestinati. Distinguenda est ergo illa propositio. Permissio peccati non est beneficium, &c. spectata in se, & solitarie, concedo: ut subest proposito, consilioque Liberatoris, nego antecedens.

12. Objectio 2. Opp. 2. Prudens rerum universarum Provisor permittere non debet maximum malum, quale est peccatum, ex intentione largiendi majorem humilitatem, aut gradum gloriæ sublimiorem: quomodo non est sapientissimi Medici morbum permittere, ut conferat sanitatem ægroto. Nam infirmitas est animæ, & etiam deplorandus interitus, si mortali crimine maculatur.

Responsio. Resp. Deum sapientissime peccata permittere, ut assequatur finem in quo magis magisque justitia, misericordia, atque incomprehensibilis providentiæ ratio deprehenditur. Ut enim in Sententia Adversariorum nostrorum vult Deus negativam reprobationem multorum ad manifestandam justitiæ rectitudinem erga reprobos, & amplitudinem misericordiæ erga Electos: ita prudentissime peccatum permittit, ut demonstretur necessitas gratiæ, infirmitas arbitrii, pœna superborum, virtus pœnitentiæ, misericordia Liberatoris, ac præmium denique humilitatis. Quæ licet comparanda non essent peccato, quod maximum malum est, si considerentur ratione sui, sunt tamen longe meliora si in his spectentur Redemptoris merita, & glorificationis majestas. Alioqui nunquam Deus permisisset peccata absque nota imprudentiæ: quod irreligiosum, horrendumque est cogitare. Ad exemplum vero Medici dico: non permitti ab eo morbum, ut simpliciter conferat sanitatem; permitti tamen interdum, ut sanitatem conferat robustiorem. Atque consimili ratione non permittit Deus in prædestinato peccata, ut simpliciter eum justificet; sed ut justificet firmiori sanctificatione, in qua humilior perseveret. Præclare & considerate Bernardus in Psalmum 90. *Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores?* At quæ hoc loco tractanda erant, absolvimus.

CAPUT XIII.

Quomodo Electorum prædestinatio fixa sit, certissima, & immutabilis?

SUMMARIUM.

1. 2. Prædestinatio tam respectu Dei, quàm hominum Electorum est omnino immutabilis: ex parte tamen Dei certa est; ex parte hominum prorsus incerta.
3. 4. 5. 6. Solvuntur objectiones.

Dupliciter potest Prædestinatio considerari. DUOBUS modis considerari posse prædestinationem Sanctorum, hoc est, in intentione Dei, & in rerum executione, sæpe hoc eodem libro dictum est. Utroque modo spectatur, dum quæritur, sitne infallibilis & certa: nimirum an talis sit comparate ad Deum eligentem, & ad hominem quoque libere præcepta observantem, ut æternam vitam consequi valeat.

1. Propositio. PROPOSITIO: Prædestinatio tam respectu Dei, quàm hominum Electorum est omnino immutabilis: ex parte tamen Dei certa est, ex parte hominum prorsus incerta.

Probatur 1. Pars. Quantum spectat ad primam partem probatur: Decreta Dei efficacia & absoluta sunt omnino immutabilia, non enim Deus voluntatem habet similem humanæ, quæ haud semel propositum mutat, neque volenti efficaciter salvum facere hominum resistit arbitrium. Ergo ex parte Dei Prædestinatio immutabilis omnino est. Talem quoque esse respectu hominum, probatur; nam supposito Divino decreto prædestinatus infallibiliter gloriam consequitur: Ergo prædestinatio etiam ex parte hominis prædestinati immutabilis dicenda est. Quomodo autem stet cum hac immutabilitate libertas humana, explicatum est libro quarto.

2. Probatur 2. Pars. Secunda pars demonstratur; nam respectu Dei prædestinationem esse certam

tam docet Apostolus 2. ad Tim. II. 19. dicens: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Et Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 7. *Nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Hominibus autem incertam esse colligitur ex Eccles. IX. 1. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Ex Trident. Sess. 6. cap. 12. *Nemo, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum.* Quæ sunt verba Augustini lib. de Corrept. & Grat. cap. 13. Accedit & congruens ratio: decebat enim hominibus talem spem futuræ felicitatis præcipi, quæ simul anxietatem & timorem incuteret; ut cum metu ac tremore salutem propriam operarentur, & gratiæ dona non superbiendo parvipenderent, sed extimescendo custodirent.

3. Objectio 1. Objicies 1. Vulgatissimum est Augustinianum illud proloquium: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* Serm. etiam 102. de Temp. ait S. P. *Utinam tam cito peccator homo resurgat ad pœnitentiam, quantum cito Deus vult definitam mutare sententiam.* Ecclesia pariter orat, ut liber vitæ: *prædestinatorum nomina adscripta retineat.* Atqui ex his liquet prædestinationem esse mutabilem. Ergo, &c.

Solutio 1. Resp. accipi prædestinationem dupliciter, *adæquate* secundum omnes effectus, qui catena quadam indissolubili in Electis colligantur, ut sunt vocatio, fides, justificatio, incrementa virtutum, perseverantia, & corona: *inadæquate*, secundum aliquos tantum effectus, quas aliquando in prædestinato certum est deperdi atque intermitti, ut justificatio, devotionis fervor, rigidusque modus vivendi. Itaque prædestinatio accepta *adæquate*, ut effecta omnia complectitur, præsertim vero finalem perseverantiam, & retributionem mercedis, aut considerata in se, ut est Dei propositum, & firma stabilisque voluntas ea omnia præordinans, immutabilis dicenda est: sumpta vero *inadæquate*, nempe pro justificatione, sive effectu alio intermedio, est omnino mutabilis. Igitur dist. minorem: liquet prædestinationem esse mutabilem, quantum spectat ad effectum aliquem medium, id est, ad justificationem, & opera prædestinati, concedo: quantum attinet ad Divinum propositum, perseverantiam finalem, & gloriæ coronam, nego. Proloquium illud vulgare, *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris,* inter Augustiniana scripta non inveniri plures affirmant; & videtur derivatum ex consimili sententia Tract. 26. in Joannem, *Si non traheris, ora ut traharis.* Sermonem quoque 102. de Tempore non esse Augustinianum scribit Estius. At dato, quod utrumque genuinum sit, dico prædestinationem illic sumi *inadæquate*, pro justificationis gratia, aut pro signis prædestinationis, ut dixi cap. VII. ad 4. Eadem est ratio verborum Ambrosii dicentis; *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum:* & orationis Ecclesiæ, in qua lusit operam nobilis quidam Orator. Nam hæc, & similia de prædestinationis effectu medio, aut de exterioribus signis sunt exponenda.

Solutio 2. Resp. 2. Præfatas Sanctorum auctoritates explicandas esse de prædestinatione, non comparata ad efficacem Dei voluntatem, & absolutam beneplaciti sui præfinitionem, quæ immutabilis est, atque efficit reapse quidquid decernit ac prædeterminat; sed de prædestinatione relate ad legem à Deo promulgatam, in qua statuitur peccatoribus, nisi resipiscant, sempiternum supplicium; sed pœnitentiam agentibus deletur damnationis chirographum, scelerumque pœna remittitur. Quæ responsio longe facilior est, & germanior.

4. Objectio 2. Objicies 2. Prædestinatio idem est, ac liber vitæ, in quo Electi descripti sunt: Ab hoc vitæ libro deleri possunt Electi: Ergo prædestinatio non est revera immutabilis. Probatur minor ex verbis Moysis ita Deum alloquentis Exodi XXXII. 31. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

Solutio. Resp. nego minorem. Et ad probationem dico Sacrarum Scripturarum Interpretes verba Moysis non eodem modo explicare. Nam aliqui contendunt exponenda esse de libro vitæ temporalis, quomodo Num. XI. 15. *Obsecro*, inquit idem Moyses, *ut interficias me.* Quare optabat potius mortem, quàm videre Divinam ultionem in populum, quem in manu forti eduxerat de Aegypto. At sunt qui etiam de libro prædestinatorum hæc acceperunt dicentes: Moysen rem petendo, quam noverat impossibilem, voluisse exprimere vehementissimum cordis sui desiderium de Hebræorum incolumitate, & salute.

5. Objectio 3. Ob. 3. Paulus ad Corinth. I. cap. 9. *Castigo*, inquit, *corpus meum & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicave-*

dicaverim, ipse reprobus efficiar. Potest ergo reprobari etiam Electus.

Solutio. Resp. Apostolum nomine reprobationis, nequaquam intelligere Dei propositum, aut Divinæ voluntatis actum, sed privationem gratiæ, ac reprobationis effectum, ut dictum est supra.

6. Objectio ultima. Ob. ultimo: Si prædestinatio esset immutabilis, qualiacunque forent opera prædestinati, hic semper salutem consequeretur: ideoque vulgato dilemmate uti posset; vel sum prædestinatus, vel reprobus; Si prædestinatus, etiamsi quodcunque crimen patravero, salvus ero; Si autem reprobus, quid bonis operibus insudo?

Solutio. Respondeo locum non habere præfatum dilemma, quoniam est quidem prædestinatio immutabilis: sed executioni mandanda liberis meritis prædestinati, ut dictum est cap. VIII. in Resp. ad 3. Argumenta autem hæreticorum de certitudine justificationis, quæ possent adversus postremam thesis partem afferri, excutienda sunt alibi. Sufficit nunc animadvertere, neminem scire certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum, ut definit Tridentinum Sess. 6. cap. 9. & loca quædam Apostoli, quibus abutuntur inimici veritatis, vividam spem, non certitudinem, nisi moralem, manifestissime demonstrare.

CAPUT XIV.

Historiam hæresis Prædestinatianæ fabulam esse, cui fidem nullam debemus.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Duo extremi errores circa Prædestinationem.
4. 5. 6. 7. 8. Nulla fuit in Monasterio Adrumei, Augustino superstite, hæresis prædestinatiana.
9. 10. 11. Satisfit objectis.
12. Neque sub Cælestino I. erupit in Gallis secta prædestinatianorum.
13. 14. 15. Solvuntur objectiones.
16. & seqq. Gothescalcus prædestinatianus non fuit, licèt veram causam imprudenter susceperit defendendam.

1. Errores circa Prædestinationem & gratiam. Inter extremos circa Prædestinationem & Gratiam errores connumerandi duo sunt, Pelagianorum, & Prædestinatianorum. Pelagiani asserebant prædestinationem haberi ex prævisione operum moralium, & necessitatem gratiæ negabant; quam hæresim aliqui temperantes putarunt initium fidei esse ex nobis, atque hinc salutis primordia pndere, in cæteris supernaturalia auxia minime denegantes. Hi sunt, qus ob doctrinæ cum Pelagii dogmatibus affinitatem Semipelagianos appellavernt. Prædestinatiani econtra gratian etiam victricem & prædestinationem *secundum propositum* gloriantur se um Augustino defendere: quæ duo, cm Semipelagiani noluerint admittere ejicientes Augustinianam doctrinam, x qua videbatur eis consequi libertat interitum, tanta pertinacia Prædestinatiani defendunt, ut liberum arbitrin tolli, & speciosum esse titulum sine r, pugnaciter fateantur. Atque ita Semipelagiani pro defensione libertatis, Prædestinatiani pro absoluta prædestinationdecertant, ac se mutuo conviciis dilacent, utrique malæ causæ patroni. Illi nim de Christi Gratia pessime, & de ugustino irreverenter locuti sunt: hi de libertate hominis ultra quam impudenter, de Augustino autem plusquam imperite. Constans enim est ac certissima S. Patris doctrina, quod neque prædestinatio deneganda est, neque humana libertas evertenda.

2. De Prædestinatianis. Prædestinatianos ergo postremis sæculis extitisse, & nunc etiam vigere in Secta Calviniana, & quantum ad aliqua dogmata etiam in Jansenjana, Catholici omnes norunt. Sunt enim dogmata prædestinatiana, Deum ad vitam & ad mortem eadem ratione prædestinare, Divinam præscientiam hominem violenter compellere, perire Dei voluntate quicunque pereunt, trahi etiam invitos ad salutem, nullam esse in Deo voluntatem salvandi omnes, & Christum pro solis Electis mortem oppetiisse: quæ omnia opponebantur à Semipelagianis, tanquam consectaria Augustinianæ doctrinæ, & talia esse, pessimi Augustini Interpretes, id est, iidem Prædestinatiani non diffitentur. Exortam hanc hæresim circa annum 424. apud Monachos Adrumeti Byzacenæ Provinciæ Metropolis, iterumque emersisse in Galliis circa annum 429. renovatam insuper à Gothescalco Monacho Orbacensi sæculo IX. & anno 847. affirmant Tyro Prosper, Sige-

Sigebertus, Baronius, Spondanus, Alvarez, & post editum à Sirmondo Viro Clarissimo librum Prædestinati alii Scriptores plurimi. Sed hæc esse commentitia tradunt viri alii doctissimi, ut Usserius, Maguinus, Norisius, Cabassutius, Macedo, Contensonius, Natalis Alexander, & propemodum infiniti: qui observarunt traductos fuisse à Semipelagianis odioso nomine Prædestinatianorum Cultores Augustinianæ doctrinæ, & hos sub corio fictitiæ hæreseos immerito vapulasse.

3. An fuerint tempore S. Augustini.

Hæc, ut patitur instituti mei ratio, susceperturus examinanda, ad coercendam obtrectatorum nostrorum (si tamen sunt aliqui) præcipitem loquentiam, præmoneo nullum inferri doctrinæ magni Augustini præjudicium, etiamsi concedatur emersisse adhuc eo vivente Prædestinatianorum sectam, & hujus gregales sese tanti Doctoris auctoritate præclarissimoque nomine circumvallasse. Ut enim scite ait Facundus Hermiensis lib. 6. contra Motianum, *Melius loqui non potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli & Evangelistæ: quorum verbis male intellectis, & incongrue adhibitis tam multi suos defendere conantur errores.* Imo quisquis sedulo animadvertat Adrumetinorum controversias opera Augustini fuisse sopitas, excitatis autem Semipelagianorum clamoribus, Augustinianam doctrinam nedum immunem evasisse, sed Cælestini Romani Pontificis fuisse insigni approbatione condecoratam; causam quoque Gothescalci undecim annis hinc inde ventilatam ab ipso Hincmaro cæterisque infelicis Monachi adversariis ad Augustiniana scripta, tanquam ad lydium lapidem revocatam, ut contra Joan. Launojum probat Hyacinthus Serry cap. 14. Vindiciarum: quisquis, inquam, hæc animadvertat, necesse est fateatur Augustinianam sententiam magnis subortis tempestatibus emersisse è vado scopulos prætervectam. Jam vero quæ præfabar, hunc habeant terminum.

4. Propositio 1.

Propositio I. Nulla fuit in Monasterio Adrumeti, Augustino superstite, hæresis Prædestinatiana.

Probatur 1.

Demonstratur primo. Etsi Augustinianæ doctrinæ defensores passim à Semipelagianis appellati sunt Prædestinatiani; nihilo tamen minus nulla fuit in re horum hominum secta, ut doctissimi viri tradiderunt. Sanctus enim Prudentius Trecensis Episcopus in lib. contra Joannem Erigenam cap. 4. ait: *Tertiam vero hæresim, quam Pelagianis contrariam asseritis, qua ita donum gratiæ prædicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.* S. quoque Rhemigius adversus eumdem Erigenam, *Quæ est*, inquit, *ista secunda hæresis tam incognita, tam inaudita, quæ libero arbitrio denegato solius gratiæ sit prædicatrix, nisi, ut nobis videtur, disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi hæreticum accusat?* Quæ probant universaliter hæresim Prædestinatianam neque ab Adrumetinis exortam, neque inter Massilienses iterum erupisse, neque suscitatam fuisse per Gothescalcum. Sed ne à maritimis Africæ, septisque Adrumetinis discedam; an non Augustinus scripsit librum de Hæresibus ad Quodvultdeum circa annum 428. exortis jam, sedatisque in Adrumetino Monasterio dissidiis? Quomodo ergo Prædestinatianam hæresim nuperrime natam, & à se ipso, ut inquiunt, opportune præfocatam silentio prætermisit, dum obscuriores quasque commemoravit? Quo præterea jure prope finem libri potuit aferere hæresim Pelagianam esse *omnium recentissimam*, si alteram ipse jugulaverat juniorem Pelagiana, eidemque directe contrariam? Verum ad alia accidamus.

5. Probatur 2.

Probatur 2. Explicatione disceptationis Adrumetinorum, brevique rerum gestarum narratione. Scripserat Augustinus celeberrimam Epistolam 105. ad Sixtum, quæ Sententiæ gratuitæ prædestinationis, & gratiæ per se efficacis munimentum est singulare. Cum hæc per Florum Adrumetum data esset, & avide inter Monachos legertur; quibusdam imperitis visum est vocationem secundum propositum & gratiam victricem tollere libertatem humanam, ipsis adeo liberum arbitrium repugnantibus ut tollerent Dei gratiam. At Valentinus Abbas, & Florus, aliique pro doctrina S. Patris acerrime steterunt. Hinc obortæ contentiones quas Felix & Crescionius inconsulto Monasterii Præside, nec satis causa perspecta ad Augustinum profecti ambiue admodum retulerunt. Ac principi Florum accusarunt, tanquam arbitrum negasset: sed interpellati ab Augusto, se minime in his quæstionibus versatos esse prodiderunt. Deprehendit empe S. Pater, Adrumeti Pelagianæ hæreseos cineres excitari, & sub prætextu salvandi libertatem novum bellum adversus Christi gratiam cieri. Quare ad extirpanda pravitatis semina librum scripsit de gratia & libero arbitrio, de quo in 2. Retract. cap. 66. hæc habet: *Propter eos, qui, cum defenditur ei gratia, putantes negari*

negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum, cujus titulus est de gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum Monasterio cæperat esse contentio. Nondum autem Adrumetinis acquiescentibus, & rursus opponentibus non esse corripiendos legis transgressores, si Divina constitutio humanam prævenire debeat libertatem, quandoquidem deest illis auxilium ex Dei beneplacito præparatum; addidit librum de Correptione & gratia *plenissimum*, ut ait in Epist. ad Augustinum beatus Prosper, *Divinæ auctoritatis.* Atque hæc origo, hic finis dissidiorum, quæ moverunt Adrumetini.

6. Confirmatio 1. Ex his manifeste evincitur inde Semipelagianorum quidem, non Prædestinatianorum hæresim erupisse. Etenim qui opinabantur gratiam dari secundum merita nostra, & negabant Electionem secundum propositum eo quod videretur afferre exitium libero arbitrio, ac proinde recedebant ab Augustino; hi Semipelagiani erant, non Prædestinatiani: quippe Prædestinatiani & Electionem secundum propositum agnoscunt, & Augustini doctrinam sequi magnifice de se prædicant, quamquam turpiter in errorem rapiuntur in iis, quæ spectant ad libertatem. Sed in Monasterio Adrumeti erant, qui ita negarent Dei gratiam, ut defenderent liberum arbitrium, & ideo recedebant à doctrina Augustini. Igitur inter Adrumetinos Semipelagiani quidem nonnulli erant, sed non Prædestinatiani.

7. Confirmatio 2. Quod argumentum corroboratur testimonio Prosperi in Epist. ad Augustinum: in qua narratis Semipelagianorum adversus Electionem secundum propositum Dei oppositionibus, *Evenit*, inquit, *ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de correptione & Gratia plenum Divinæ auctoritatis emitteres.* Consimilis ergo fuit adversus Augustinianam Sententiam Semipelagianorum Massilienssium, & Adrumetinorum Monachorum expostulatio.

8. Confirmatio 3. Comprobatur denique Assertum, & simul ostenditur præter Semipelagianos, non fuisse alios prave sentientes apud Adrumetum. Cresconius & Felix qui ad Augustinum venientes retulerunt obortas inter Cœnobitas dissensiones, accusarunt Florum tanquam prædestinatianum, id est, hostem insensissimum libertatis. At liquet ex Epistola Valentini ad S. Patrem, duos illos Monachos falsa narrasse, ac Florum solam gratiam omnia præcedentem merita Catholice propugnasse. *Servi tui Flori*, inquit Abbas, *fides est, Pater, non sicut fratres illi locuti sunt: in præsentiarum audierunt ab eo dictum non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris.* Itaque rumor exortæ in Adrumetino monasterio Prædestinatianæ hæreseos ex falsa relatione Felicis & Cresconii excitatus est: neque ullus Prædestinatianus fuit reapse inter Monachos Africanos. Quis enim talis fingi potest? Valentinus? At de hujus fide nullus dubitat. Florus? liquet hunc fuisse falso accusatum. Cresconius & Felix? Hi vero accusatores erant erroris, quem imperite suspicabantur in Floro. Reliqui Monachi, qui ita defendebant liberum arbitrium, ut negarent Dei gratiam? Isti quidem Prædestinatiani à nemine, qui sit sui compos, appellabuntur. Lege autem tum Valentini Epistolam, tum Augustini responsionem; neque alium Adrumetinum inveneris, qui de hæresi possit esse suspectus.

9. Objectio 1. Opp. 1. Fuerunt in Monasterio Adrumeti, qui ita gratiam asserebant, ut arbitrium everterent: Hi erant Prædestinatiani: Ergo, &c. Probatur ma. S. P. Augustinus in Epist. ad Valentinum; *Retulerunt*, inquit, *Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.*

Soluio Resp. nego ma. Et ad prob. dico Felicem & Cresconium falsa narrasse. Ut hi ad S. Patrem pervenerunt; statim advertit eos inscios esse, & circa controversias gratiæ parum versatos. Eos propterea penes se aliquanto diutius retinuit Augustinus, ut scribit in Epistola ad Valentinum, *quo instructiores redirent adversus novos hæreticos Pelagianos.* Optime quippe novit in Adrumeto recentissimam Pelagii hæresim suscitari, postquam pluries imperitos relatores interrogaverat. Hinc redeuntibus illis Adrumetum cum libro de Gratia & libero arbitrio, sic Monachos adhortatus est: *Neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, ut à Dei gratia separetis.* Rescripsit quoque Valentinus, non esse in suo Monasterio, qui liberum arbitrium negarent. Enimverò sic generaliter loquitur: *Liberum arbitrium Dei gratia non negamus.* Flori quoque fidem commendat, & Felicis & Cresconii, qui ad Augusti-

num proficiscentes nil Abbati communicaverant, imprudens consilium redarguit. Sanctus autem Augustinus initio libri de Corrept. & Gratia ita Monachis gratulatur: *Hanc fidem, quæ sine dubio vera & Prophetica & Apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro inveniſſe me gaudeo: unde hi potius corrigendi sunt, qui cùm non intelligebant.* Concedo itaque Felicem & Crescionium retulisse Augustino, quod Adrumeti essent qui negarent arbitrium: sed nego verum narrasse.

10. Objectio 2. Opp. 2. S. P. Augustinus in libro de Gratia & libero arbitrio non solum gratiam defendit, sed liberum arbitrium deprædicat; quod vel solo libri titulo satis liquet. Sed ex quo defendat gratiam, sequitur extitisse in Adrumeto qui gratiam negarent. Ergo ex quo liberum prædicet arbitrium, infertur etiam fuisse, qui negarent idem arbitrium; ideoque Monasterium in duas factiones, Pelagianorum unam, & alteram Prædestinatianorum fuisse divisum.

Solutio. Resp. hoc argumentum, quod Adversarii putant validissimum, nullum omnino esse. Primo enim quid probat, si dicamus Augustinum principio credidisse Felici & Cresconio, adeoque adversus Prædestinatianos, quos extare audiebat, scripsisse; quum tamen nulli essent, & illi duo Monachi mentirentur, ut reapse mentitos esse declaravit apertissime Valentinus? An non bene S. Pater se gessit una cum erumpente Semipelagianismi hæresi evellens etiam ficti erroris radices, quas noverat olim insitas à Manichæis? Deinde si attentius librum de Gratia & libero arbitrio legas: percipies totum in hoc versari, ut probet gratiam nulla merita nostra supponere, neque tamen liberum perimi arbitrium; propterea quod Pelagiani affirmabant gratiam dari secundum merita, & ex Augustiniana sententia consequi interitum libertatis. Sed rem clarius expediam. Hæc propositio, *Non datur sub gratia efficaci liberum arbitrium*, enunciatur à Pelagianis, & à Prædestinatianis æqualiter, sed sensu prorsus contrario. Pelagiani, ut tollant Dei gratiam, ita argumentantur: Gratia efficax tollit arbitrium, ergo non datur: quo telo etiam nos impetunt Catholici, clarissimique viri, qui nullatenus Pelagianis adhæresecunt, gratiam tamen per se efficacem rejiciunt. Contra Prædestinatiani illam propositionem efferunt, ut negent arbitrium, atque ita pessime argumentantur: Datur gratia efficax; Ergo non datur libertas. Debet ergo, quisquis sentit cum Augustino, pugnare pro libertate, sive contra Pelagianos disputet, sive contra Prædestinatianos. Et contra Pelagianos quidem, ut retundat quod hi opponunt adversus Gratiam victricem, & Electionem secundum propositum: adversus Prædestinatianos autem, ut repellat horrendam consecutionem, quam Augustiniana circa gratiam doctrina obvallare perperam moliuntur. Quare distinguo propositionem majorem: Augustinus non solum gratiam propugnat, sed etiam liberum arbitrium, retundens criminationem Pelagianorum, conc. repellens assertionem Prædestinatianorum, nego.

11. Objectio ultima. Opp. ultimo. Erupisse hæresim Prædestinatianam circa ann. 415. scribit in Chronico Sigebertus. Ortam sub Honorio, qui imperium obtinuit circa annum 417. tradit in suo Chronico Prosper Tyro. Ejusdem meminit & Arnobius, qui circa eadem tempora floruit, in Psalm. 147. Posteriores Historicos quis posset singulos recensere?

Solutio. Resp. nil mirum, si hi, aliique plurimi commemorarunt hæresim Prædestinatianorum, cum hoc nomine à Semipelagianis traducerentur veri Augustini discipuli. Crediderunt nempe nonnulli impostoribus: falsaque crimina aut malevolentia, aut bona fide pro veris historiis venditarunt. Ac Sigebertus fabulam imbibit à Fausto Rejensi, qui cum Semipelagianus fuerit, non ex veritate, sed ex livore Prædestinatianos appellavit quotquot doctrinam Augustinianam sectabantur: de quo Fausto mox dicam. Arnobium etiam Semipelagianum fuisse demonstrat Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. xv. Sed fuerit frugis melioris: qui demonstraturus est, illum, & cæteros qui Prædestinatianos commemoraverunt, non fuisse deceptos publica voce, quam spargebant Semipelagiani, extare Prædestinatianos, qui tollerent libertatem? Nec fidem promeretur Prosper Tyro, qui potuit fabulam ex eodem fonte haurire, & in historia hospes omnino est, & anacronismis plenissimus. Quod, ut plura alia prætermittam, apparet ex anno, cui initium hæresis Prædestinatianæ alligavit, id est 417. quo nondum cœperat Augustinus pertractare de prædestinatione electorum, nec Epistolam ad Sixtum adhuc scripserat. Atque, ut prorupisset commentitia hæresis apud Adrumetinos, non tamen ante annum 424. habuisset natalia: unde Tyro etiam peccat in Chronotaxi, eoque pejus Sigebertus;

gebertus; qui vulgi opinione decepti errores erroribus implicarunt.

12. Propositio 2. PROPOSITIO II. Neque sub Cœlestino I. erupit in Galliis secta Prædestinatianorum.

Probatur. Qui hanc apud Massilienses suscitatam tradunt, putant adversus eam Hilarium & Prosperum Augustini primum, deinde Cœlestini imploravisse auxilium. At non ita se res habuit. Hilarius & Prosper non contra Prædestinatianos, sed contra Semipelagianos ad Augustinum confugerunt. Quod probatur ex Epistola Prosperi, cujus verba superius cap. VI. fuerunt producta. Ex quibus constat, Massilienses non probasse prædestinationem in regnum Dei, & propositum eligendorum ac rejiciendorum, quo ante mundi constitutionem facta dicitur ab Augustino electorum reproborumque discretio. Consimilia scripsit Hilarius. Prædestinatiani autem & gratuitam prædestinationem dicuntur asseruisse, & Augustini sibi adsciviſſe patrocinium. Obortæ itaque inter Massilienses controversiæ, non Prædestinatianæ hæreseos seminarium fuerunt, sed Semipelagianismi incrementum. Præterea S. P. Augustinus acceptis literis Prosperi & Hilarii, occurrit glisceni malo editis libris de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseverantiæ. Hos vero libros, quis non videt contra hostes gratiæ Dei, & reprehensores Augustinianæ doctrinæ fuisse conscriptos? Sat est oculos in prioris libri initia conjicere: ubi Massilienses, quorum Hilarius & Prosper piam curam gerebant, adhuc in quæstionibus de prædestinatione, & de gratia caligare dicuntur: Pelagianæ favere opinioni; cavendum, ne teneant poeticam sententiam, *Spes sibi quisque, &c.* Quæ dicta sint salva Massiliensium pietate ac Sanctitate, qui nondum damnato Semipelagianismo, nulla fuerunt hæresis labe polluti. Semipelagiani tamen habendi sunt: & consequenter in his malleus hæreticorum Augustinus Pelagianorum compressit, contrivitque reliquias.

13. Opponitur 1. Opp. 1. Irrupisse Cœlestino Pontifice hæresim Prædestinatianam, & Prosperum & Hilarium de hac hæresi consuluisse Augustinum, testatur antiquissimus Auctor Prædestinati, quem Sirmondus ex vetustissimo Codice luce donavit, & insertus est Tomo Bibl. PP. vigesimo octavo.

Solutio. Respondet vir summus Norisius, Sirmondum effœta jam ætate, & post annum 80. hunc librum publici juris fecisse, indulgendumque esse plenæ viri alioquin doctissimi senectuti, si à veritate deflexit: ejus historiam nuncupari fabulam à Maguino viro omnigena literatura ornatissimo: constare ex Epistolis Hilarii & Prosperi longe distare ab erroribus Prædestinatianorum dogmata Massiliensium. Addunt viri alii clarissimi, Auctorem Prædestinati se manifesto prodere Pelagianum. Docet enim concupiscentiam esse à Creatore, quomodo ab illo sunt singula membra corporis; ac perduelles motus libidinis non pœnam originalis peccati, sed legem esse naturæ. Quæ fuisse dogmata Pelagiana constat ex libris Augustini contra Julianum. Cum ergo Pelagiani appellarent Prædestinatianos omnes propugnatores Augustinianæ doctrinæ; mirum non est, si Auctor Prædestinati meminerit commentitiæ hæreseos, de qua Augustini discipuli postulabantur. Quidquid sit; liber Prædestinati ex literis Prosperi & Hilarii fallax undequaque deprehenditur.

14. Opponitur 2. Opp. 2. Prosper & Hilarius in suis ad August. Epistolis referunt apud Massilienses multos esse, affirmantes *divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, & sub nomine Prædestinationis fatalem necessitatem induci.* Atqui soli Prædestinatiani hæc mendaciorum portenta effutiebant. Igitur, &c.

Respons. Respondeo. Resp. Sirmondum, qui hoc utitur argumento, caligantibus senio oculis haud recte Prosperi verba legisse. Etenim non absolute scripsit Prosper, multos Servorum Dei in Massiliensi urbe consistentes denegare libertatem, & divinæ constitutioni concedere, ut homines violenter compellat: sed ait hæc à Massiliensibus dicta fuisse conditionate, illative, & contra ea, quæ S. Pater Augustinus de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputaverat. Vide testimonia beati Prosperi supra Capite VI. Prosperum contra Prædestinatianos scripsisse putavit etiam magnus Annalium Ecclesiasticorum Auctor Baronius: cui nequaquam consentire possumus tum propter hactenus discussa, tum propter auctoritatem Fulgentii, qui lib. 1. ad Monimum cap. 30. testatur, Prosperum in singulis Opusculis, quæ tunc elucubravit, respondere iis, quæ à Semipelagianis *Divi Augustini dicta non ex veritate, sed ex livore objiciebantur.*

15. Opponitur 3. Opp. 3. Saltem circa annum 470. Prædestinatos extitisse negari non potest. Colligitur ex libris Fausti, ex Synodo Arelatensi, & Lugdunensi, quæ hanc hæresim proscripserunt: ex Epist. ad Lucidum, & ipsius Lucidi palinodia, in

qua ore proprio se Prædestinatianis adhæsisse fatetur.

Solutio. Resp. dato, vera esse quæ narrat Faustus, neque Synodos Arelatensem & Lugdunensem esse ab illo confictas, quod non soli affirmant Apologistæ Jansenii, ut scribit Tournely de Gratia Christi pag. edit. Venet. 118. sed etiam Gilbertus Maguinius, quem idem Tournely supra pag. 112. condigna laudatione memoravit: dato, inquam, hæc vera esse, constat, Faustum fuisse Semipelagianum; Semipelagianos vero objecisse Augustinianis eadem paradoxa, quæ devorant veri Prædestinatiani. Cum ergo Faustus referret in Synodis esse nonnullos erroribus Prædestinatianorum imbutos, idque confirmarent alii Semipelagiani, provide Galliarum Antistites, inter quos aliqui erant piissimi doctissimique, sex illas propositiones à Fausto exhibitas condemnarunt, ut, si qui eas proferrent, ab horrendis blasphemiis in posterum abstinerent. Duo enim extra controversiam posita sunt, & paradoxa illa in se hæretica esse, & à Semipelagianis adversus sententiam de gratuita prædestinatione olim objecta, ut execrabilem illam redderent, ac traherent in invidiam. Ergo merito damnata sunt, & damnata dicuntur à Fausto, & Gennadio; cum impia sint & hæretica; atque hac in parte oberrant miserrimi Jansseniani, qui negant esse damnata. At non hinc sequitur, extitisse revera sectam Prædestinatianam: sed hoc unum, videlicet, damnata fuisse dogmata, quæ Semipelagiani falso Augustini discipulis imponebant. De Lucido autem, dato pariter, quod vera sint, quæ narrantur à Fausto, veramque recantatam ab eo palinodiam, tametsi non tenemur hæc etiam concedere Scriptori pice Semipelagianismi inquinato: dico Semipelagianos acutos fuisse, acerrimos, atque, uti ab Augustino appellantur, *ingenia bona*. His ergo impugnantibus Electionem secundum propositum, quasi evertat libertatem, cum quæstio sit ad solvendum difficilis, ab Augustiniana doctrina nonnullos minus exercitatos potuerunt facile removere, compellentes subtiloribus sophismatibus ad credendum se in antecessum errasse, quamquam sensissent peroptime: quod sæpenumero experimur in hominibus pinquioris minervæ, qui cum Adversariis versutis, loquentibusque congrediuntur. Id forte contigit Lucido. Verum hoc etiam dato, Lucidum fuisse pravi dogmatis assertorem, quomodo legimus de Monimo apud Fulgentium lib. 1. cap. 3. nulla ratione fit consequens, extitisse Sectam Prædestinatianam, & veram esse historiam, quæ narratur in libro Prædestinati: sed ad summum, ut contendit noster Norisius, prava ea dogmata à quibusdam obscuri nominis tradita, nunquam vero sive à Massilienſibus, sive à Monachis Adrumetinis.

16. Propositio 3. Propositio III. Gothescalcus Prædestinatianus non fuit, licet veram causam imprudenter susceperit defendendam.

Probatur 1. Ita censent eruditissimi viri Gilbertus Maguinus, Christianus Lupus in Notis ad 1. Conc. Romanum, Cardinalis Norisius in Hist. Gothescalci, aliique plures: & quamquam sententiam oppositam propugnent multi celebres æque, & eruditi Theologi, nostra tamen & præsidia habet validissima, & horum argumentationibus minime quatitur. Probatur autem 1. testimonio Sanctorum Prudentii, & Rhemigii, nec non universæ Lugdunensis Ecclesiæ, recitato Prop. 1. Quam Ecclesiam errasse errore facti scribit Pagius ad annum 849. ob apertissima monumenta, quæ extant apud Hincmarum, Annalistam Bertinianum, aliosque ejusdem ætatis Chronologos, quæ collegit etiam ex Historia Ludovici Celiotii Natalis Alexander Dissert. v. Sæculi IX. Honoratus Tournely de Hæresi prædestinatiana, aliique. Sed hæc omnia neque Prudentii & Rhemigii elevare possunt auctoritatem, neque Gothescalcum aperte hæreticum demonstrare. Id vero probatur singula breviter excutiendo.

17. Probatur ulterius. Primo, inquiunt, Gothescalcum anno 847. docuisse duplicem Prædestinationem ad vitam, & ad interitum sempiternum in collatione quam habuit apud Insubres cum Eberardo religiosissimo Comite, & in colloquio cum Episcopo Brixiensi Nothingo. Hunc certiorem reddidisse Rabanum Archiepiscopum Moguntinum, illumque sollicitasse ad confutandum Gothescalcum. Id clarissimum Archiepiscopum abunde præstasse, & insequenti anno 848. damnasse Gothescalcum in Synodo Moguntina. Verum hæc infirma sunt; primo quia non constat Gothescalcum asseruisse prædestinationem ad malum culpæ, quam tradunt Prædestinatiani, sed econtra liquet ex ipsius Confessione solam propugnasse prædestinationem ad pœnam ob præviſa demerita infligendam; unde etiam Vossius, qui de causa Gotescalci disputat libro VII. Historiæ Pelagianæ P. IV. dubitat, ne causa tanta contentione agitata vere

fuerit

fuerit Logomachia. Qui vero reponunt Gotheſcalcum in gemina Confeſſione errorem ſimulaſſe, repugnant ſibi ipſis, dum miſerrimum Monachum uſque ad extremum fuiſſe pertinaciſſimum, & perfricatæ in defenſando errore frontis, continuis clamoribus conqueruntur. Præterea ipſe Rabanus & Hincmarus fatentur, Gotheſcalcum Auguſtinianæ doctrinæ fuiſſe ſtudioſiſſimum: quod etiamſi hæretico Prædeſtinatiano convenire poſſit, Monachus tamen Orbacenſis non ideo ſe jactabat adhærere Auguſtino, ut negaret liberum voluntatis arbitrium: ſed, ut de ipſo libero arbitrio teneretur *quidquid à beato Auguſtino, & cæteris Catholicis PP. inculcatum eſt, non juxta perniciosiſſimum dogma Gennadii Maſſilienſis:* ut fatetur idem Hincmarus lib. de Prædeſt. cap. 21. Nothingus vero parum, ut Noriſius inquit, in Auguſtiniana palæſtra exercitatus, non is erat, qui poſſet Rabanum circa altiſſimam quæſtionem informare: unde iſte *non neceſſariam, & ad rem non pertinentem diſputationem aſſumpſit*, quomodo in libro de tribus Epiſtolis affirmat S. Rhemigius. Neque tamen ego de Rabano viro doctiſſimo ſiniſtrum fero judicium: ſed errores prædeſtinatianos rectiſſime damnatos pronuncio; at nego à Gotheſcalco vere fuiſſe prolatos, etiamſi aliquam cauſam damnationi, & quidem ſpecie tenus juſtam dederit poſtulatio Nothingi, & intemperans ingenium Gotheſcalci: de quo dicam in fine diſputationis.

18. Teſtimonia contra Gotheſcalcum eliduntur.

Secundo proferunt adverſus Gotheſcalcum luculentiſſima teſtimonia Hincmari, & Annaliſtæ Bertiniani, nec non Synodum Cariſiacam, quæ anno 849. edidit contra Gotheſcalcum quatuor anathematis Capitula, in quibus ſunt proculdubio Prædeſtinatianorum dogmata fulgurita. Verum neque hæc valida ſunt, ut videntur. Nam quod pertinet ad Hincmarum, *fuit illi fallere & falli proclive*, inquit Cl. Sirmondus diſſert. de 2. Dionyſiis cap. 4. *Camaleonti* à Nicolao Pontifice comparatus; & coacta ab illo Concilia ab eodem Romano Pontifice appellata ſunt in Ep. 46. *Conventicula de Sanguinibus*. Præcipitem fuiſſe in ferendis ſententiis conſtat ex eadem cauſa, in qua ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſe judex Gotheſcalcum damnavit, & cæſum virgis inaudito irreligioſitatis & crudelitatis exemplo vi compulit ad projiciendam in ignem Apologeticam Scripturam, quam Concilio offerendam in ſui defenſionem paraverat. Conſtat & ex altera cauſa circa Trinam unitatem, in qua Gotheſcalcum veram traditionem propugnaſſe nemo jure negabit, cum univerſalis Eccleſia Trinam Deitatem affirmet; & nihilominus Hincmarus etiam in hac cauſa Gotheſcalcum blaſphemum, & hæreticum declaravit, temere mutilatis Eccleſiaſticis hymnis, editisque de hoc etiam argumento fallacibus lucubrationibus. Conſtat etiam ex cauſa Rothadi, quem violentiſſima oppreſſione tentavit compellere, ut in propriam damnationem ipſe ſubſcriberet, quem tandem Romanus Pontifex, ut cauſæ meritum poſtulabat, abſolvit, & Hincmaro exprobravit Epiſt. 41. atrociſſimum ſcelus, imitationemque Dioſcori.

19. Roboratio.

Licet ex his appareat Synodum Cariſiacam conventiculum fuiſſe Hincmaro auctore coactum, neque certum ſit damnaſſe Gotheſcalcum, ut demonſtrat Noriſius Tom. 4. pag. 686. reſpondeo tamen quatuor illius Synodi Capitula, ſive anathematiſmos immerito contra Gotheſcalcum urgeri. Enim vero hæc eadem capitula exploſa ſunt à Synodo Valentina celebrata anno 855. canone quarto his verbis: *Porro Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minus proſpecte ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, à pia auditu fidelium penitus explodimus, & ut alia & ſimilia caveantur per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus.* Æquum eſt autem, ut potius Concilii Valentini, quàm Cariſiaci auctoritas teneatur. In hoc enim convenerunt omnes Epiſcopi trium provinciarum Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis, at in Cariſiaco ſola factio Hincmari interfuit. Deinde Valentinæ Synodi Canones anno 859. à Concilio Lingonenſi firmati ſunt, iterumque à pleno XII. Provinciarum Tullenſi habito eodem anno præſente Carolo Principe. Fuerat ergo injuſta Sententia Synodi Cariſiacæ adverſus miſerum Gotheſcalcum.

20. Confirmatio.

Me non fugit doctiſſimum Alexandrum laudata diſſert. v. §. XI, contendere decreta Valentinæ Synodi non pugnare cum Capitulis Cariſiacis. Poſſem inſiſtere, quod aliter judicarunt Valentini Patres, qui in his Capitulis expreſſe fatentur contineri errorem contrarium veritati. Poſſem & appellare ad Hincmarum, qui in II. Opere de Prædeſtinatione miratur eadem Capitula, quorum fuerat ipſe architectus, à tan-

tantis ac talibus viris, & Episcoporum primoribus fuisse damnata. Verum docebor, ut decet, ab Alexandro gravi ac perinsigni Scriptore. Valentinæ Synodi Patres, inquit ille, errore facti putarunt Carisiacorum Auctores Capitulorum asseruisse Christum eadem ratione, eodemque sensu esse mortuum pro iis, qui pereunt, ac pro illis, qui per Christi gratiam perseverant ac salvantur. Id verissimum esse fateor, non enim Synodus Valentina probavit Christum non esse mortuum pro omnibus, ut sibimet persuadent Jansenistæ. Dabo etiam Natali Alexandro, Canones Valentinos fuisse conscriptos ab Ebbone Gratianopolitano Episcopo, qui occultas gerebat cum Hincmaro simultates; Ebbonem etiam pannum aliquod quarto Canoni assuisse, quo expoliatur in Synodo Lingonensi & Tullensi: tametsi genuinum esse præfatum Canonem, constet ex citata præfatione ipsius Hincmari, imo etiam probatum à Nicolao Papa Epist. 24. affirmet S. Prudentius: nec non idem testentur Annales Bertiniani ad annum 859. & Sirmondus ipse in Hist. Prædestinat. cap. 12. neque conjecturæ Natalis Alexandri de assuto panno ab Ebbone quicquam probent, cum laudatus Canon fuerit paululum immutatus opera S. Rhemigii, ut consuleret dignitati Hincmari, & Caroli Regis, quorum auctoritate conscripta fuerant Capitula Carisiaca. Verum, ut dixi, omnia Alexandro concedantur.

21. Confirmatio ulterior.

Sed vicissim jure postulo, ut mihi Adversarii Gotheschalci similia concedant, maxime quod in mea sententia salvabitur à nota hæreseos infelix ille Monachus, & demonstrabitur evidentius prædamnata hæresis Jansseniana: cujus fautores, si opponamus dogmata Gotheschalci, habebunt fortassis rimulas mille, Quid ergo? Erravit, inquis, Synodus Valentina errore facti, & Canone illo quarto proscripsit hæresim Semipelagianam, aut, si mavis hoc dicere, confirmavit Augustinianam doctrinam de morte Christi sufficienter pro omnibus, efficaciter tantum pro Electis, etiamsi hanc negasse Patres Carisiacos nulla ratione probetur, ut opinati sunt per errorem facti Patres Synodi Valentinæ. Ergo à pari errare potuit Synodus Carisiaca errore facti, & quatuor Capitulis damnare hæresim Prædestinatianam de morte Christi pro solis prædestinatis, etiamsi hanc hæresim propugnari à Gotheschalco crederet Hincmarus deceptus errore facti. Hujus argumenti fulcrum est, quod dogma de Christi morte assertum à Gotheschalco, quemadmodum & alia capita sensum Catholicum patiuntur. Nam Christum efficaciter pro solis prædestinatis mortuum esse, sicut & dari prædestinationem impiorum ad sempiternum supplicium, non solum Gotheschalcus affirmavit, sed Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Theologi complures, qui tamen Prædestinatiani non sunt. Addis: Forte Ebbo Canoni Valentino assuit laciniam ob simultates cum Hincmaro. Et istud licet falsum gratis iterum concedatur: sed mihi fas sit reponere; Ergo & Hincmarus ad fallendum Ebbone proclivior potuit ornare fimbriis Capitula Carisiaca propter iratum, aversumque animum ab homine dura crudelique fortuna jactato.

22. Rationes, cur Gotheschalcus defendatur.

Videamus modo quare tam humaniter sentiamus de Gotheschalco. Prima ratio est, quod digniores fide videantur Rhemigius, Prudentius, Lupus Ferrariensis, Lugdunensis Ecclesia, & Synodus Valentina, quàm Hincmarus; ut liquet ex dictis. Deinde quia revera dogmata Gotheschalci Catholicum habent sensum, & toto cœlo distant ab errore Calvini, & Jansenii. Præterea quoniam ex ipsomet Hincmaro colligitur Gotheschalcum Catholico, non hæretico sensu ea dogmata propugnasse. Primo enim accusatur dixisse quosdam esse prædestinatos ad mortem æternam; quod de malo pœnæ accipiendum, liquet ex ejus Confessione, & ex ipso Hincmaro: in illa quippe ait, Deum prædestinasse reprobos ad interitum: *Propter præscita certissime ipsorum propria merita:* & apud Hincmarum de Prædest. cap. 21. *Præscivit eos pessimum habituros ortum, pejorem obitum: prædestinavit autem eos ad luendum perenne tormentum, & sempiternum interitum.* Accusatur secundo loco dixisse non esse in Deo voluntatem salvandi omnes: quæ assertio de voluntate efficaci vera est, & traditur ab Augustino cap. 96. Enchiridii, & eadem ferme sunt verba Gotheschalci apud Hincmarum in Epist. ad Rom. Pontificem Nicolaum. Accusatur tertio dixisse Christum non esse mortuum pro totius mundi Redemptione: quæ horrenda quidem, & recte anathemate proscripta assertio est: sed Gotheschalcus ait Christum non esse mortuum pro reprobis, ut scribit de Præd. cap. 29. idem Hincmarus, *perpetualiter*, id est, absoluta & efficaci voluntate donandi illis perseverantiam, & coronam. Rursus benigne de Gotheschalco sentimus, propterea quod hæc tria capita accusationis

tionis sunt omnino eadem cum objectis Gallorum, ut constat ex libro Prosperi adversus Collatorem, & ex Responsione ad Objectiones Vincentianas. Quare Gothescalco idem contigit quod assertoribus Augustinianæ doctrinæ, fuitque de iisdem commentitiis erroribus accusatus. Ulterius Hincmarus ubique accusat Gothescalcum, quod eamdem prorsus teneat pravitatem doctrinæ cum Monachis Adrumetinis, aliisque veteribus Prædestinatianis. At hæresim Prædestinatianam non fuisse apud Adrumetinos, neque anathematizatam à Prospero, demonstratum est supra; neque oppositum docent Tournely, Pagius, & Alexander. Fatemur itaque Gothescalcum audiisse tanquam Prædestinatianum, erroresque ei tributos jure fuisse proscriptos: sed ab eo defensatos pravo sensu, & servata undequaque æquitate actum cum eo ab Hincmaro affirmare non possumus. Concedimus denique Gothescalco claros fuisse adversarios, inter quos Joannes Erigena, qui à Floro Diacono egregie confutatus est: sed non defuerunt ei Defensores inculpatæ vitæ, ac famæ celebrioris, quos paulo supra commemoravi.

23. In quo Gothescalcus reprehendendus.

Demum in hoc Gothescalcum reprehensione dignissimum censeo, quod verum dogma imprudenter defendit, atque, ut ait Christianus Lupus, non ex charismate. Prædestinationem enim ad mortem in aures vulgi non sine offensione & scandalo prædicavit, ita ut multi in desperationem perducti dicerent: *Quid mihi necesse est pro salute mea, & vita æterna laborare? quia si bonum fecero, & prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest:* inquit Rabanus in literis ad Eberardum. Meminisse debuerat Gothescalcus etiam Massilienses sanctissimis doctissimisque viris apparuisse Augustinianam doctrinam primo aspectu perdifficilem & asperrimam, ac talem multo magis videri hominibus rudioribus, quibus altissimæ quæstiones non sunt, nisi caute, proponendæ. Imo prædestinationem ad mortem, quæ non potest nisi verbis admodum crudis explicari, nunquam apud imperitam plebem prædicandam esse arbitramur: prædestinationem vero ad vitam diverso plane modo, quàm soleant quidam ex Cathedra transeuntes ad pulpita, qui ut habeantur doctiores, prædicandi officium legitime non observant. Talis fuit Gothescalcus: qui prædestinationem ad mortem inter vulgi catervas, prohibentibus etiam Episcopis, pertinacissime dogmatizavit, cum tamen nihil interesset rei Christianæ, quomodo scribit Præf. 2. in Sæculum IV. Benedictinum Eruditissimus Mabillonius, incumbere in vocabulum Prædestinationis ad interitum, si modo aliis verbis Catholica Sententia teneretur. Neque Augustinianam doctrinam satis superque munitam necessum fuit Gothescalco à Predestinatianæ hæresis suspicione purgare, cum damnatis Semipelagianis tranquilla pace, regnoque suo potiretur. In hac ergo parte Gothescalci ingenium laudare non possumus, eumque propriæ famæ pessime consuluisse putamus, ita ut neque in ipso maculam hæreticæ pravitatis inveniamus, neque optimi Theologi temperamentum.

CAPUT XV.

An opportunum sit Populis prædicare Augustinianam de Prædestinatione Sententiam?

SUMMARIUM.

1. Monitum primum.
2. Monitum secundum.
3. Monitum tertium.
4. Monitum quartum.
5. Monitum quintum.
6. Monitum sextum.
7. 8. Respondetur objectis.
9. Octo signa Prædestinatorum.

Quo pacto de Prædestinatione Sanctorum Concionandum.

HISTORIA Gothescalci demonstrat posse etiam veræ doctrinæ in aures vulgi effusione magnam cieri tempestatem: cumque nonnulli, qui forte has nostras disquisitiones perlegunt, suggestum debeant conscendere, ut vitent contentionum pericula, consulantque honori Ordinis sui, & Christianæ plebis utilitati, hanc etiam quæstionem instituo, num, & quo pacto possint de prædestinatione Sanctorum haberi conciones; quam monitionibus præceptisque, non argumentationum textura juxta Augustini sensa resolvam.

MONITUM I.

Quamquam verissimum est dari prædestinationem Electorum ad vitam, & impio- I. Monitum 1.

impiorum ad mortem, illa autem fiat ex Dei beneplacito, hæc ex præscientia meritorum, atque omnis prædestinatus salutem consecuturus sit, omnis reprobus sempiternum supplicium; imprudenter se gereret Orator, qui tantummodo exponeret divinorum decretorum immutabilitatem: E. G. demonstrandum proponeret, non posse prædestinatum excidere à vita æterna, aut reprobum esse immutabiliter damnandum; atque in his duntaxat assertionibus tota versaretur oratio. Probatur 1. Scripturarum Sanctarum auctoritate, quæ nobis æternam vitam tanquam mercedem & coronam justitiæ proponunt, & nos ad observantiam præceptorum proposita retributione exhortantur, eamque apprehendendam esse declarant à perseverantibus usque in finem. Contra ignem æternum legis transgressoribus minitantur: quibus spei, timorisque incitamentis removentur vitia, virtutesque foventur; unde hæc monita exitiosissimum est prætermittere. Accedit malitia hominis & ad torporem proclivitas, quæ duo percellunt improbos ut nil quærant præterquam patrocinia peccandi: quos etiam tentat supplantator in desperationem inducere. Atque hoc primum præceptum traditur ab Augustino in lib. de Dono Persev. cap. XXII. his verbis: *Quæ tamen prædestinatio non ita populis prædicanda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodam modo ipsa sua prædicatione videatur; sicut redargui videtur & præscientia Dei, quam certe negare non possumus, si dicatur hominibus, sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est etiam utile medicamentum sic alligare ut aut non prosit, aut obsit.*

Monitum II.

2. Monitum 2. Præsertim, ne offendat conscientiam infirmam, abstinere debet Concionator à prædicanda prædestinatione ad interitum & ad mortem. Quod probatur præclarissimis Scripturarum exemplis, quibus ubique declarantur summa Dei misericordia, longanimitas, patientia, humanitas, voluntas salvandi omnes, alia plurima, quibus ad veniam petendam facile obdurati trahuntur. Cavendum est enim, ne ipsa veritas fiat occasio scandali mulierculis ad desperandum pronis, ac simus imitatores Gothescalci, cujus rationem, ingeniumque reprehendimus. Ergo à vocabulis, quæ imperitos turbare possunt, abstinendum est penitus. Atque hoc etiam præceptum docet nos S. Pater eodem lib. cap. 16. dicens: *Facile est enim, imo & utile, ut taceatur aliquid verum propter incapaces, maxime si timendum inde sit, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores.*

Monitum III.

Haud recte se gereret, qui prædicante 3.
Catholico viro prædestinationem ex me- Monitum 3.
ritis, adversus sacram concionem obloqueretur. Primo enim ut diximus lib. IV. capite 6. & 11. Mediastarum doctrina nulla perstringi debet censura. Deinde Concionatores illi non Theologicas quæstiones in rostris pertractant, neque divinorum decretorum altitudinem tunc inquirunt; sed moribus formandis incumbunt: & quidquid proferunt, si intelligantur de prædestinatione in ordine *executionis*, verissima sunt. Quare cum in habendis Concionibus hunc sibi scopum proponant erudiendi plebem, viamque demonstrandi, qua perducamur ad gloriam, debemus illorum doctrinam probare; neque apud multitudinem redarguere, quæ nullatenus pertinent ad exercitamenta Scholarum.

Monitum IV.

Etsi hæc vera sunt: debemus tamen 4.
gratuitam prædestinationem ad gloriam Monitum 4.
prædicare; quod licitum est, si prudenter fiat, simulque bonorum operum onera, quorum beatitudo merces est, & corona, Apostolica hortatione ingerantur, neque dissensiones Scholasticæ è suggestu prosiliant. Hoc monet Augustinus citato libro cap. XX. dicens: *Quid est, quod invicta concussi violentia veritatis recte se isti dicere existimant, Etsi verum est quod dicitur de prædestinatione, non est tamen populis prædicandum? Prædicandum est prorsus, ut qui habet aures audiendi, audiat.* Id vero S. Pater etiam ratione confirmat; si enim recte prædicatur pudicitia, pietas, aut quæcunque alia virtus, ut Deus recte colatur, & diligatur proximus: ergo & recte prædicatur prædestinatio gratuita, ut nemo mortalium glorietur in seipso, sed tantum in Domino.

Monitum V.

Rationem, quam Augustinianus in prædicanda prædestinatione servare debet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bet, est excitare in unoquoque spem, & ad sedulam legis observantiam vehementer hortari. Quæ profecto consecuturus est, si E. G. asserat prædestinationis nostræ causam esse Dei misericordiam & infinita merita Redemptoris, qui regeneravit nos in spem vivam: petendam esse assiduis precibus perseverantiam à Domino, cum omne donum perfectum descendat à Patre luminum: operandum esse cuique salutem suam, cum timore ac tremore, servandaque diligenter præcepta legis; quia licet prædestinatio beneplacitum sit Dei, ejus tamen consecutio meritis liberi arbitrii alligatur: fugiendum denique peccatum tanquam à facie colubri, propterea quod quisquis damnatur ad gehennam, propter sola peccata damnatur. Porro Augustinianam doctrinam tali cautione proponere videtur valde proficuum: quippe ex consideratione Divinæ misericordiæ quæ gratiam & gloriam gratis præparat, nemo est quantumvis scelestissimus, qui sperare non debeat, cum plus donare possit Dei misericordia, quàm hominum demereri malitia. Ex consideratione autem infirmitatis humanæ, & incertitudinis finis, quem nemini Deus revelat, ut simus semper parati, & nescientes diem, neque horam vigilemus tanquam ad adventum furis, salutaris timor incutitur, sanctaque bonorum operum solicitudo. Audiatur eodem lib. cap. XXII. Sanctus Pater hæc præmonens. *Non existimo*, inquit, *debere sufficere, nisi hoc, vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat, vos itaque obediendi perseverantiam à Patre luminum sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse à prædestinatione alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine, & bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia Beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ita Augustinus; ac subinde: *Hæc atque hujusmodi cum dicuntur sive paucis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus Sanctorum prædestinationem prædicare?*

MONITUM VI.

6. Monitum 6. Quoniam in contrariis opinionibus exercitati credunt ex doctrina Augustini removeri virtutes, & ad studia operum bonorum torporem induci, quod falsum omnino est, atque ut satis constat perantiquum Semipelagianorum convicium: quo iis quoque oratio possit esse jucunda, neque præjudicatis eorum opinationibus collineet: in hunc finem dirigendus sermo est, ut ad pietatis officia audientium corda inflammentur, maxime quod legitimum Concionatoris sit munus non aures tantum sono & numeris permulcere, sed opportune, importune arguere, obsecrare, plantare, evellere in omni patientia & doctrina. Hunc vero finem ex Augustiniana Theologia satis percommode assequetur orator. Humilitas enim E. G. quæ virtutum fundamentum est cæterarum, sive cognitio, qua homo sibi ipsi vilescit, facile excitatur, si quis animadvertat neminem discerni ab altero ex semetipso, sed divinorum liberalitate donorum; quod præsertim suadetur Augustiniana sententia. Ad spem trahit meditatio Divinæ omnipotentiæ & misericordiæ, quoniam his magis confidimus, qui præcæteris nobis opitulari & possunt & volunt. Et sunt quidem nostræ sententiæ cardines, quod complacuit Divinæ misericordiæ regnum pusillo gregi parare; & quod potens est suscitare filios Abraham ex lapidibus, & producere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Timor quoque oritur ex consideratione humanæ infirmitatis & indignitatis: Augustiniana autem doctrina humanam docet infirmitatem, ubi demonstrat arbitrium non valere ad bonum, nisi ab omnipotenti bono adjuvetur, neque Deum diligere, ut oportet, si non sancta voluptate & charitate trahatur. Atque adeo nobis merita nostra mala proponit, ut nullus Augustini discipulus divinarum gratiarum postulet amplitudinem, nisi ab inexhausto fonte misericordiæ ac pietatis. Neque faciunt nos Augustini dogmata desides, languidosque ad agendum; quin validius excitant ad orandum, cum oriatur orationis necessitas ex humili cognitione propriæ infirmitatis, & ex contemplatione Divinæ misericordiæ. Charitatis quoque singulare motivum est, recogitare perpetuam Dei dilectionem, qua elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, & immaculati non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam magnam. Excitamur præterea ad grati animi recordationem, & amorem erga Dominum Jesum Christum, cujus passionis merito donatur nobis perseverantia, & à massa perditionis specialissimo beneficio subtrahimur. Denique indicitur nobis ex Augustinianis principiis ne in peccatum aliquod pro-

prolabamur, aut negligenter exequamur opera pœnitentiæ, cum incerti simus, an post peccatum & voluntariam obdurationem redonetur nobis præter auxilium sufficiens ea gratia victrix, quæ superat motus perduellis concupiscentiæ: quam tamen gratiam debemus, ut dictum est, & petere orando, & sperare ab infinita Dei misericordia, quæ clamantes ad se nunquam deserit.

His ergo monitis prædestinationem Sanctorum poterit quisque in Augustiniana Sententia populis prædicare: imo virtutes promovere, extirpare vitia, vitare scandala, & incontaminatam Augustini doctrinam provide tueri adversus veteres Massilienſium objurgationes, quas aliquando repetere nonnullos minime pudet.

Oppositio unica.

7. Objectio unica.

Adversus prædicta objectio una remanet, eaque ex actis adversus Leonardum Utinensem inclyti Ordinis Prædicatorum. Is ergo anno 1549. dum per Quadragesimam Utini conciones haberet, prædicavit Prædestinationis nullam aliam rationem dari, quam beneplacitum Divinæ voluntatis, & nihil in æternitate præcessisse ipsam Dei voluntatem prædestinantem. Protulit inter cætera propositiones duas, quarum prima erat, *Prædestinatus nullo modo damnari potest*: altera, *Prædestinatio in voluntate & arbitrio nostro posita non est.* Cum hæc male à populis exciperentur, Vicarius Generalis Utinensis data ad Joannem Grimanum Patriarcham Epistola Leonardum tanquam hæreticum accusavit. Grimanus vero, qui Concionatoris defensionem suscepit, & ipse tanquam hæresis suspectus ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal delatus est. Non est ergo licitum prædicare populo prædestinationem gratuitam, & revera hæc ad torporem, desperationem, vel saltem scandalum Christianam plebem inducit.

Solutio 1.

Resp. 1. Nego consequentiam: nam, ut liquet ex duabus propositionibus, quas Leonardus demonstrandas assumpsit, non videtur ab eo servatum primum & secundum monitum supra ex Augustino depromptum. Cæterum etsi Vicarius Generalis, & nonnulli Utinensium steterint adversus Concionatorem, ejus tamen dogma à Patriarcha, necnon à doctioribus probatum est. Et sane illud prudenter expositum non ad desperationem impellit, ut diximus, sed spem excitat vividiorem. *An vero timendum est* (inquit Aug. de Dono Persev. cap. 22.) *ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperet, si eam in se ipso superbus & infelicissimus poneret?* Deinde licet aliqui sint ad vitia nimium proni, atque in torporem & negligentiam inclinent; non est tamen reticenda prædestinationis prædicatio ad utilitatem humilium, qui gloriantur tamen in Domino, & ad reprehensionem superborum qui confidunt in homine. Si enim quidam sint, qui nunquam orent, propterea quod Deus scit quid nobis sit necessarium, aut ex prædicatione Orationis fallaci consecutione inferant non innotescere Deo hominum desideria; *Num propter tales* (ait eodem lib. cap. 17. S. Pater) *hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur?* Sed plura ibidem, & sequentibus Capitibus acerrimus Prædestinationis & Gratiæ Vindex ac Propugnator.

Solutio 2.

Resp. 2. Leonardum Utinensem immerito fuisse accusatum, & pro eo pugnasse Joannem Grimanum in Epistola ad Vicarium Generalem Utinensem, in qua gratuitæ prædestinationis sententia proculdubio exponitur ac defenditur. Hanc vero Epistolam, quantum ad dogma spectat, probarunt Tridentini Concilii Patres. Quod probatur 1. Ex Epistola Cardinalis Lotharingii ad Pium IV. Pontificem Maximum, in qua refert Patriarcham Aquilejensem unanimi consensu fuisse purgatum: unde Pontifex non solum Grimanum in gratiam recepit, sed etiam purpura Cardinalitia exornare decreverat: qua tamen Grimanum denuo accusatum de amicitia cum quibusdam hæreticis privarunt postea malevoli. II. Ex Epistola ad S. Carolum Borromæum data Tridenti die 14. Augusti anno 1563. & à quatuor Cardinalibus subscripta: in qua hæc leguntur; *Judicarunt omnes absolvendum à calumnia ipsi ita imposita, asserentes illum nedum proprium, verum etiam suæ nationis Theologorum, quibuscum totum negotium diligentissime contulerat, sensum esse.* III. Ex votis Archiepiscoporum, Episcoporum, & Theologorum, qui rem discusserunt: quæ vota potest quisque legere in Historia Pallavicini, & apud Antoninum Reginaldum in libro de Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem Parte 1. cap. v. Tandem ex judicio ac sententia pronunciata die 14. Septembris eodem anno, & in publicas tabulas relata, quæ talis est: *Domini nostri Jesu Christi nomine invocato, solum Deum præ oculis habentes, & de aliorum in Theologia Peritorum consilio & assensu, judi-*

judicamus, atteſtamur & pronunciamus literas Joannis Grimani Patriarchæ Aquilejenſis, cum Apologia junctas, non eſſe hæreticas, ſeu de hæreſi ſuſpectas, neque ſic declaratas eſſe ſcandaloſas: non tamen divulgandas propter nonnulla difficilia minus exacte in eis tractata & explicata.

8. Inſtantia. Dices: Civitas Utinenſis, & Forojulii Provincia Patriarcham Grimanum ad Synodum provocarunt; atque, ut conſtat ex poſtremis verbis ſententiæ latæ, Grimani Epiſtolæ prohibitæ ſunt ne publicarentur. Ergo ſententia de Prædeſtinatione, quam aſſerebat Grimanus, ſuſpecta eſt, non populis prædicanda.

Reſponſio. Reſp. Priorem partem antecedentis falſam eſſe, licet enim Vicarius Utinenſis, aliique imperiti concionem F. Leonardi accuſaſſent, & poſtea multi Criminatores etiam Patriarcham Grimanum; tamen Utinenſis Civitas Præſuli ſuo omni humanitatis officio conjuncta operam maximam contulit, ut ipſius innocentia fieret manifeſta, & doctrina haberetur immunis. Nam cum Grimano unum fuiſſe ſenſum Theologorum ſuæ nationis affirmarunt Cardinales quatuor Legati Synodi Tridentinæ citata Epiſtola ad Borromæum. Imo & univerſa Venetorum Reſpublica Grimano publicis Epiſtolis ſedatis tempeſtatibus gratulata eſt. Ad alteram partem antecedentis dico, non eſſe à PP. Tridentinis ſtatutum ne prædicaretur Prædeſtinatio gratuita, ſed ne publicarentur Epiſtolæ Grimani, non propter dogma, ſed propter nonnulla, quæ ille minus in Theologicis diſputationibus exercitatus non ſatis exacte explicaverat: quæ ex eadem Epiſtola ad Carolum Borromæum, & ex laudatæ Sententiæ verbis certa ſunt, & majoribus quaſi theatris propoſita.

Oppoſitio cum ſolutione. At Grimanus, inquis, etiam poſt ſententiam Tridentinam ad Sanctæ Inquiſitionis tribunal delatus eſt. Ita ſane: ſed irrito perverſorum Accuſatorum conſilio. Magis quippe, magiſque Præſulis innocentia reſulſit: & ſumma cum laude fuit abſolutus, ita ut ipſi honoris cauſa hymni publice canerentur; quorum unam duntaxat ſtrophen recitabo:

Quam longos ſævoſque fero, Pater, impete triſtis
Inſultus odii ardenti virtute tuliſti!
Non ſecus ac amplam media inter nubila fervens
Efficit urenti ſemitam ſibi lumine Phœbus.

Demum etiamſi Grimanus non propter perverſa tempora graſſantis hæreſis Lutheranæ, ſed etiam ob dogmatum perverſitatem feciſſet purpuræ palliique jacturam: Aſſertoribus ac Prædicatoribus Auguſtinianæ doctrinæ ſufficit, in his, quæ ad hanc ſpectant, Patriarchæ Aquilejenſis Epiſtolas nullam reportaſſe cenſuram, ſed approbationem Patrum Tridentini Concilii, qui Grimanum abſolvendum eſſe judicarunt, quoniam de prædeſtinatione differens ab Auguſtino, Proſpero, Bernardo, & Thoma Aquinate nequaquam receſſerat: ut liquet ex Epiſtola ad Borromæum non ſemel citata.

CAPUT XVI.

De numero & ſignis Prædeſtinatorum.

SUMMARIUM.

1. Electorum numerus incertus eſt viatoribus.
2. Magnus eſt numerus Electorum, at comparativè ad damnatos valdè exiguus. Probatur id ex S. Scriptura.
3. Item ex SS. Patribus.
4. Item ex ratione evidentiſſima.
5. Ponuntur 8. ſigna Electorum.

1. De numero & ſignis Prædeſtinatorum. ELECTORUM numerum incertum Viatoribus eſſe nemo ignorat; & Eccleſia in Dominicis Quadrageſimæ ita precatur: *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus Electorum in ſuperna felicitate locandus;* quæ verba habet etiam D. Thomas Prim. p. Q. XXIII. art. 7. Quidam tamen Prædeſtinatos Angelis, qui ceciderunt, numero comparandos eſſe opinantur: aut Angelis etiam, qui ſteterunt. At Angelorum quoque ſive malorum, ſive bonorum multitudinem dinumerare non poſſumus, quamquam id tentarunt otioſi quidam homines, magi præſertim & Cabbaliſtæ: Præterea Auguſtinus lib. XXII. de Civ. Dei cap. 1. de ſempiterna illa Jeruſalem ſcribit: *Nulla civium ſuorum, id eſt Angelorum lapſorum numeroſitate fraudabitur, ſed uberiore etiam copia fortaſſe regnabit.* Quamvis autem Prædeſtinatorum numerus nobis incertus eſt, propter infinitam Dei prædeſtinantis miſericordiam quisque ſperare tenetur, ſe in eodem nume-

ro comprehendi, & sedulam navare operam ne ob patrata crimina æterno addicatur supplicio: atque, ut Bernardus monet Serm. 1. in Joan. solicitus esse in timore ac tremore, & humiliari sub potenti manu Dei, quia quales futuri sumus, id nos scire est omnino impossibile.

2. Propositio. PROPOSITIO. Magnus est Electorum numerus, at valde exiguus, si comparetur cum numero damnandorum.

Probatur ex Scriptura. Magnum quidem esse Prædestinatorum numerum probatur ex cap. VII. Apocalyp. v. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Sed in comparatione reproborum Electos esse perpaucos suadetur primo ex sacris literis. Matthæi enim VII. 14. legitur; *Angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam:* Et Lucæ XIII. 24. cuidam Christum interroganti, *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Ipse respondit: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Item Mat. XXII. 14. *Multi sunt vocati; pauci vero electi.* Comparantur etiam prædestinati ab Isaia Cap. XVII. & XXIV. spicis, quæ post messem in agro remanent, & granis uvarum, racemisque residentibus in palmite post vindemiam. Deinde appellantur in Evangelio *pusillus Grex*, non solum ob humilitatem, sed etiam *ob majorem numerum reproborum*, inquit Beda lib. IV. cap. 54. in XII. Lucæ.

3. Probatur ex S. Augustino. Secundo probatur ex PP. S. P. Augustinus in Ps. 48. *Quot sunt illi*, ait, *qui videntur observare præcepta Dei? Vix invenitur unus, vel duo, aut pauciſſimi. Ipsos solos liberaturus est Dominus, & cæteros damnaturus.* Atque magnus Gregorius Hom. XIV. in Evangelia: *Ad fidem*, inquit, *multi veniunt, sed ad cælestia regna pauci perveniunt.* Joannes autem Chrysostomus ita Antiochenos gravissima Oratione XIV. compellat: *Quos putatis esse in Civitate nostra, qui salvi fiant? Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur: quin & de his dubito.* Quod ex depravatis in quolibet hominum genere moribus disertissimus Orator demonstrat.

4. Probatur ratione. Accedit evidentissima ratio. Triplex enim distinguitur hominum status, naturæ videlicet, legis, & Gratiæ, sive ab Adam ad Moysen, à Moyse ad Christum, à Christo ad hæc tempora & deinceps ad mundi finem. In statu legis naturæ multa malitia hominum erat in terra; cuncta cogitatio intenta erat ad malum, & omnis caro corruperat viam suam super terram; ita ut pœnituerit Deum quod hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecus consumpserit omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usque ad pecus, tam reptile, quam volucres cæli, exceptis animantibus, quæ cum Noe ingressa erant in Arcam. Narrat magnam Dei vindictam sacrum Geneseos caput sextum ac septimum. Post diluvium iterum grassata est iniquitas, & una cum gentibus idolorum cultus, præceps appetentia, indomita, atque effrenata libido. Legem scriptam Judæi soli habuerunt, neque omnes illam servarunt, sed pauci admodum; ita ut David de Israelitis suæ ætatis hæc pronuntiaverit: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quid vero de statu legis gratiæ? Major in ea pars est aut Ethnicorum, aut hæreticorum. Vix enim Catholici partem tenent Europæ dispersi in cæteris mundi plagis tanquam fructiferum arbustum in sylva. Neque omnes Catholici salvi fiunt. Horum aliqui Mundani dicuntur, aliqui Clerici, aliqui Fratres aut Monachi. Quantum spectat ad illos, quos Mundanos appellant, *Præter pauciſſimos, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum quàm sentina vitiorum?* inquit in libro III. de Provid. Salvianus. De Clericis ob reverentiam Ecclesiastici ordinis nihil dicturi sumus. Mittimus ob eamdem causam Monachos, quos ita alloquitur in Epist. ad Guilelmum S. Bernardus: *Quis in principio cum Ordo cæpit Monasticus ad tantam credidisset inertiam Monachos devenire? Ob quantum distamus ab iis, qui in diebus Antonii extiterunt Monachi! Sic Macarius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit?* Addamus Bernardi verbis: *Sic Augustinus præcepit?* Ex his itaque constat in omni statu, & in omni hominum genere esse Prædestinatorum revera pusillum gregem. Debemus autem ex hoc numero Electorum exiguo apprehendere quid possit liberum arbitrium, quidque homini deberetur, nisi ei Reparatoris misericordia subveniret; ideoque spe simul erecti, ac timore concussi abjicere ægritudinem animi, atque arrogantiam.

5. Signum Prædestinatorum. SIGNA autem prædestinatorum hæc sunt. Primum sensuum illecebris mundique voluptatibus nuncium mittere, non

non quidem solo corpore, sed animo ac spiritu, neque ex prava deliberatione, sed ex libertate & consilio. Pollicitus est enim Deus fidelis in omnibus verbis suis centuplum & vitam æternam, *Si quis reliquerit domum, vel fratres, &c.* Matt. cap. XIX. 29.

Signum 2. Secundum signum est tolerare tranquillo animo persecutiones & injurias *propter justitiam*, ut colligitur ex eodem Evang. cap. V. 10,

Signum 3. Tertium signum est humilitas non ficta, sed vera, & quæ in omnibus, & erga omnes se prodat: legitur in Psalmo C. 7. *Non habitabit in medio Domus meæ qui facit superbiam:* Et Matth. XVIII. 3. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit se, &c.*

Signum 4. Quartum signum est ardens in Deum & proximum charitas: de qua in Epist. ad Rom. cap. VIII. 14. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Huic charitati adest individua divinorum præceptorum observantia, de qua Christus Dominus Joan. XIV. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.*

Signum quintum est libenter Dei verbum audire, Majorum exhortationibus acquiescere, & spirituali lectione magnopere delectari. Unde Joan. X. 27. legitur; *Oves meæ vocem meam audiunt.* Signum 5.

Sextum signum est specialissimus Deiparæ cultus. Nam de beatissima Virgine exponi potest versus 35. Capitis Proverbiorum octavi: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Signum 6.

Septimum signum est non confidere in homine, sed in Deo, dicente Davide Ps. XXXIX. 5. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Signum 7.

Octavum signum est sollicitudo in vitandis peccandi periculis, anxietas præteritorum peccatorum, studium placandi Deum fervens & expeditum, Sacramentorum frequentia, verborum castigatio, candor morum, puritas mentis, frequens examinatio conscientiæ, propositum perseverandi usque in finem, summa in reddendis votis fidelitas, & futuri judicii sine desperatione formido. Ad hæc omnia alia facile reducuntur. Signum 8.

CAPUT XVII.

An reprobatio positiva antecedat præscientiam peccatorum?

SUMMARIUM.

1. Quid reprobatio positiva, & negativa?
2. Qualiter positivam explicet Calvinus?
3. 4. 5. 6. 7. Calvinianum de reprobatione dogma horrendum est, detestabile, & omni execratione dignissimum.
8. 9. 10. 11. 12. Solvuntur objectiones.

1. Quid reprobatio positiva & negativa.

DE PRÆDESTINATIS hactenus. De reprobis differendum est modo; qui in sacris literis vocantur *maledicti, vasa iræ, & contumeliæ, repulsi, despecti, hædi à sinistris statuendi*, aliisque consimilibus caracteribus. Est autem reprobatio duplex, alia *positiva, negativa* altera. Positiva est actus Divinæ voluntatis, quo reprobis infligenda pœna decernitur. Negativa vero est privatio prædestinationis, sive non electio aliquorum ad gloriam electis aliis. Dari autem reprobationem negari non potest, dicente Domino in Evangelio Matth. cap. XXV. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Unde Valentinum Concilium Canone III. *Fidenter*, inquit, *fatemur prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

2. Qualiter Calvinus positivam explicet.

Calvinus de reprobatione positiva asseruit nullam aliam causam habere præter Divinam voluntatem, id est, fieri independenter à prævisione cujuscunque peccati tam actualis, quam originalis. Docuit enim impius hæresiarcha aliquos tam Angelos, quam homines conditos fuisse à Deo ad æternam damnationem, Deumque ipsum, ut latum à se decretum exequatur, imponere reprobis necessitatem peccandi, eosque positive & efficaciter ad peccatum impellere. Hæc affirmat Calvinus in Exposit. Epist. ad Rom. lib. III. Instit. cap. 21. & alibi: Zwinglius lib. seu Serm. de Providentia, Joannes Piscator in notis ad Collat. Vorstii, Theodorus Beza in libro de Prædest. aliique Calviniani: quamquam nonnullis illius sectæ hæc sententia visa est detestabilis, ita ut multi Magistri sui dogma repudiaverint. Glassius Saxo-Gothanus, *Faccessat*, inquit lib. 3. Grammat. Tract. 3. Can. 30. *illud dogma ad Orcum, ex quo in proscenium Ecclesiæ productum est.* Merito itaque Calvinianam blasphemiam etiam ab hæreticis reprobatam damnavit Sacrosancta Tridentina Synodus Sess. 6. Canone 6. & 17. Quare sit

3. Propositio. PROPOSITIO. Calvinianum de reprobatione dogma horrendum est, detestabile, & omni execratione dignissimum.

Probatur 1. ex Scriptura. Etenim repugnat. 1. Sacrarum Scripturarum oraculis: cujusmodi sunt Sap. XI. 25. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Oseæ XIII. 9. *Perditio tua ex te Israel tantummodo in me auxilium tuum.* Jacob. I. 13. *Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Et alia quamplurima. Accedunt definitiones Conciliorum. Arausicani celebrati an. 529. Canon XXV. est: *Aliquos ad malum Divina potestate esse prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum crederent, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Et Synodus Valentina habita, ut diximus cap. XIV. in Causa Gothescalci anno 855. Canone 3. post verba paulo supra recitata ait: *In electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum: in damnatione vero perituroruni meritum malum præcedere justum Dei judicium:* Citatus denique Canon 17. Tridentini Concilii talis est: *Si quis dixerit reliquos omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote Divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.*

4. Probatur 2. Traditione. Probatur 2. Traditione, quam etiam agnoverunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. 2. cap. 4. ubi de Patribus, qui proximo ab Apostolis ævo vixerunt, ita scribunt: *De Prædestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque, hominis scilicet, & diaboli lapsum attinet, negarint eum fatali necessitate contigisse: nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt.* Egregia Justini Martyris in Apologia ad Antoninum Pium, & in Dialogo cum Tryphone testimonia collegit Vossius lib. VII. Historiæ Pelagianæ P. 2. thesi 12. Item Anonymi Scriptoris Quæstionum eidem Justino falso tributarum, nec non Isidori Pelusiotæ Epist. 56. libri primi. Sed his prætermissis S. P. Augustinus fauces perstringit Calvino lib. XIII. de Trinit. cap. 12. ubi ait: *Modus iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem: non ita debet intelligi tanquam Deus hoc fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit, juste tamen.* Et lib. 3. contra Jul. cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Atque huc spectant omnia, quibus lib. IV. cap. VII. ex Augustino demonstravi dari in Deo præscientiam malorum absque prædestinatione Concordat S. Prosper, qui cap. 7. ad objecta Gallorum ait: *Reproborum lapsum Deo adscribere immodicæ pravitatis est, quasi ideo ruinæ impulsor atque auctor est, quia eos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit; & ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit.*

5. Probatur 3. Ratione. Rursus Calvinus refellitur rationibus ex magno Augustino depromptis: quarum sit prima. Sententia Calvini, quæ docet homines positive à Deo reprobari absque demeritorum præscientia, æternam legem, & ordinis universi tranquillitatem pervertit: Est ergo execrabilis & blasphema. Prob. ant. ex lib. 3. de lib. arbitrio cap. 9. ubi S. Pater ait: *Si peccatis detractis miseria perseverat, recte deformari dicitur ordo, atque administratio universi.* Et XIX. de Civit. Dei cap. 13. *Pax omnium rerum est tranquillitas ordinis: ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, in quantum miseri sunt, in pace non sunt, & tranquillitate ordinis carent. Veruntamen, quia merito & juste miseri sunt, in sua ipsa miseria præter ordinem esse non possunt.* Alterum argumentum est, quod ex Calviniano dogmate tollitur Divina providentia, & justitia: ait enim ibidem S. Pater: *Providentia summi Dei, non fortuita temeritate regitur mundus: & ideo nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.* Justitia vero exigit, ut pœna infligatur propter præcedentem culpam: unde inquit idem Augustinus lib. III. de lib. arbitrio cap. 18. *Omnis pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Tertium argumentum illud est, quod Pelagiani, qui negabant originale peccatum, affirmabantque parvulos non baptizatos excludi à regno cælorum, & absque culpa temporalibus miseriis vexari, sic ab Augustino redarguuntur lib. II. Operis Imperf. contra Julianum, *Cum dicitis nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum imposuit.* Et Serm. 14. de Verbis Apostoli: *Si parvulus est innocens, cur innocens imago Dei à regno cælorum excluditur? Salva justitiam, si potes.* At Calvinus contendit destinari reprobis supplicium ante prævisionem cujusque peccati. Ergo Deum facit injustum, plusquam Pelagiani, qui putabant quidem parvulos nulla culpa inquinatos excludi à gloria, non tamen asserere audebant, quomodo Calvinus dogmatizat, prædestinari ex so-

la

la Dei constitutione ad interitum sempiternum.

6. Interjectio Calvinistarum. Respondere solent Calvinistæ Deum præparare utique reprobis æternum supplicium independenter à meritis, sed non illud infligere, nisi post peccatum: quemadmodum præparat quidem gloriam ante prævisionem meritorum, sed illam in executione non confert, nisi post merita.

Responsio. Verum dum hæc Calvinistæ dicunt, nihil plane dicunt. Nam si pœnarum inflictio foret injusta, quando pœnis afficerentur innocentes, ut Calviniani fatentur: erit ergo etiam injustum decretum, sive Dei constitutio, quæ pœnam infligendam esse decernit, nulla præcedente malorum operum præscientia. Deinde talis constitutio absoluta, & antevertens quæcunque demerita vel justa est, vel injusta: si injusta, nequit in Deo excogitari. Si autem justa, poterit actu & executione perfici, etiamsi reprobatus innocens perseveret. Neque enim valet comparatio prædestinationis ad gloriam: quæ cum sit opus misericordiæ, non merita supponit, sed efficit. Quippe Deus cum sit bonus, potest sine bonis meritis liberare; sed cum sit justus, non potest damnare quemquam sine meritis malis: & misericordia exhibetur indignis, justitia autem dignis rependitur. Denique licet Calvinistis concedatur non infligi reprobis pœnam, nisi post perpetrata ab illis scelera; faciunt adhuc Deum injustum; cum in eorum systemate Deus vi decreti reprobativi impellat, trahatque inevitabili necessitate homines ad peccatum. At peccata nequeunt hominibus imputari, nisi sint libera, & voluntaria. Nam *peccatum usque adeo voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem tam manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat, &c.*; inquit August. lib. de Vera Relig. cap. 14.

7. Instantia Calvinistarum. Præterea reponunt Calvinistæ, in eadem absurda, quæ ipsis objectantur, impingere etiam Theologos Catholicos, quorum plerique docent Deum propter summum dominium, ac supremam erga homines potestatem aliquos à regno excludere absque præscientia, & absque peccatorum intuitu. Sed & hæc inanis evasio. Plures enim Catholici (quibus tamen minime subscribimus) antecedenter ad peccatorum præscientiam haberi putant solam reprobationem *negativam*, non *positivam*. Aliud est enim non eligi ad gloriam, quæ in horum Catholicorum sensu indebitum beneficium est: aliud destinari ad pœnam debitam culpæ. Primum ergo quidam Catholici docent, non secundum, Illi vero, qui tenent, posse Deum etiam innocentes in ignem inferni detrudere, qui perpauci sunt, antiquiorum numero, & auctoritate refutantur, non de potentia ordinaria loquuntur, sed in altera rerum serie, atque de extraordinaria potentia, ad quam præsens rerum constitutio non spectat. At Calviniani contendunt dari prædestinationem ad mortem independenter à culpa stante hac providentia: quod perversum est, & hæreticum dogma, Deique Ordinationi ac justitiæ plane contrarium.

Solutio.

ADEA, QUÆ OBJICIUNTUR A CALVINISTIS.

8. Notandum ad Objectionem. Possunt huc revocari loca illa divinarum Scripturarum, quibus videtur affirmari definitio ac prædestinatio ad malum, ut, quod legitur cap. 2. Act. Christum traditum in mortem *definito consilio*: & Gen. 45. Joseph venumdatum non fratrum consilio, *sed Dei voluntate*; Quæ, ut diximus lib. IV. cap. VII. ita accipienda sunt, ut Deus prædefinierit Christi redemptionem, & exaltationem Joseph, & prævidens eodem instanti Judæorum, filiorumque Jacob invidentiam, statuerit justo judicio hanc non refrænare, ut liberis perversorum hominum machinamentis Dei prædefinitio impleretur: & summa Dei misericordia simul commendaretur, justumque judicium; illa quidem in prædestinatione ad bonum, istud in permissione malorum. His ergo prætermissis,

9. Objectio 1. Opp. 1. In priori Epistola Petri cap. II. 8. hæc habentur: *His, qui offendunt verbo, nec credunt, in quod & positi sunt.* In quo loco habet Vulgata nostra, non, *in quod positi sunt*, quæ referuntur ad priora verba, *nec credunt:* sed *in quo positi sunt*, id est, *in quo verbo*: atque ita lectione nostra, eluditur Calvinianum præsidium; sensus enim est: *Offendunt verbo, in quo positi sunt*, non obediunt Evangelio Christi, ad cujus fidem prædestinati sunt. At Theodorus Beza satis aperte demonstrat legendum esse: *In quod & positi sunt:* quibus significatur aliquos efficienter prædestinari ad non credendum. Et quidem τιθέναι *ponere* frequentissime sumitur pro *ordinare* ac *destinare*, ut demonstrat plurimis exemplis etiam Grotius Tom. III. Op. Theolog. p. 1100. Porro lectionem Bezæ esse nostra meliorem probatur ex Græco, in quo legitur, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, *in quo & positi sunt:* ubi habetur pronomen neutrum, nec referri potest ad masculinum λόγον, *Verbum.* Destituimur enim exemplis, in quibus neutrum ponitur pro masculino, quando non agitur de persona, vel saltem de aliquo complexo;

plexo; ut eruditi viri facile demonstrabunt.

Solutio. Respondeo vulgatam lectionem tenendam esse, cæterisque præponendam: in quam collineat Arabica, & Syriaca, quæ diserte hanc sententiam habent: *quod non acquiescant sermoni, in quem positi sunt:* סימין: בַּד·לָא מֶתְטְפִיסִין לְמֶלְתָּא דַ·לְהָדֵא, quare aut corrigendus est Græcus, aut neutrum respondet *Verbo*, quatenus etiam Christi personam significat, ut in primo versu Epistolæ primæ Joannis, *Quod erat in principio, &c.* Deinde perperam Beza exponit *poni* prodestinari à Deo. Nam licet τιθέναι hunc sensum habere possit, tamen non legimus hoc loco *in quod positi sunt à Deo:* sed tantum, *in quod positi sunt.* Ut ergo Bezæ concederetur reprobos positos esse in incredulitate, non in Sermone ac verbo: non sequeretur positos esse in incredulitate per Dei prædestinationem, sed propriæ voluntatis malitia & diaboli directione.

10. Objectio 2. Opp. 2. Deus reproborum corda obcæcat, obduratque: nam Exodi VII. 3. *Ego*, inquit, *indurabo cor ejus.* Et Joan. XII. 39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, &c.* At si Deus aliquem excæcat, induratque, est causa ad peccatum impellens, pro suo lubitu damnans, & prædestinans ad interitum. Ergo, &c.

Solutio Resp. dist. maj. Deus reproborum corda obdurat, *subtrahendo gratiam*, concedo; *impertienda malitiam*, nego. Non eo sensu dicitur Deus excæcare corda impiorum, quod eis pervicaciam, malam cupiditatem, & peccandi libidinem infundat, & efficienter ad malum humanam voluntatem inflectat: non enim vult mortem peccatoris, neque ipse operatur iniquitatem, ut sacræ literæ, nec non summi, boni, justique Dei ratio aperte demonstrant. Sed occulto judicio sapientiæ suæ denegat auxilium efficax, sine quo impii libero voluntatis arbitrio in scelera prolabuntur. Propterea August. Epist. 194. alias 105. ad Sixtum docet Deum improbos obdurare *subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam.* Et tract. 53. in Joannem: *Excæcat*, inquit, & obdurat *Deus deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* In libro etiam XX. contra Faustum cap. 9. docet in opere malo *aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis, cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.*

Dices: At S. P. August. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 20. & 21. docet exemplo Pharaonis, aliorumque reproborum, nec non exquisitis Scripturarum testimoniis, *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum; quoniam malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem.* Igitur præsupposita in humana voluntate malitia, inclinat Deus, trahitque efficienter reprobum ad damnationem & culpam. 11. Instantia.

Resp. dist. consequens: Inclinat Deus trahitque ad culpam *directe* & per se, nego: *occasionaliter*, & permissive, concedo. Docet nempe Augustinus, ut ex supra dictis arbitror manifestum, impios aliquando deseri à Deo; quatenus sinit eos aut perversorum hominum consuetudine corrumpi, aut perturbationum & calamitatum magnitudine concuti, aut in bonorum temporalium affluentia superbire, aut aliis rerum circumstantiis abuti, in quibus etiam licita atque honesta inordinate ab improbis appetuntur. Hunc nodum erudite solvit S. Thomas in Epistolam ad Romanos cap. IX. 17. his verbis. *Instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum, & ad malum: unde Augustinus dicit lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 20. quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. Nam ad bonum inclinat hominum voluntates directe, & per se, tanquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter: in quantum scilicet Deus homini proponit vel interius, vel exterius, quod quantum est ex se, est inductivum ad bonum: sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum.* Quam doctrinam illustrat S. Thomas exemplo satis consono iis, quæ diximus de generali Dei præmotione; quam juxta Angelicum doctorem affirmavimus esse prædeterminantem tantum in ordine ad principia quædam generalia, in quibus particulares & individuæ operationes continentur, tanquam conclusiones in suis principiis. Exemplum illud est: *Deus instigat hominem ad bonum, puta regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles: sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui.* Solutio.

Et

Et hoc modo circa Pharaonem accidit: qui cum à Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem. Hæc S. Thomas.

12. Instantia ulterior cum Solutione.

Quod si insistas: Repugnat Deum summe bonum inclinare voluntates reproborum hominum ad malum, etiam *occasionaliter*; distinguenda erit hæc propositio: Repugnat Deum summe bonum inclinare ad malum occasionaliter, id est hominem constituere in tali occasione, quæ natura sua trahat ad peccatum, concedo: id est hominem ponere in ea duntaxat occasione, quæ posset illum excitare ad bonum, nisi propriæ perversitatis malitia abriperetur in malum, nego.

Argumentum Calvini ex Epistola ad Rom. cap. IX. v. 11. in proximo capite expedietur.

CAPUT XVIII.

Quid statuendum sit de reprobatione negativa.

SUMMARIUM.

1. Sententiæ, & opiniones Thomistarum.
2. 3. Sententia Augustiniana.
4. 5. 6. Reprobatio negativa suam ex parte reprobi causam habet, nempe originale peccatum.
7. & seqq. solvuntur objectiones.

1. Sententiæ & opiniones Thomistarum.

THOMISTARUM complures, quibus etiam subscribunt Sylvius, Estius, & Collegium Salmanticense, tenent negativam reprobationem, quam definivimus supra non electionem multorum ad regnum cæteris electis, nullum ex parte reprobi habere motivum; sed Deum absolutum donorum suorum Dominum, quemadmodum absque ullo meritorum intuitu electos prædestinavit ad gloriam, ita etiam nulla operum habita ratione plurimos reprobasse. Docent quippe hi Theologi, Deum principio voluisse rationalem creaturam, id est Angelos, hominesque creare; deinde quosdam pro suo beneplacito ad gloriam prædestinasse relictis aliis: tum electis singularia gratiarum dona parasse: ac postremo prævidisse peccata eorum, qui prædestinati non sunt, eosque ad supplicium ex tali præscientia damnasse. Qua opinio longe abest ab impietate Calvini; non enim gravissimi illi Theologi ex Divina reprobatione peccata hominum fieri putant, neque reprobos conditos fuisse ad damnationem, ut visum hæresiarchæ illi, qui summa cum errore malitia asseruit trahi reprobos ad interitum sempiternum fatali quadam necessitate. Neque tamen prædictam Thomistarum sententiam probant omnes illius Scholæ Magistri: sed plures fatentur solum originale peccatum esse causam, cur homines à regno cœlorum fuerint excluſi; ut docent Gonet, Lemos, Bancel, & novissime Eminentissimus Gotti. Hi tamen, cum in statu quoque innocentiæ efficacem gratiam, & gratuitam prædestinationem propugnent, tenentur saltem reprobationem negativam angelorum statuere ante præscientiam cujusque peccati, quemadmodum ante prævisionem meritorum defendunt Angelorum bonorum electionem. Nam in eo instanti, quo ante quæcunque merita Angelorum aliqui prædestinati fuerunt, reliqui profecto reprobati sunt negative, id est non electi. Datur ergo aliqua reprobatio negativa ante prævisa demerita, scilicet reprobatio angelorum, ut fatetur Cardin. Gotti de Reprob. q. IV. dub. 2. in fine. At si hæc vera sunt, quomodo valida erunt argumenta, quæ ab his Theologis afferuntur de reprobatione hominum propter originale peccatum, eo quod in Epist. ad Romanos cap. 9. exprimatur nomine odii & ab Augustino appelletur opus justitiæ, & pœna peccati? Hæc manifesto constare nequeunt, nisi viri illi docti reponant, negativam reprobationem in hominibus quidem esse opus justitiæ, sed in angelis denegationem beneficii indebiti. Verum si hæc dicantur, corruunt argumenta, quibus Augustinus demonstrat adversus Pelagianos existentiam originalis peccati, propterea quod imago Dei creata cum elevatione ad finem supernaturalem, non possit absque culpa à regno cœlorum excludi. Etenim respondere poterunt Pelagiani, etiam Angelum cum elevatione ad finem supernaturalem fuisse conditum, & tamen sine ullo demerito excluſum à gloria, & consequenter excluſionem istam non esse pœnam, neque ex ea demonstrari parvulos, qui non abluti baptismo decedunt, & cœlesti regno consensu Pelagianorum privantur, originali obnoxios esse peccato.

2. Sententia Augustiniana.

Ergo Augustiniana sententia est, quod Deus principio ita disposuit naturam hominum & angelorum, ut in eis prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid gratiæ suæ beneficium. Contulit,

tulit autem utrisque gratiam, sine qua perseverare non poterant, atque ut actu perseverarent in arbitrii potestate reliquit. Voluit proinde in eo priori instanti salutem & gloriam tam angelorum, quàm hominum, non absoluta prædestinatione, sed conditionate tantum, ideſt, si per liberum arbitrium in accepta justitia stetissent. Prævidit tum ex Angelis quosdam perseveraturos, quosdam casuros, & illos ad gloriam assumens in præmium perseverantiæ majori adjutorio cumulavit, & certitudine beatitudinis; hos vero juste in perditione sua dereliquit. Quare Angelorum pars electa est propter meritum, pars propter demeritum reprobata. Vidit pariter Adæ peccatum, ex eoque conflatam universi humani generis massam infectam ejusdem Adæ nequitia, quam potuisset idcirco perdere universam. At statuit eam reparare, decrevitque, ut pro omnibus hominibus Unigenitus, quem genuit ante Luciferum, natus in tempore ex Maria Virgine mortem subiret. Noluit tamen beneficio mortis Christi omnes Adæ posteros fieri eodem modo participes. Quibusdam beneplacito voluntatis suæ constituit conferre talem gratiam, quæ concupiscentiam etiam in baptizatis remanentem ad luctam præsertim in extrema vitæ periodo reprimat, ita ut finaliter perseverent, & efficaciter perducantur ad gloriam. Atque hi sunt *vasa misericordiæ*, sive prædestinati. Reliquis Deus donorum suorum Dominus noluit tantam gratiam impertiri: sed ut ostenderet cum misericordia justitiam, permittit ex illa perditionis massa nonnullos privari gratia baptismatis, nonnullos, etiam ex baptizatis, perduellis concupiscentiæ motibus assentiri, & propria libertate perire. Quapropter quisquis damnatur propter originale peccatum, aliquo pacto damnatur; sed alii proxime, alii remote: proxime illi, quibus tale peccatum non remittitur per baptismum: remote autem & *radicaliter* tantum alii, quibus peccatum originale remissum est, sed justo Dei judicio permittuntur cadere, jactari carnalibus concupiscentiis, & per liberum voluntatis arbitrium perire.

3. Augustiniana sententia ab auctoritate fulcitur.

Hæc est vera Augustiniana doctrina, quam tradit S. P. Epist. 105. ad Sixtum, in Ench. cap. 98. lib. III. contra Julianum cap. 3. Fulgentius lib. I. de Verit. Prædest. & grat. Prosper ad Septimam object. Gallorum, Africani Patres in Epist. Synodica cap. 6. Etiam S. Thomas ejusque discipuli celebriores Zumel, Lemos, Bancel, Godoy, Gotti, qui, ut diximus, in his quæ spectant ad reprobationem hominum nobiscum stant. Ex nostris vero omnes ferme, Norisius, Gregorius, Argentinas, Gibbon, Gavardi, Bellelli, Manso, Piette, omnes, inquam. Tantum de Baptizatis dissentire videntur Puteanus, Alviz, & Florez, sed explicatæ à nobis sententiæ neque istos arbitror refragari. Habemus ex Scotistis quoque Macedo & Frassen: ex recentioribus Juenin, Du Hamel, Habert, L'Herminier: ex ipsa Societate Jesu Bellarminum, Suaresium, Edmundum Simonnet, Vasquesium & quotquot docent peccatum Adæ demeruisse posteris gratiam *congruam*. Sed plura de his apud Norisium in Vindiciis cap. IV. §. X. Nos, cum cætera capita Augustinianæ doctrinæ alibi vindicaverimus, hoc postremum de causa negativæ reprobationis facile, Deo auspice, ac præeunte Augustino expedimus.

PROPOSITIO: Reprobatio negativa suam ex parte reprobi causam habet, nempe originale peccatum. 4. Propositio.

Tribus argumentorum generibus hæc propositio demonstratur, I. Ex Sacris literis. II. Ex auctoritate Augustini. III. Ex ratione theologica. Ex Sacris literis profero unicum testimonium Pauli ad Rom. cap. IX. 11. 12. & 13. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum Electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infra v. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Hæc verba nequeunt intelligi de reprobatione positiva, ut liquet, hæc enim fit ex præscientia actualium peccatorum, ut supra adversus Calvinianos est demonstratum. Igitur de reprobatione negativa sunt proculdubio exponenda. Jam vero ita argumentor, Qui reprobati sunt negative, odio habentur à Deo, & appellantur vasa iræ, vasa contumeliæ: Non possent autem odio haberi, neque appellari vasa contumeliæ, vasa iræ, nisi propter originale peccatum: Ergo propter originale peccatum reprobati sunt negative. Probatur minor 1. quia nihil potest odisse Deus eorum, quæ fecit, ut legitur Sap. XI. 25. Omnia enim, quæ ipse fecit, sunt valde bona. Quid ergo odisse potest in Esau, quid in reprobo, nisi quod ipse non fecit, id est originale peccatum? unde præclare S. P. lib. I. ad Simpl. q. 2. *Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Et in Epist. ad Sixtum: *Quid* Probatur I. ex Scriptura.

oderat

oderat in Esau antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Præterea habet Deus poteſtatem ex eadem maſſa perditionis unum eligere, alium reprobare, propterea quòd maſſa illa peccato primi hominis eſt inquinata; quomodo figulus ex eodem luto unum vas in honorem, aliud fingit in contumeliam: at ſi hæc maſſa eo fine producta ut ſi perſtitiſſet in accepta originali juſtitia ad beatitudinem eveheretur, antequam ulla nequitia inficeretur foret Dei lubitu deſtinata ut ex ea fierent vaſa iræ, non videretur in Deo perfecta illa juſtitia, quæ poſtulat, ut nemo ſine malis meritis damnetur. Et ideo Auguſtinus in Epiſt. 157. ad Optatum: *Merito*, inquit, *videretur injuſtum, quod fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quod ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam.* Poſtremo qui reprobationem negativam à ſola Dei voluntate repetunt, ex hoc eodem Apoſtolico teſtimonio ſententiam ſuam ſtabilire conantur, dicentes: poſſe Deum nulla habita ratione meritorum excludere creaturam rationalem à regno tanquam à beneficio non debito. Sed hoc falſum eſt, quoniam Deus neminem derelinquit, neminem rejicit, niſi ipſe antecedenter ab homine derelinquatur, atque, ut mox demonſtrabitur, ſola excluſio rationalis creaturæ à regno etiamſi non prædeſtinetur ad gehennam, igniſque ſupplicium, pœna maxima eſt. Aſſignari ergo debet iſtiusmodi pœnæ, ſive reprobationis, aut ſi mavis iſtud dicere, Divinæ derelictionis motivum aliquod ex parte reprobi: ideoque bene ac ſapienter Auguſtinus citata ad Sixtum Epiſtola: *Quærimus cauſam prædeſtinationis, & invenire non poſſumus: quærimus cauſam derelictionis, & invenimus eam cauſam eſſe peccatum originale.*

5. Probatur 2. ex S. Auguſtino.

Ex Auguſtino autem præter ea, quæ dicta ſunt, hæc depromuntur. Ac primum: Auguſtiniana ſententia eſt, Adamum non habuiſſe quidem perſeverantiam, quam ſi habuiſſet proculdubio perſeveraſſet, ſed hoc dono primum hominem minime indiguiſſe, quia tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut digne tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium. Nunc vero, ut actu perſeveret, opus eſt auxilio validiori: quoniam, ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, ſibi relinqueretur voluntas, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſet, maneret ſi vellet, inter tot, & tantas tentationes voluntas ipſa ſuccumberet. Quare peccato Adæ deperdita eſt potentia illa proxime expedita perſeverandi, quæ niſi data eſſet primo homini, non utique ſua culpa cecidiſſet. Data eſt propterea per adjutorium illud, ſine quo non poterat perſeverare ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Hæc ergo potentia proxime expedita potentiori gratia confertur modo prædeſtinatis, per auxilium ſcilicet actualis perſeverantiæ, ſive per adjutorium quo Deus operatur in nobis velle, & perficere. Atque hoc adjutorium, & hæc expedita ab omni impedimento potentia, quibus deeſt, pœna peccati eſt. Hæc docet Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. XI. & XII. iisdem plane verbis. Ex quibus manifeſtè theſis noſtra probatur: quippe illi negative reprobati ſunt, quibus Deus non præparavit donum actualis perſeverantiæ, neque conferre decrevit adjutorium, quo vividiori gratia reddatur in extremo agone potentia proxime expedita, ut nulla adverſitate vincatur; cujus potentiæ privatio in nobis pœna eſt originalis peccati: Ergo propter originale peccatum, ſaltem remote, reprobatur quiſquis reprobatur. Atque hoc argumento mirifice confirmatur ſententia, quæ repetit neceſſitatem gratiæ efficacis ex ſola corruptione naturæ: unde illud alto ſilentio prætereunt, qui ſe Auguſtinianos prædicant, & in utroque ſtatu gratiam efficacem propugnant. Sed recole quæ dicta ſunt lib. IV. cap. 8. & 9. Secundo Auguſtinus nullam prædeſtinationem gratuitam admittit niſi poſt Adæ peccatum; nam lib. de Dono Perſev. cap. XIV. Prædeſtinationem definit *præſcientiam ac præparationem beneficiorum, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur.* Et liberatio quidem miſeriam pœnamque ſupponit. In libro quoque XV. de Civit. Dei cap. 21. *Ex Adami*, inquit, *origine damnata, veluti maſſa una meritæ damnationi tradita, Deus fecit alia in contumeliam vaſa iræ, alia in honorem vaſa miſericordiæ.* Si ergo prædeſtinatio ſupponit peccatum; illud ſupponit & reprobatio negativa, quæ cum ſit non electio aliquorum electis aliis, fit cum prædeſtinatione eodem, ut inquiunt, ſigno & inſtanti. Rurſus negativa reprobatione fiunt homines vaſa contumeliæ, ut ex Apoſtolo demonſtravi: Sed per Auguſtinum ſi fierent homines vaſa contumeliæ ſine originali peccato, eſſet Deus injuſtus & iniquus; ait enim S. Pater Epiſtola 506. nunc 86.

Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Ergo per Augustinum nemo reprobatus est negative nisi propter originale peccatum. Denique S. Pater, negantibus Pelagianis originale peccatum, fatentibus tamen pueros sine baptismate raptos à regno cœlorum excludi, propter apertissimam Evangelii sententiam, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* telo isto hæreticos lacessit, ac reprimit: Excluduntur pueruli à gloria; ergo pœnæ subjiciuntur. At Deus justus non infligit pœnam absque culpa: culpam igitur habent aliquam infantes illi, qui ante usum rationis non expiati Baptismatis unda rapiuntur. Quod argumentum, ut satis liquet, nullum esset, si creatura rationalis ad regnum cœlorum ordinata posset inde excludi absque culpa. Utitur S. Pater hoc argumento lib. III. contra Julianum cap. 3. ubi recitata Christi Sententia, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ait: *Verum vos excellentissimi amatores illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse imaginis Dei in æternum exulare à regno Dei: cum, si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris.* Ac subinde: *Porro si quod huic sufficit causæ, parvam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro aperite qualescunque oculos, & videte qua justitia pœna ista infligenda sit parvulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato.* Sane hæc verba nequeunt intelligi de alia pœna, quam de exclusione sola à regno Dei; quia hanc solam à regno Dei exclusionem Pelagiani concedebant in pueris non baptizatis, adeo pervicaces & impii, ut nullam in his peccati pœnam agnoscerent.

6. Probatur 3. ratione.

Ex dictis hæ theologicæ argumentationes petuntur. I. Reprobatio negativa est non electio aliquorum electis aliis: Non electio supponit maculam originalis peccati: Ergo hanc maculam supponit negativa reprobatio. II. Reprobatio negativa est pœna: igitur supponit culpam. III. Quamvis gloria non sit debita rationali creaturæ, quemadmodum neque illi debetur gratia, ut contra Bajum Fide Catholica profitemur; ex quo tamen Deus condiderit rationalem creaturam cum originali justitia, & cum gratia sanctificante, iniquus esset si perseverantem in gratia & nulli demerito obnoxiam à regno cælorum excluderet: Ergo ideo illam à regno excludit, quoniam acceptam justitiam deperdidit, & originali labe contabuit. IV. Ut prædestinatis gratis confertur perseverantia finalis, ita reprobis justo Dei judicio negatur: Quod careant reprobi perseverantia finali pœna est originalis peccati, cujus effectus est privatio potentiæ expeditæ perseverandi, quam beneficio Conditoris acceperat primus homo: Igitur negativæ reprobationis motivum est macula originalis. IV. Dei constitutio, qua electis aliis plurimi reprobantur, in ordine ad electos est actus misericordiæ liberantis: Ergo in ordine ad reprobos est actus justitiæ punientis. Hæc omnia ex dictis videntur satis manifesta.

Contraria argumenta refutantur.

Opp. 1. Apostolus in Epist. ad Romanos citato cap. 9. ait, Esau odio habitum fuisse, *antequam aliquid boni egisset, vel mali*; ergo independenter à præscientia cujusque peccati reprobatus est Esau. Ad hæc: ibidem Apostolus refundit reprobationis motivum unice in Dei potestatem exemplo figuli, qui ex eodem luto fingit quædam vasa in honorem, quædam in contumeliam; ideoque ex Dei voluntate, & inscrutabili judicio fit tam prædestinatio, quàm reprobatio. Ulterius S. P. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ cap. VIII. non minus reprobationem refert ad inscrutabilia judicia Dei, scribens: *Cur in eadem causa me potius, quàm illum puniet, aut illum potius quam me liberabit? hoc non dico: si quæris, quare? quia in hac re sicut justa est ira ejus, ita inscrutabilia judicia ejus.* Idem docet S. Thomas lib. 1. ad Annibaldum q. unica art. 3. dicens: *Voluntas, secundum quam vult Deus aliquem non salvari, non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriæ non sit debita naturæ humanæ.* Denique hæc omnia confirmantur ratione; nam Deus est gloriæ Dominus absolutus; potest ergo illam creaturæ rationali denegare, etiamsi nullum in ea præsupponatur peccatum. 7. Objectio 1.

Resp. Apostolum per ea verba *antequam aliquid boni egissent, aut mali*, excludere merita personalia, non originale peccatum, ut supra ratione, & Augustini auctoritate satis superque probavi. Refundit vero in Dei potestatem, & in judicia Dei inscrutabilia reprobationem comparative acceptam, non absolu- Solutio.

solute: nempe, cùm omnes homines spectent ad massam eamdem luti, sive ad humanam naturam primi hominis macula infectam, & posset Deus justo judicio universam damnare, ex ea quædam vasa honoris, quædam iræ & contumeliæ fieri constituit, sola quidem sua potestate, quia in hac re sicuti justa est ira ejus propter peccatum, ita magna est ejus misericordia propter demeritum. Eadem est sententia Augustini, eadem est D. Thomæ: qui in Epistolam ad Romanos scribit: *Deus liberam habet potestatem ex eadem massa corrupta generis humani, sicuti ex quodam luto . . . . quosdam homines facere præparatos in gloriam, quosdam in miseria relictos*, &c. & Q. III. de Veritate art. 2. *In ipsa electione ratio est divina bonitas: ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Augustinus dicit.* Quod ergo scripserat ad Annibaldum accipiendum est de massa generis humani spectata cum originali noxa: qua præsuppositâ est quidem gloria beneficium indebitum, cum tamen deberetur creaturæ rationali conditæ à Deo cum originali justitia & gratia sanctificante, si in his per liberum arbitrium perseverassent. Ex quibus solvitur quoque ratio postremo loco producta.

8. Explicatio Solutionis.

Hæc ex dictis facile comprobantur: sed manifestius etiam explicabuntur. Reprobatio absolute, & comparative potest considerari. Absolute, si instituatur quæstio; Cur E. G. reprobatus est Cain, cur Esau, cur Judas? Comparative si quæras, cur non reprobatus Abel & reprobatus est Cain ex uno Adamo progeniti? Cur Esau, & non Jacob? Cur Judas, non Petrus? Priori ergo quæstioni absolute propositæ, respondemus: Propter peccatum originale; *Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat*, ait lib. de Dono Persev. cap. VIII. Augustinus: & pariter S. Thomas in Epist. ad Rom. *Cum omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: & sic quibusdam est misericors quos liberat, quibusdam autem justus, quos non liberat: neutris autem iniquus.* Alteri autem quæstioni, Quare liberatus est Abel non Cain, quare Jacob non Esau, quare Petrus non Judas, si omnes ex uno homine in condemnationem justam judicati sunt ire? respondendum est cum Apostolo: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Cum Augustino eodem loco: *Cur iste assumatur, ille derelinquatur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Cum beato Thoma in caput VI. Joannis: *Ratio quidem in generali potest assignari, ut scilicet in his qui non trahuntur appareat & refulgeat ordo divinæ justitiæ, in illis autem qui trahuntur immensitas divinæ misericordiæ. Quare autem in speciali trahat hunc, & illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis Divinæ.* Quamobrem præcedentia argumenta, & si quæ sunt his consimilia, hac distinctione solventur: Refunditur in solam potestatem, & inscrutabile judicium Dei reprobatio in particulari & comparative accepta, concedo: considerata generaliter & absolute, id nego.

9. Objectio 2.

Opp. 2. Saltem in reprobis baptizatis, quibus originale peccatum remissum est, nequit tale peccatum esse reprobationis motivum; quippe Concilium Tridentinum Sess. V. de Originali Peccato hoc decretum edidit: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* Quod affirmat etiam S. P. Aug. lib. I. ad Bonifac. cap. X.

Notandum 1.

Perdifficile est hoc argumentum, quo plures permoti à sententia Augustini recesserunt, ejus verba à nobis perversa intelligentia accipi autumantes, cum iidem profecto minime fuerint illa assecuti. Nequeunt enim percipere, quomodo originale peccatum remittatur, & nihil in renatis remaneat damnationis, & tamen illud causa sit reprobationis negativæ omnium damnatorum. Advertendum tamen iis erat, hanc eamdem esse secundam apud Prosperum objectionem Gallorum, qui Augustinianam doctrinam suggillabant, quasi ex ea consequatur, *quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam non auferat baptismi gratia originale peccatum:* Cui tamen objectioni neque Prosper, neque quispiam alius Augustinianæ sententiæ vindex respondit S. Augustinum de baptizatis minime esse locutum. Neque hæc ullatenus poterant respondere, utpote qui bene noverant odisse Deum juxta Augustinum in Esau originale peccatum, cui proculdubio per circumcisionem remissum fuerat. Quomodo ergo ex hoc evadendum est labyrintho? Non quidem filo quorundam, qui respondent peccatum originale remitti quatenus est peccatum personæ, non quatenus est peccatum naturæ. Non est adeo perspicax ingeniolum nostrum, ut hæc tam speciose dicta

assequatur: quippe non flocci facienda videntur quæ Adversarii reponunt, peccatum originale dici peccatum naturæ quia contrahitur nascendo: personam vero ac naturam in hoc tantum differre, quod illa est natura ipsa per se incommunicabiliter existens: irrationabiliter dici remanere infectam in individuo naturam dum persona renascitur: separari non posse nequitiam & damnationem unius ab altera: non esse denique verum quod nihil damnationis remanet in renatis, si remanet natura ipsa damnata; & alia istiusmodi, in quibus, si virorum illorum premantur vestigia, vereor ne adhuc in labyrintho versemur.

Notandum 2. Itaque recurrendum est ad statuta supra Augustiniana principia. Diximus ex originali peccato non solum consequi privationem gratiæ sanctificantis, sed etiam privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum, quæ tollitur per auxilium *quo*, necessarium in præsentis agonis statu, ubi caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem; non quod sine tali auxilio non detur potentia, & facultas liberi arbitrii, quæ stat, ut alibi demonstrabimus, etiam sub minima gratia; sed quia non viget amplius hujus arbitrii sanitas, quam primi peccati granditate perdidimus; & quam perficit medicinalis gratia Christi faciens ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Non opus est eadem repetere iis, qui Augustini libros de Gratia, & Perseverantiæ dono legerunt. Qui ergo non baptizantur à regno cœlorum proxime excluduntur propter peccatum originale, quatenus sequitur inde privatio justitiæ, & gratiæ sanctificantis. At qui baptismatis gratiam perceperunt, reprobantur propter originale peccatum remote, quatenus non datur eis donum perseverantiæ, & potentia proxime expedita per speciale illud adjutorium, quo Deus in homine operatur ut velit. Hæc Augustinus: hæc Patres Africani in Sardinia exules: hæc Magnus Gregorius apud Norisium, quem vide citato loco Vindiciarum.

II. Solutio. Nunc vero ad argumentum respondeo: Concilium Tridentinum definit in renatis nihil remanere damnationis, id est deleri penitus peccati maculam, tolli privationem sanctitatis, & justitiæ, infundi habitum gratiæ sanctificantis, non vero, ut impii putant hæretici, originalem labem non imputari, tegique, aut radi duntaxat; concedo. Definit Tridentinum ita nihil remanere damnationis, ut in singulis, qui renascuntur, sanetur vulnus concupiscentiæ, caro amplius non concupiscat adversus spiritum, reddatur libertas illa vegetior, quam habuit Adam, aut ne succumbat, conferatur unicuique adjutorium, *quo*, & donum actualis perseverantiæ; nego. Sacrosancta enim Synodus eodem loco declarat, *Manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem: quam concupiscentiam aliquando Apostolus peccatum appellat, non quod vere & proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et Sess. VI. Can. 22. definit *justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare non posse.*

Dices: Deus remittens culpæ reatum remittit etiam pœnam peccati: Baptizatis remittitur culpæ reatus: Ergo baptizatis remittitur pœna peccati. 12. Urgetur.

Resp. dist. Majorem: Remittit etiam pœnam peccati, id est omne debitum proxime & immediate connexum cum ipsa culpa concedo; connexum remote tantum & *radicaliter*; nego. Exclusio à gloria est proxime connexa cum reatu peccati, & remote connexa cum privatione potentiæ proxime expeditæ, sive specialis auxilii actualis perseverantiæ, quæ privatio est pœna peccati. Qui ergo percipit baptismi gratiam, nequit proxime damnari propter originale peccatum, quoniam reatu hujus peccati caret, & nihil remanet in eo damnationis: damnatur tamen ob originale peccatum remote, quia, ut Africani Patres loquuntur in Epist. Synodica cap. 7. [*Per nequitiam cordis* (impius) *in hominis terreni vetustate permanet, illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justeque damnat.* Respondetur.

Insurges: Adam in statu innocentiæ caruit dono perseverantiæ, & adjutorio *quo*: neque tamen illo privatus est propter originale peccatum. Falsum est ergo denegare Deum donum actualis perseverantiæ in pœnam peccati Adæ. 13. Instantia.

Resp. nego conseq. Nam Adam nulla origine vitiata, nulla putredine nequitiæ compactus non opus habebat hoc adjutorio: eique fortissimo permisit Deus facere quod vellet, suffulto gratia, sine qua perseverare non posset, non qua actu fieret perseverans. Tali enim gratia felix ille homo nulla pugna lacessitus minime egebat. Nunc vero ad elationem reprimendam tumoremque superbiæ opus est amplioris gratiæ virtute, quam Deus aliquibus misericorditer elargitur, aliquibus juste denegat, ne sibi ipsi humana fidat infirmitas, & gratiam agnoscat in iis qui liberantur, in iis vero qui derelinquuntur debitum Solutio.

tum ac judicium. Legite Augustinum de Corrept. & Grat. cap. XII.

14. Objectio 3. & Solutio.

Opp. 3. Non datur causa prædestinationis: Ergo nec reprobationis.

Resp. nego consequentiam; ut enim docet S. Pater lib. III. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est.* Ideoque *quærimus causam prædestinationis, & invenire non non possumus: quærimus causam derelictionis, & invenimus eam causam esse peccatum originale:* ait idem Augustinus in Epist. ad Sixtum. At de his supra.

15. Objectio ultima cum Solutione.

Opp. Ultimo: Nonnulli Theologi hanc sententiam comparant refutato superiori Capite dogmati Calviniano.

Resp. Iniquum esse horum Theologorum judicium, & non solum fulgidissimum Ecclesiæ lumen Augustinum, verum etiam cujusque ordinis Scriptores præclarissimos hac objectione irreverenter, & maxima sine pudore nequitia vexari. Inter Augustinianam, & Calvinianam sententiam prima ratio discriminis intercedit; quod Calvinus reprobationis primariam causam non peccatum constituit, sed absolutam Dei voluntatem: Augustinus contra neminem sine malo ejus merito docet reprobari. Deinde Calvinus asseruit homines ad interitum violenter impelli: at Augustinus, voluntate sua cadere qui cadit, & adjutorio gratiæ stare qui stat. Calvinus præterea, radi tantum, sed non remitti in baptizatis peccatum originis, ideoque proximam in his damnationis causam manere: Augustinus, percepta baptismi gratia originalem maculam prorsus abstergi, & remanere concupiscentiam ad agonem, causam damnationis remotam. Ad hæc Calvinus in ipsa concupiscentia peccati originalis statuit naturam: Augustinus autem in macula reatus, quem penitus delet baptisma. Calvinus denique nulli reprobo fidem veramque justitiam concedit; & Augustinus reproborum plurimos & credere & justificari fatetur, licet in accepta justitia non perseverent finaliter. Perperam ergo nebulones offundunt tenebras splendidissimo nomini Augustini,

Quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo.

Inquit Prosper cap. 2. Carm. contra Ingratos.

CAPUT XIX.

Absolvitur liber sextus non nullis circa Reprobationem impiorum adnotationibus.

SUMMARIUM.

1. Nullum peccatum Divinæ reprobationis effectus est.
2. Benè verò permissio peccatorum, & justa denegatio supernorum auxiliorum.
3. Dicta de effectibus prædestinationis hìc proportionaliter advertenda veniunt.
4. De numero reproborum.
5. Quibus gradibus constet scala perditionis?

1. Nullum peccatum reprobationis effectus est.

PAucis hoc postremum caput expediam quibusdam propositis, quæ ex dictis facillime percipiuntur. Ac nonnulla de Reprobationis effectibus, quædam de reproborum numero, ac via parditionis brevissime recensebo.

De reprobationis effectibus hæc occurrunt. Primo, cum Deus neminem ad peccatum compellat, neque sit efficiens causa malorum culpæ, nullum peccatum Divinæ reprobationis effectus est, sed potius causa. Definit enim Valentinum Concilium Can. 3. *In damnatione meritum malum præcedere justum judicium Dei.* Et quidem originalis culpæ præscientia hominum reprobationem non sequitur, sed antevertit. Alia peccata non efficiuntur Dei prædeterminatione, sed ex voluntatis malitia, neque decretum aliud supponunt, nisi permissivum. Sunt vero peccata reprobationis causa diverso modo; Originale reprobationis negativæ sensu quæstione præcedenti explicato: & peccatum, quod cum morte conjungitur, qualecunque illud sit, reprobationis positivæ, & interitus sempiterni. Sed in Angelis, qui non sunt ex vitiata massa producti, fuit reprobationis motivum actuale peecatum.

2. Benè verò permissio peccatorum, & justa denegatio supernorum auxiliorum.

Erunt ergo reprobationis effectus permissio actualium peccatorum, & justa denegatio supernaturalium auxiliorum, non quidem omnium, sed eorum, quæ efficaciter ad gloriam perducunt, quorum non sunt vasa iræ, filiique perditionis participes. Deus enim prævidendo aliquorum peccata decernit impios æterna pœna punire, statuitque eadem peccata non impedire speciali gratiæ adjutorio, relinquens hominem in manu consilii sui, eumque obdurans & excæcans subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam: ad malum quippe sufficit se sola creata voluntas, imo & inclinatur perduelli concupiscentia; quæ est pœna peccati, neque vincitur nisi contraria delectatione justitiæ. Quam ob rem subtrahente Deo auxilium victricis gratiæ, sequitur voluntarium peccatum,

catum, & obduratio impiorum: cujus permissio, non efficientia, erit Deo tribuenda. Non sunt tamen effectus reprobationis, sive originale peccatum, sive actuale Angelorum; quoniam ea quidem permisit: sed neque homini, neque Angelis, priusquam caderent, subtraxit Deus aliquod auxilium necessarium ad perseverandum: gratia enim efficaci, quam utique non habuerunt, non egebat rationalis creatura in illo felicitatis statu. Horum ergo peccatorum permissio non attinet ad voluntatem prædestinantem, aut reprobantem, sed ad conditionatam antecedentem, qua voluit Deus ostendere quid posset liberum arbitrium absque præderminantis gratiæ adjutorio.

Dicta de effectibus Prædestinationis hic proportinaliter advertenda.

Quæ ergo diximus Cap. XII. de effectibus prædestinationis, sunt de reprobatione servato utriusque ordine confirmanda; ita ut reprobationis sit effectus quidquid est à Deo reprobante, & ad æternam damnationem perducit ex Dei intentione. Unde neque natura reprobi, neque liberum arbitrium, neque cujuspiam generis facultates inter effectus reprobationis sunt numeranda, cum non hæc largiatur Deus creaturis, ut pereant: quemadmodum effectus reprobationis non sunt sive inclinatio ad malum, sive culpa, sive arbitrii perversitas, quoniam hæc non sunt à Deo efficienter. Igitur effectus reprobationis erunt permissio peccati quod nunquam dimittitur; justa denegatio doni perseverantiæ; excæcatio & induratio, quatenus idem sunt ac debita hominis impii derelictio, & misericordiæ subtractio, non prout sunt humani cordis singularis inertia ac nequitia: supplicium denique sempiternum, quo Deus juste punit quod ipse non fecit. Si autem quæras, quomodo permissio peccati, quod nunquam dimittitur, sit effectus reprobationis, & nihilominus ipsum peccatum sit causa damnationis, atque ad illam præsupponatur; jam dictum est permissionem illam esse effectum reprobationis negativæ, ob quam denegatur gratia finalis perseverantiæ, & peccatum cum morte conjunctum esse causam reprobationis positivæ, atque sempiterni supplicii. Eo pacto donum finalis perseverantiæ effectus est gratuitæ prædestinationis, & perseverantia ipsa est causa glorificationis ac perennis felicitatis. Nihil est ergo in ea, quam propugnamus sententia, imperceptibile, vel repugnans.

4. De numero reproborum.

Numerus reproborum quantus sit, ille solus comprehendit, cui noti sunt qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam: neque alius potest, quam Judex, plectendos pœna discernere. Majorem tamen esse reproborum, quam prædestinatorum numerum diximus capite sexto decimo: quod nos humiliores ac timidiores reddere debet, quemadmodum eo loco monuimus.

5. Quibus gradibus constet scala perditionis.

Scala denique perditionis his gradibus constat. Primo reprobus leviora peccata contemnit, iisque super capillos capitis sui multiplicatis torpescit paullatim, & derelinquit illum cor ejus, crescit profusa & effrænata cupiditas, flaccescit orationis studium, ac sensuum custodia, atque à scintilla una augetur ignis, & qui minora spernit in majora, prolabitur. Dein contrahitur macula mortalis culpæ, quam sequitur individua comes mors animæ, recedente ab ea cum gratia sanctitatis Deo vita spiritualis cujusque substantiæ. Descendit tanquam tertio gradu impius in peccandi consuetudinem, qua, veluti catena quadam constringitur, adeoque gravatur, ut nequaquam surgat ad pœnitentiam. Hinc delabitur in mentis excæcationem: impius enim, cum in profundum venerit, non intelligit, rationem obscurante fascinatione nugacitatis; atque ita excæcatur ne videat & non intelligat corde: fitque, ut descendenti per subterraneos gradus corporaliter evenit, via illius tenebræ & lubricum. Profundior tum, ac deterior succedit gressus, id est, cordis obduratio, maloque inhærens animi pertinacia: de qua Apostolus ad Rom. II. 5. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei;* & Eccl. III. 27. *Cor durum habebit male in novissimo.* Si quis nostrum (quod Deus avertat) per hos perditionis gradus progreditur, pedem tandem retrahat: clamet de profundis ad Dominum, quia apud illum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: revertatur à via sua mala: ne tardet converti ad Dominum, & ne differat de die in diem: apprehendat disciplinam, ne quando irascatur Deus, & pereat de via justa: speret in eo, qui coronat in misericordia & miserationibus; timeat de se ipso, Deus enim non *implanavit* peccatores, neque necessarii sunt ei homines impii. Utinam hujus libri assidua lectio, Deo prædestinate ac præmovente, illud præstet, ut nemo desperet, nemo intumescat.

Explicit Liber Sextus.

PRIORIS VOLUMINIS PROPOSITIONES.

I. THeologo usus Dialecticæ summopere est utilis, ac necessarius. 5

II. Non superfluit, sed illi plurimum confert etiam naturalis Philosophia. 6

III. At ea sola duci non debet, sed illam in obsequium fidei captivare revelationibus divinis subnixus. 7

IV. Scholastica methodus, ad quam Petrus Lombardus Theologiam revocavit, non est absolute necessaria, bene tamen perutilis. 7

V. Theologia autem Scholastica utilis est, necessaria, & ad profligandas hæreses, fidemque firmandam aptissima. 8

VI. Scientia utique Theologia est, sed non ejusdem rationis cum aliis scientiis. 15

VII. Illius habitus ad praxim simul, & speculationem reducitur. 16

VIII. Quamvis principia Theologiæ lumine supernaturali innotescant, attamen illa ad naturales scientias pertinere videtur. 16

IX. Theologia sive Speculatrix, sive Moralis, sive Polemica unus est habitus. 17

X. Hujus scientiæ objectum *attributionis est Deus*: objectum *adæquatum* est omnis conclusio quæ inferri potest ex propositionibus fidei: objectum *formale* est ipsa revelatio divina. 18

XI. Valde probabile est, inditam esse singulis hominibus ab universorum Auctore ingenitam, atque anticipatam ideam sui. 29

XII. Idea illa supposita facile demonstratur Deum existere. 35

XIII. At quod idea entis perfectissimi sit reapse cuique congenita, non est ita certum, ut inde possint athei evidenter convinci. 36

XIV. Demonstratur Deum esse ex rerum creatarum contingentia. 39

XV. Atque ex motu, & serie causarum secundarum. 41

XVI. Necnon ex rerum aspectabilium compagine. 42

XVII. Ex naturali hominum instinctu. 44

XVIII. Ex communi sapientum confessione. 45

XIX. Ex parvo numero, vita, & ignorantia Atheorum. 46

XX. Hæc enunciatio *Deus existit* est nobis per se nota ac manifesta. 51

XXI. Nemo, quantumvis agrestis ac barbarus, potest Creatorem suum invincibiliter ignorare. 54

XXII. Qui putant Enos fuisse Polytheismi auctorem labili fundamento nituntur. 57

XXIII. Ab Hebræorum gente non fuit exortus Polytheismus, neque illum Judaico populo Moyses præscripsit. 57

XXIV. Idololatria longe ante Moysen à posteris Chami originem duxit. 59

XXV. Unum esse Deum demonstratur ex sacris literis. 61

XXVI. Atque ex innumeris à Deo patratis miraculis. 62

XXVII. Idem evincitur petitis à ratione argumentis. 62

XXVIII. Et corroboratur Gentilium quoque Scriptorum testimoniis. 63

XXIX. Opinio de duobus Diis Bono, ac Malo una cum idololatria à posteris Cham cæpit disseminari. 71

XXX. At malum non est aliqua substantia, quam necesse sit ab efficiente summa Causa produci. 72

XXXI. Non ergo dantur duæ summæ Causæ, quarum una sit cujusque boni, altera malorum omnium effectrix. 72

XXXII. Constituitur metaphysice Dei natura per *Esse à se*. 75

XXXIII. Divina essentia explicari non potest magis proprio, atque idoneo vocabulo, quam Hebraico יהוה *Qui est*. 78

XXXIV. Deus est ineffabilis. 79

XXXV. Divinorum nominum alia divinam naturam significant, alia attributa. 80

XXXVI. Melito Sardensis Episcopus vix ab errore Anthropomorphitarum potest excusari. 83

XXXVII. Ab eodem errore non defenditur certis argumentis Tertullianus. 84
XXXVIII. S. autem Epiphanius, & Audius Deum esse corporeum minime tradiderunt. 85
XXXIX. Deus est purus ac simplex Spiritus qualicunque corpore expers. 86
XL. Gilbertus distinxit quidem Deum ab *essentia*, & Personas à relationibus, at non divinas ab invicem proprietates. 88
XLI. Divinorum attributorum distinctio nulla est, nisi penes extrinseca connotata. 90
XLII. Nulla intrinseca compositio in Deo admittenda est. 99
XLIII. Deus est secundum essentiam suam infinitus. 100
XLIV. Immensitate sua est ubique. 100
XLV. Est omnino immutabilis. 103
XLVI. Sempiternus est, nec ejus æternitas alicui creaturæ convenire potest. 108
XLVII. Jure ac merito Valentiniana Æonum fabula exploditur. 108
XLVIII. Fictitium est pariter sempiternum illud lumen, quo Græci Palamitæ jactabant à se Deum videri. 110
XLIX. Habet Deus infinitam potentiam. 111
L. Potest idcirco plura facere, quæ non facit. 113
LI. Atque etiam meliora iis, quæ fecit. 115
LII. Est præterea Deus summe verax, neque potest esse seductor, vel auctor mendacii. 117
LIII. Non sunt Deus simul & creaturæ aliquid perfectius, quàm sit Deus solus. 121
LIV. Reperitur in Deo summa ac perfectissima pulchritudo. 122
LV. Solo naturali lumine nequit Deus ab aliquo creato intellectu intuitive videri. 124
LVI. Neque à Deo creari potest rationalis substantia, quæ possit naturaliter ipsum Deum intueri. 127
LVII. Intellectus creatus superno aliquo lumine irradiatus potest Deum, ut in se est, conspicere. 128
LVIII. Non autem illum comprehendere. 130
LIX. Lumen gloriæ est ipse Deus menti beatorum intime affulgens, suoque fulgore ac motione imprimens illi qualitatem & habitum, &c. 136
LX. Chrysostomus non visionem Dei in se, sed solam comprehensionem possibilem esse negavit. 139
LXI. Idem asserendum est de Theodoreto. 140
LXII. Neque D. Hieronymus visionem Dei intuitivam credidit esse impossibilem. 141
LXIII. Augustinus affirmavit Deum invisibilem esse corporeis oculis, non dubitanter, sed assertive. 143
LXIV. Suppeditavit omnia argumenta, quæ proferunt in hac quæstione Scholastici, aliaque longe iis clariora. 143
LXV. Utrum post Resurrectionem Corpora Beatorum futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturæ, est alia quæstio à præcedenti, & hanc S. Pater prudentissime non definivit. 144
LXVI. Demonstravit tamen accurate se opinionem de Corpore spiritali nequaquam probare. 146
LXVII. An aliqui adhuc in hac vita degentes Deum viderint quæstio est ambigua, & in utramque partem trahenda. 148
LXVIII. Enoch & Elias nondum Dei conspectu fruuntur. 152
LXIX. Fictitium est regnum mille annorum à Cerintho excogitatum, & à Papia, licet tolerabilius, inductum. 155
LXX. Nec ad minimum tempus Dei visio animabus plene purgatis differtur. 159
LXXI. Catholico de Animarum beatitudine dogmati non adversatur Ambrosius. 168
LXXII. Quod Augustinus fluctuet *de secretis Receptaculis* Animarum est summæ ejus perspicacitatis indicium; verumtamen de gloria & felicitate non dubitat. 169
LXXIII. Immerito à nonnullis carpitur beatus Bernardus; nam neque is à Catholico dogmate est alienus. 170
LXXIV. Joannes XXII. neque ut privatus doctor assertive docuit Sanctorum animas carere visione Dei ante corporum resurrectionem. 172
LXXV. Gloria inæqualis meritis inæqualibus retribuitur. 175
LXXVI. Causa moralis inæqualitatis Beatitudinis est meritum, causa vero effectrix est lumen gloriæ. 177
LXXVII. Neque per absolutam Dei potentiam fieri potest, ut videatur divina Essentia sine attributis, aut una persona sine alia. 179
LXXVIII. Reperitur in Deo omnis scientiæ plenitudo. 184
LXXIX. Divina scientia est ipsa Divina substantia connotans intelligibilia objecta. 184
LXXX. Deus semetipsum cognoscit, atque comprehendit. 186
LXXXI. Nulla est creatura, quæ scientiam Dei subterfugiat. 186
LXXXII. Neque latent divinam scientiam futura quælibet contingentia, & conditionata. 187
LXXXIII. Scrutatur Deus intimas cujusque creaturæ rationalis cogitationes, necnon quæcunque peccata. 189
LXXXIV. Ex divina præscientia non consequitur inevitabilis rerum contingentium eventus. 190
LXXXV. Nulla creatura cognoscitur à Deo tanquam ab æterno sibi coexistens. 194
LXXXVI. Videt Deus omnia in seipso, & in in-

com-

commutabili rerum intelligibilium ratione. 196
LXXXVII. Videt tamen creaturas etiam in seipsis immediate. 196
LXXXVIII. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales, & consequenter neque eas prævidet in efficaci suæ voluntatis præfinitione. 199
LXXXIX. Non videtur alienus à præfata assertione Doctor Angelicus. 201
XC. Non intuetur Deus mala culpæ in decreto, seu prædeterminatione actus, cui adnectitur peccati malitia. 206
XCI. Nec D. Thomas certo adstruit prædeterminationem physicam ad *materiale* peccati. 207
XCII. Innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigebat, & consequenter minime novit Deus perseverantiam Angelorum in efficaci suæ voluntatis decreto. 213
XCIII. Idem tradidit Angelicus Doctor. 216
XCIV. Consentit hactenus dictis Ægidius Romanus. 218
XCV. Si accipias *Scientiam mediam* pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis in statu naturæ innocentis, necnon operum malorum ejusdem status absque ullo prædeterminante decreto, admittendum est vocabulum *Scientiæ mediæ*. 225
XCVI. Præscientia peccatorum in statu naturæ lapsæ spectat ad scientiam *visionis*, non ad scientiam, quam vocant *mediam*. ibid.
XCVII. Si accipiatur *Scientia media* pro cognitione conditionatorum, quæ non sit scientia *visionis*, neque scientia *Simplicis intelligentiæ*, nec in præsenti statu, nec in statu innocentiæ locum habet. 226
XCVIII. Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci suæ voluntatis decreto. 229
XCIX. Persistit cum divinis prædefinitionibus humana libertas. 237
C. Deus voluntate antecedenti vult omnes homines, nemine prorsus excepto, salvos fieri. 245
CI. Hæc voluntas salvandi omnes est in Deo vera, propria, atque sincera. 247
CII. Amat Deus creaturas suas propter propriam sui ipsius bonitatem. 252
CIII. Gubernat etiam providentia sua omnia, quamvis abjectissima & minima. 253
CIV. Est in Deo oppositа necessitati libertas. 258
CV. Hæc constituitur per actum sempiternum Divinæ voluntatis à substantia indistinctum, prout connotat objectum creatum, & effectum contingentem & defectibilem. ibid.
CVI. In dogmate Prædestinationis & Gratiæ recedendum non est ab Augustini doctrina. 262
CVII. Datur aliqua Electorum ad Gloriam prædestinatio. 265
CVIII. Prædestinatio ad Gloriam recte definitur, *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur*. 266
CIX. Soli prædestinati salutem consequuntur æternam. 268
CX. Erronea est animarum præexistentia, quam finxit Origenes, & commentitium meritum prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora. 270
CXI. Non prædestinantur Electi ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii. ibid.
CXII. Neque prædestinantur Electi ob præscientiam fidei, aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis. ib.
CXIII. Opera moralium virtutum à Deo prævisa nullo pacto prædestinationis nostræ causa sunt. 171
CXIV. Prædestinatio ad gloriam præcedit prædestinationem ad gratiam. 273
CXV. Ex Sacris literis demonstratur prædestinationem ad gloriam esse in statu naturæ lapsæ gratuitam. 275
CXVI. Apertissime S. P. Augustinus tradidit gratuitam ipsam prædestinationem ad gloriam. 280
CXVII. Veteres Patres, qui verbis ambiguis de Sanctorum prædestinatione tractarunt, possunt commode exponi, quamquam videantur alicubi illam à meritorum præscientia repetere. 288
CXVIII. At Patres, qui floruerunt post Augustinum, gratuitam prædestinationem evidentissime tenuerunt. ibid.
CXIX. Est autem Augustiniana circa gratuitam Prædestinationem sententia etiam rationibus Theologicis consentanea. 290
CXX. Argumenta, quibus permotus Petavius Augustinianam retractavit sententiam, nullius sunt roboris, atque verbis ipsius Petavii facillime refelluntur. 293
CXXI. Fit ex Christi meritis Prædestinatorum Electio. 296
CXXII. Utiles sunt Prædestinatis Orationes Sanctorum. 297
CXXIII. Effectus prædestinationis primarii sunt Vocatio, Justificatio, & glorificatio. 298
CXXIV. Substantia quoque prædestinati, aliaque naturalia dona inter Prædestinationis effectus possunt aliquo sensu connumerari. 299
CXXV. Etiam permissio peccati est aliquo pacto prædestinationis effectus. 300

CXXVI. Prædeſtinatio Sanctorum fixa eſt, atque immutabilis. 301
CXXVII. Nulla fuit in Monaſterio Adrumeti, Auguſtino ſuperſtite, hæreſis Prædeſtinatiana. 304
CXXVIII. Neque ſub Cœleſtino I. erupit in Galliis Secta Prædeſtinatianorum. 307
CXXIX. Gotheſcalcus Prædeſtinatianus non fuit, licet veram cauſam imprudenter ſuſceperit defendendam. 308
CXXX. Prædicanda eſt populis Auguſtiniana de Prædeſtinatione ſententia. 314
CXXXI. Magnus eſt Electorum numerus, at valde exiguus, ſi comparetur cum numero damnandorum. 316
CXXXII. Calvinianum de Reprobatione dogma horrendum eſt, deteſtabile, omnique execratione digniſſimum. 318
CXXXIII. Reprobatio *negativa* aliquam ex parte reprobi cauſam habet, nempe originale peccatum. 322

INDEX

INDEX
RERUM, ET MATERIARUM
IN
PRIMO HOC LIBRO CONTENTARUM

NB. *Primus numerus sub. Litt.* P. *paginam denotat. Secundus sub Litt.* N. *numerum marginalem.*

A.

A *Baelardo* Petrus: ejus error circa potentiam Dei refertur p. 110. à n. 1. & seqq. refutatur p. 113. à n. 8.

Adam: an indigebat gratiâ prædeterminante? p. 213. n. 4. & seq.

Adrumetinus: error Monachorum Adrumetinorum circa gratiam, & liberum arbitrium. p. 213. n. 4. iidem erraverunt circa prædestinationem. p. 303. n. 2.

Ægidius Romanus docuit, creaturas in statu naturæ integræ non indigere ad perseverantiam aliqua gratia actuali, aut prædeterminante. p. 218. n. 20. & seq.

Ægyptius: Monachorum Ægyptiorum error circa simplicitatem Dei. p. 83. n. 1.

Æones: Fabula Æonum de æternitate. p. 106. n. 2. & seq.

Æternitas: Quid sit, & quæ illius dotes? p. 106. n. 1. & seq. circa hanc errorem docuerunt Valentinus, & Æones. p. 106. n. 2. Monachi in monte Atho. p. 106. n. 3. Palamitæ. p. 106. n. 3. & 4. nec non Eugubinus, qui tamen ab errore defenditur. p. 107. n. 4. Deus est æternus. p. 108. n. 5. & seq. æternitas non potest convenire creaturæ. ibid. quomodo creaturæ omnes in immutabili æternitate sint præsentes? p. 193. n. 1. & seq. quotupliciter quid dicatur esse in æternitate? p. 194. n. 1.

Ætius: Falsò credidit, Deum posse videri ab intellectu creato virtute naturali. p. 123. n. 1.

S. Ambrosius: quid senserit de statu præsenti Sanctorum? p. 167. n. 1. & seq.

Ambrosius Catharini erroneam opinionem docuit de prædestinatione. p. 267. n. 1. & seq.

Amo: Deus amat creaturas suas propter propriam bonitatem. p. 252. n. 1. & seq. an etiam possibiles? ibid. n. 5.

Angelus: an possit videri vittute supernaturali ab oculo corporeo? p. 130. n. 6. an boni Angeli fuerint in gratia conservati per gratiam aliquam in se efficacem? p. 212. n. 1. & seq. an Angelorum bonorum perseverantia sit prævisa in decreto prædeterminante? ibid. an Angelorum bonorum gratia fuerit victrix? p. 212. n. 1. & seq. quale boni Angeli habuerint auxilium viæ, & patriæ? p. 220. n. 2. de reprobatione malorum Angelorum. p. 321. n. 1. & seq.

Anima: An animabus Sanctorum visio Dei clara differatur usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. ac p. 159. n. 1. & seq. in quo sensu sit mortalis? p. 108. n. 8. an præscientia Dei lædat libertatem animæ? p. 190. n. 1. & seq. Animæ præexistentia ante unionem cum corpore est fictio Origenis. p. 270. n. 2. Anima non potuit mereri prædestinationem ante unionem cum corpore. p. 270. n. 1.

Animus: An præscientia Dei lædat libertatem animorum? p. 190. n. 1. & seq.

Annotatio utilis legendi S. Scripturam. p. 119. n. 8.

Annus: Regnum Christi post resurrectionem mille annis duraturum reprobatur.. p. 154. n. 1. & seq. Explicatur locus Apocalypseos de 1000. annis loquens. ibid.

Anomæus: docuerunt Anomæi, quòd Deus possit videri ab intellectu creato virtute naturali. p. 123. n. 1.
Antecedo: de voluntate Dei antecedente. p. 244 n. 4.
Anthropomorphos, seu formæ corporeæ non est Deus p. 83. n. 1. ab hoc errore vix potest excusari Melito Asianus. p. 83. n. 1. 2. 3. 4. & 5. minùs excusatur Tertullianus. p. 84. à n. 5. usque n. 9. benè verò ab hoc errore eximuntur S. Epiphanius, & Audius. p. 85. à n. 9.
Apocalypsis: vide *Annus.*
Arbitrium: error Monachorum adrumetinorum circa gratiam, & liberum arbitrium. p. 213, n. 4. eundem errorem docuêre Semipelagiani. ibid. Electi non prædestinantur ob prævisa merita comparanda sola facultate liberi arbitrii. p. 270. n. 3. & 4. Libera acceptatio, & bonus usus arbitrii non est causa prædestinationis. ibid. n. 5.
Arianus: an Ariani teneant sententiam scientiæ mediæ? p. 228. n. 4.
Arithmetica an utilis sit theologo? p. 23. n. 3.
Armenus: error Armenorum, quòd Deus nequeat videri supernaturali lumine gloriæ. p. 128. n. 1. & seq.
Articulus fidei quomodo differat à dogmate catholico? p. 19. n. 1.
Asianus Melito an fuerit Anthropomorphita? p. 83. à n. 1. & seq.
Atheus: errores Atheorum circa existentiam Dei enarrantur. p. 27. n. 1. contra illos propugnatur existentia Dei. p. 28 à n. 1. usque ad n. 35. eadem probatur per alia argumenta. p. 39. à n. 1. usque ad n. 25. Atheorum objectiones circa existentiam Dei solvuntur. p. 47. à n. 1. usque ad n. 12.
Atho: error Monachorum in monte Atho circa æternitatem Dei. p. 106. n. 3.
Attributum: in aggregatione attributorum non consistit Dei natura. p. 75. n. 2. 8. & 9. Attributa alia sunt relativa, alia absoluta. p. 79. n. 1. quid, & quot sint attributa? ibid. aliqua attributa significantur per certa Nomina divina. p. 80. n. 3. Deus est simplex Spiritus. p. 82. n. 1. & seq. qualis detur distinctio inter Essentiam Divinam, & ejus attributa? p. 88. n. 1. & seq. erravit circa hanc distinctionem Gilbertus Porretanus. ibid. erravit & Eunomius. p. 90. n. 3. & 26. ac seq. Deus est infinitus, immensus, & immutabilis. p. 100. à n. 1. & seq. refertur error Socinianorum circa hoc. ibid. an pariter circa immensitatem erraverint Eugubinus & Erasmus? p. 100. n. 4. Deus est æternus. p. 106. n. 1. & seq. Deus est infinitè potens. p. 110. n. 1. & seq. variorum errores circa omnipotentiam Dei adducuntur. ibid. Deus est verax. p. 117. à n. 1. & seq. Deus est perfectus. p. 120. à n. 1. & seq. Sancti vident in Deo omnia attributa. p. 178. n. 1. & seq. An per absolutam Dei potentiam possit videri Essentia Divina sine attributis? p. 179. n. 5. Dei Sapientiæ conveniunt omnia attributa. p. 185. n. 6.
Audianus falsum docuit de visione Dei. p. 145. n. 12.
Audius non fuit Anthropomorphita. p. 85. à n. 9.
Augustinianus: An theologia Augustaniana doceat, Deum videri posse oculis corporeis? p. 142. n. 1. & seq. quid eadem sentiat de oculis Beatorum? p. 144. n. 9. & seq.
S. Augustinus quid senserit de præsenti statu Sanctorum. p. 167. n. 1. & seq. refutavit Semipelagianos docentes scientiam mediam. p. 228. n. 3. quid doceat de gratuita prædestinatione ad gloriam? p. 280. n. 1. & seq. Error adrumetinorum non fuit vivente S. Augustino. p. 304. n. 4. An possit prædicari sententia S. Augustini de prædestinatione? p. 311. n. 1. & seq. ejus sententia de reprobatione. p. 321. n. 3.
Augustinus Steuchus non adhæsit deliriis Palamitarum. p. 107. n. 4. & seq.
Auxilium: quale competebat Angelis bonis auxilium viæ & Patriæ. p. 220. n. 2.

B.

Barlaamus: Monachi Barlaami historia. p. 106. n. 3.
Beatificus quale objectum visionis Beatificæ? p. 178. n. 1. & seq.
Beatitudo Sanctorum erit inæqualis. p. 175. n. 1. & seq. causa moralis hujus inæqualitatis est meritum, effectrix lumen gloriæ. p. 177. n. 8.
Beatus: An corpora Beatorum post resurrectionem sint futura spiritualia, & oculi alterius naturæ, quàm nunc sunt? p. 144. n. 9. & seq. An Beatis clara Dei visio differatur usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & p. 159. n. 1. & seq. Beatorum felicitas non consistet in Epulis, Escis, carnis voluptatibus & c. ibid. Quid de moderno Beatorum statu senserint S. S. Augustinus, Ambrosius, ac Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. Quid Joannes XXII. p. 171. n. 1. & seq. de inæquali Gloria Beatorum. p. 175. n. 1. & seq. Beati vident in Deo Unitatem, & Trinitatem. p. 178. n. 1. & seq. nec non & omnia attributa. p. 178. n. 1. & seq. quæ cognitio terræ, Cœli, & rerum, quæ in terris fiunt, Beatis concedatur? p. 179. n. 2. & 3.
Beguardus: Error Beguardorum, quòd Deus possit videri virtute naturali ab intellectu creato. p. 123. n. 1.
Beneplacitum: Divinum an versetur erga salutem singulorum hominum? p. 243. n. 1. & seq. Voluntas Dei dividitur in voluntatem signi, & beneplaciti. p. 244. n. 3. & 4. & hoc in Antecedens, & consequens. ibid. n. 4. 5. 6. & 7.

S. Bernardus: quid ſenſerit de ſtatu præſenti Sanctorum? p. 167. n. 1. & ſeq.
Blaſphemus: quid ſit propoſitio Blaſphema? p. 21. n. 8.
Bonitas: Deus amat creaturas ſuas propter propriam bonitatem. p. 252. n. 1. & ſeq. an etiam poſſibiles? p. 252. n. 5.

C.

Cælestinus: ſub Cœleſtino I. non eſt orta in Galliis ſecta Prædeſtinatianorum. p. 307. n. 12.
Cælum: An Beati videant in Deo, quæ in Cœlo fiunt? p. 178. n. 1. & ſeq.
Calvinus: ejus error circa omnipotentiam Dei. p. 113. n. 8. quid docuerit de felicitate Beatorum? p. 162. n. 5. ejus falſum dogma de prædeterminatione actuum malorum. p. 207. n. 7. & p. 237. n. 1. item de prædeſtinatione p. 303. n. 1. & ſeq. qualiter explicet poſitivam reprobationem? p. 317. n. 2. ejus dogma de reprobatione eſt horrendum, ac deteſtabile. p. 318. n. 3. qualiter differat ejus error à ſententia Thomiſtarum? p. 321. n. 1.
Caro: in carnis voluptatibus non conſiſtit felicitas Beatorum. p. 154. n. 1. & ſeq.
Catharinus Ambroſius: ejus error circa prædeſtinationem. p. 277. n. 1. & ſeq.
Cauſa: malum non eſt aliqua ſubſtantia, quæ deberet produci à cauſa ſuma efficiente. p. 72. n. 3. 4. & 5. non dantur duæ cauſæ ſummæ, quarum una ſit principium cujusque boni, altera malorum omnium effectrix. p. 72. n. 6. usque ad n. 11. cauſa ſecunda poteſt exire in actum ſine prædeterminatione. p. 198. n. 1. & ſeq.
Cerinthus: turpiter erravit circa viſionem Dei Beatificam. p. 154. n. 1. fuit Author Chiliaſtarum, ſeu Milleniariorum. ibid. & ſeq.
Cham: Poſteri Cham primi fuerunt Idololatræ. p. 59. à n. 10. usque 13.
Chiliaſta: Chiliaſtarum, qui Regnum Dei in hac terra poſt Reſurrectionem conſtituerant, Conditor fuit Cerinthus. p. 154. n. 1. & ſeq.
Chriſtus: error Cerinthi conſtituentis Regnum Chriſti in terris poſt Reſurrectionem. p. 154. n. 1. & ſeq. Papias pro Regno Chriſti conſtituit mille annos poſt Reſurrectionem in terris. p. 154. n. 2. & ſeq. de Chriſti libertate ſuppoſitô etiam præceptô Patris. p. 239. n. 4. pro omnibus mortuus eſt. p. 245. n. 7. & ſeq. Chriſti merita ſunt prædeſtinationis noſtræ cauſa. p. 296. n. 1. & ſeq.
Chryſippus: omnia ex fatali ſiderum conſtitutione provenire docuit. p. 207. n. 7.
Chryſoloras Joannes: quis fuerit? p. 106. n. 3.
S. Chryſoſtomus: non viſionem Dei in ſe, ſed comprehenſionnm negat poſſibilem. p. 139. n. 1. & ſeq.
Cogitatio: Deus cognoſcit intimas cogitationes noſtras. p. 189. n. 17.
Cognitus: Prædeſtinati etiam dicuntur cogniti. p. 266. n. 5.
Cognoſco: Vide *Comprehendo*: vel *video*.
Compoſitio: an in Deo detur compoſitio intrinſeca, vel rationis? p. 99. n. 29.
Comprehendo: Deus ſe ipſum cognoſcit, & comprehendit. p. 186. n. 1. 2. 3. & 4. vide *Creatura*.
Comprehenſio: quæ requirantur ad comprehenſionem alicujus rei? p. 131. n. 7. S. Chryſoſtomus negat poſſibilem eſſe comprehenſionem Dei à Creatura: de Viſione autem poſſibilitatem adſtruit. p. 139. n. 1. & ſeq. ſimiliter facit Theodoretus. p. 140. n. 9. quibus accedit S. Hieronymus. p. 141. n. 12. & ſeq.
Concio: an, & quo pacto poſſit de prædeſtinatione Sanctorum haberi Concio? p. 311. n. 1. & ſeq.
Concurſus ſimultaneus, quo Deus conſervat cauſas à ſe productas, non vocatur in dubium. p. 198. n. 2.
Conditionatus: futura conditionata cognoſcit Deus. p. 187. n. 9. usque ad n. 16. conditionata explicantur. ibid. & p. 224. n. 1. an ea cognoſcantur per ſcientiam mediam? p. 226. n. 5.
Conradus Worſtius: ejus error circa immenſitatem, & infinitatem Dei. p. 100. à n. 1. & ſeq.
Conſequens: de voluntate Dei conſequente. p. 244. n. 4.
Contingentia: Deus cognoſcit futura contingentia. p. 187. n. 9. & ſeq. usque ad n. 16. contingentium natura explicatur. ibid. ex præſcientia Dei non ſequitur inevitabilis contingentium eventus. p. 190. n. 2. an Deus futura contingentia cognoſcat per ſcientiam mediam? p. 224. n. 1. & ſeq. ac. p. 232. n. 1. & ſeq.
Corpus: an noſtrum corpus poſt reſurrectionem ſit futurum ſpirituale, & oculi noſtri alterius naturæ, quàm nunc ſunt? p. 144. n. 9. & ſeq.
Coſmographia an ſit utilis Theologo? p. 23. n. 3.
Creator: nequit dari Creatoris ignorantia invincibilis. p. 54. à n. 7. uſque ad n. 15.
Creatura: nulli Creaturæ poteſt convenire æternitas Dei. p. 108. n. 5. & ſeq. omnium Creaturarum perfectiones continet Deus eminenter. p. 121. n. 2. Deus & Creatura ſimul non ſunt quid perfectius, quàm Deus ſolus. p. 121. n. 3. nequit Deus videri intuitivè à Creatura ſolo lumine naturali. p. 124. n. 1. benè verò lumine ſupernaturali gloriæ. p. 128. n. 1. & ſeq. Creatura Deum videns non poteſt eum comprehendere. p. 130. n. 7. Deus cognoſcit omnes Creaturas præteritas,

teritas, præsentes, futuras, & possibiles. p. 186. n. 5. usque ad n. 9. Deus cognoscit intimas Creaturæ cogitationes, & peccata. p. 189. n. 17. an præscientia Dei lædat libertatem creaturæ? p. 190. n. 1. & seq. quomodo creaturæ omnes in immutabili æternitate Dei sint præsentes? p. 193. n. 1. & seq. Deus in suis ideis, & etiam immediatè universas conspicit Creaturas. p. 195. n. 1. & seq. Creatura innocens an indigebat ad perseverandum præter gratiam habitualem etiam aliâ gratiâ actuali, aut prædeterminante? p. 213. n. 4. & seq. Deus amat creaturas suas propter propriam bonitatem. p. 252. n. 1. & seq. an etiam possibiles? p. 252. n. 5. Deus gubernat Providentiâ suâ Creaturas etiam abjectissimas, & minimas. p. 253. n. 8.

Crellius: ejus error circa immensitatem Dei. p. 101. n. 5. item circa scientiam Dei de futuris contingentibus. p. 187. n. 10.

Culpa: Deus non prævidet mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq.

D.

Damnandus: plures erunt damnandi, quàm salvandi. p. 316. n. 2. & seq. de eorum reprobatione vide *Reprobatio.*

Decas Æonum Valentini quid? p. 106. n. 2.

Decretum: Deus non prævidet futura libera naturalis ordinis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. Deus non prævidet in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. pag. 205. n. 1. & seq. nec statum naturæ innocentis. p. 212. n. 1. & seq. an Deus in decreto prædeterminante viderit perseverantiam Angelorum bonorum? ibid. Deus cognoscit ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, & spectant ad statum naturæ lapsæ per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8. Regulæ quædam reconciliandi decretum prædeterminans cum libertate humana. p. 236. n. 1. & seq.

Democritus: ejus error circa scientiam Dei. p. 190. n. 1.

DEUS

De Dei unius essentia, & existentia.

Varii errores enarrantur circa existentiam Dei. p. 27. n. 1. examinantur causæ errorum. p. 27. n. 1. demonstratur existentia Dei per ingenitam omnibus ideam Dei. p. 28. à n. 1. usque ad n. 35. Existentia Dei contra Atheos aliis rationibus propugnatur. p. 39. à n. 1. usque ad n. 25. & p. 47. à n. 1. usque 12. *Deus existit:* an sit propositio per se nota? p. 51. à n. 1. usque ad n. 7. nequit dari ignorantia invincibilis Dei. p. 54. à n. 7. usque ad n. 15. Dei unius existentia demonstratur. p. 61. à n. 1. usque ad n. 11. miracula Deorum declarantur esse falsas simulationes, ac deceptiones. p. 66. à n. 3. usque ad n. 8. fabula de duobus Diis uno bono, altero malo. p. 70. n. 1. horum error spectat ad Idololatriam à Posteris Cham disseminatam. p. 71. n. 2. malum non est aliqua substantia producta à Deo malo, tanquam à causa summa efficiente. p. 72. n. 3. 4. & 5. non dantur duo Dii, unus causa boni, alter causa mali cujuscunque p. 72. n. 6. usque ad n. 11. Quid constituat essentiam Dei, & quô potissimùm exprimi possit vocabulô? p. 75. n. 1. & seq. Dei natura non consistit in infinitate; nec in aggregatione attributorum, nec in actuali intellectione: sed in esse à se. p. 75. n. 1. & seq. quô vocabulô possit omnium optimè exprimi Dei essentia? p. 78. n. 13.

De attributis DEI.

Enarrantur Eunomii errores de divinis nominibus. p. 79. n. 1. Deus est ineffabilis. p. 79. n. 1. Dei nomina alia significant naturam, alia attributa. p. 80. n. 3. Dei nomina quot sint? p. 80. n. 5. & quæ nomina in Sacris Litteris Deo tribuantur? p. 80. n. 5. & seq. De Simplicitate Dei. p. 82. n. 1. & seq. Deus non est Anthropomorphos. p. 83. n. 1. & seq. qualiter in hac materia erraverit Melito? p. 83. à n. 1. usque ad n. 5. & qualiter Tertullianus? p. 84. n. 5. 6. 7. & 8. In Deo non datur compositio intrinseca, an nec rationes? p. 99. n. 29. Deus est ex sua Essentia infinitus. p. 100. n. 1. 2. & 3. error Socinianorum circa infinitatem Dei. p. 100. n. 1. Deus est immensus. p. 100. n. 4. & seq. etiam in immensitatem Dei peccaverunt Sociniani. ibid. an pariter circa eam erraverint Eugubinus, & Erasmus? p. 100. n. 4. An Deus sit ubique præsens per substantiam, ac potentiam? p. 109. n. 5. Deus an sit præsens in spatiis imaginariis? p. 103. n. 11. ubi Deus fuerit ante creationem mundi, & quid ibi operatus sit? ibid. Deus est immutabilis. p. 103. n. 12. Deus habet propriam æternitatem. p. 106. n. 1. & seq. errorem circa æternitatem Dei docuit Valentinus. p. 106. n. 2. alium circa eandem tenuerunt Monachi in monte Atho. p. 106. n. 3. item alium Palamitæ. p. 106. n. 3. & 4. Opinio Eugubini circa æternitatem Dei. p. 107. n. 4. æternitas Dei non potest convenire creaturæ. p. 108. n. 5. & seq. Deus habet infinitam potentiam. p. 110. n. 1. & seq. Variorum errores circa omnipotentiam Dei ibid. Quid Deus possit, & quid non possit facere per suam omnipotentiam? p. 111. n. 2. & seq. error Calvini, & aliorum circa omnipotentiam adducitur. p. 113. n. 8. plura Deus potest facere, quàm actu facit.

facit. p. 113. à n. 8. & seq. imò etiam meliora præsentibûs facere potest. p. 115. à n. 15. & seq. Deus est Verax. p. 117. à n. 1. & seq. Deus est perfectus. p. 120. n. 1. & seq. continet in se eminenter omnes perfectiones omnium Creaturarum. p. 121. n. 2. Deus simul & Creatura non sunt aliquid perfectius, quam Deus solus. p. 121. n. 3.

De Visione intuitiva DEI.

Deus est pulcherrimus. p. 122. n. 7. nequit solo naturali lumine intuitivè videri ab intellectu creato. p. 124. n. 1. visio Dei intuitiva quas requirat conditiones? p. 126. n. 1. Deus potest videri à creato intellectu intuitivè per lumen supernaturale Gloriæ. p. 128. n. 1. & seq. qualiter Deus sit invisibilis? p. 128. à n. 1. an oculus corporeus virtute supernaturali possit videre Deum, vel Angelum? p. 130. n. 6. intellectus creatus Deum videns non potest eum comprehendere. p. 130. n. 7. Deus ipse est lumen Gloriæ. p. 136. n. 10. & seq. Chrysostomus non visionem Dei in se, sed comprehensionem Dei negat esse possibilem. p. 139. n. 1. & seq. similiter facit Theodoretus. p. 140. n. 9. & seq. His accedit S. Hieronymus. p. 141. n. 12. & seq. S. Augustini Discipuli an doceant Deum visibilem oculis corporeis? p. 142. n. 1. & seq. quid Augustiniana Theologia sentiat de oculis Beatorum? p. 144. n. 9. an aliqui Deum viderint in hac vita? p. 148. n. 1. & seq. hac visione probabiliùs non fruuntur Enoch, & Elias. p. 152. n. 1. & seq. an clara Dei visio differatur Sanctis usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. Cerinthi, & Papiæ error circa visionem Dei pag. 154. n. 1. & seq. quid senserint SS. Augustinus, Ambrosius, & Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. Quid Joannes XXII. p. 171. n. 1. & seq. de inæquali visione Beatifica Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. quid Sancti videant in Deo? p. 178. n. 1. & seq. an per absolutam Dei omnipotentiam possit videri Divina Essentia sine attributis? aut una Persona sine alia. p. 179. n. 5.

De Scientia, & Sapientia DEI.

Quæ scientia detur in Deo? p. 183. n. 1. in Deo est omnis plenitudo scientiæ. p. 184. n. 1. & seq. Dei scientia est eadem Divina substantia connotans intelligibilia objecta. p. 184. n. 5. Dei Sapientiæ omnia conveniunt attributa Divina. p. 85. n. 6. Scientia Dei, quando vocetur sapientia? quando scientia? quando speculativa? quando practica? quando libera? quando necessaria? quando simplex Intelligentia? quando scientia Visionis? p. 85. n. 7. an scientiam Dei possit aliquid subterfugere? p. 85. n. 1. & seq. Deus se ipsum cognoscit, & comprehendit. p. 186. n. 1. 2. 3. & 4. Deus cognoscit omnes creaturas præteritas, præsentes, futuras, & possibiles. p. 186. n. 5. usque ad n. 9. Dei scientiam non latent futura contingentia, & conditionata. p. 187. n. 9. usque ad n. 16. De scientia Dei erroneè senserunt Crellius, Wolzogenius, & Sociniani. p. 187. n. 10. item & Pelagiani. p. 188. n. 12. & 16. ac Semipelagiani. ibid. Deus cognoscit intimas Creaturæ cogitationes, & peccata. p. 189. n. 17. quomodo cognoscat impossibilia, & entia rationis. p. 190. n. 7. An præscientia Dei non lædat libertatem animorum? p. 190. n. 1. & seq. ex præscientia Dei non sequitur inevitabilis contingentium eventus. p. 190. n. 2. ubi error Gnosticorum, & Husitarum rejicitur. ibid. quomodo Creaturæ omnes in immutabili æternitate Deo sint præsentes? p. 193. n. 1. & seq. Deus in suis Ideis, & etiam immediatè universas conspicit creaturas. p. 195. n. 1. & seq. non præcognoscit Deus futura libera naturalis ordinis in prædefinitionibus, & Decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. Deus non prædeterminat actiones liberas naturales. p. 199. n. 7. Deus non prævidet mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq. quomodo Deus videat creaturas in ideis? p. 195. n. 1. & 2. an, & quomodo Deus cognoscat peccata in ideis? p. 211 n. 20. an Deus præviderit statum creaturæ innocentis in decreto prædeterminante? p. 212. n. 1. & seq. An Deus viderit in decreto prædeterminante perseverantiam bonorum Angelorum? ibid. An Deus cognoscat futura contingentia per scientiam mediam. p. 224. n. 1. & seq. & p. 232. n. 1. & seq. præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, & non ad scientiam mediam. p. 225. n. 4. Gratia Dei ab intrinseco efficax, & inefficax explicantur. p. 225. n. 4. Deus videt ea, quæ sunt naturæ supernaturalis, & pertinent ad statum naturæ lapsæ per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8.

De Voluntate DEI.

In Deo datur voluntas. p. 243. n. 1. an Dei beneplacitum versetur in salutem singulorum hominum? ibid. & seq. de objecto Voluntatis Dei. p. 244. n. 2. de divisione in voluntatem signi, & beneplaciti. p. 244. n. 3. & 4. ultima subdividitur in antecedentem, & consequentem. p. 244. n. 4. §. 6. & 7. enumeratur error Jansenii, & aliorum. ibid. & p. 246. n. 9 & 10. Deus amat creaturas suas propter propriam suam bonitatem. p. 252. n. 1. & seq. an etiam possibiles? p. 252. n. 5. Deus providentiâ suâ gubernat res abjectissimas.

pag. 253. n. 8. errores Stoicorum, & Epicureorum circa Dei regimen. p. 253. n. 8. Voluntati Dei minimè deest perfectio libertatis. p. 257. n. 1. & seq. prædestinatio pertinet ad mentem Dei, & voluntatem. pag. 266. n. 8.

Dialectica: hujus usus est Theologo summè utilis, ac necessarius. p. 5. n. 4. 5. & 6. Theologi ea utentes non sunt fallaces. p. 6. n. 7. id docet exemplum Christi, & SS. PP. p. 6. n. 7. & 8. Theologo plurimùm confert Philosophia naturalis. p. 6. n. 9. id probatur testimonio Scripturarum, Patrum, ac rationum. p. 6. n. 9. 10. & 11. ac p. 7. n. 12. Theologus debet Philosophiam captivare in obsequium fidei ob revelationes divinas. p. 7. n. 13. & 14. Dialecticæ usus nec interdicitur à S. Scriptura. p. 9. n. 1. & p. 10. n. 5. nec à Patribus. p. 9. n. 2. & p. 10. n. 6. ac 7. nec ab exemplis. p. 9. n. 3. & p. 10. n. 8. nec à malis effectibus. p. 10. n. 4. & p. 11. n. 9

Dilectus: Prædestinati vocantur etiam Electi ac Dilecti. p. 266 n. 5.

Distinctio qualis detur inter Essentiam divinam, & attributa? p. 88. n. 1. & seq. erravit circa hanc distinctionem Gilbertus Porretanus. ibid. & Eunomius. p. 90. n. 3 & 26. ac seq.

Divitiæ: Beatorum felicitas non consistet in divitiis. p. 154 n. 1. & seq.

Dogma Catholicum: vide *Articulus*.

Donum: an dona naturalia sint effectus prædestinationis? p. 299. n 6.

Duodecas æonum Valentini quid? p. 106. n. 2.

E.

Efficax: an Angelus bonus fuerit conservatus per gratiam in se efficacem? p. 212. n. 1. Gratia in se efficax explicatur. p. 224. n. 4. Deus cognoscit ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, & spectant ad statum naturæ lapsæ per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 229. n 8. Gratia efficax in statu naturæ lapsæ est necessaria. p. 229. n. 8. & seq. quid sit gratia efficax? quid gratia inefficax? quid gratia sufficiens? p. 230. n. 9. Gratia efficax non est qualitas mortua. pag. 241. n. 6.

Electus: datur aliqua ad Gloriam prædestinatio Electorum. p. 265. n. 1. Electi dicuntur etiam prædestinati. p. 266. n. 1. Electorum prædestinatio non fit ex præviſis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii. p. 270. n. 3. nec ex præscientia fidei, aut bonæ voluntatis. ibid. n. 4. nec ob opera Virtutum moralium prævisa. ibid. n. 6. Electorum prædestinatio quomodo sit immutabilis? p. 300. n. 1. & seq. magnus est Electorum numerus in se, at valde exiguus in comparatione numeri damnandorum. p. 316. n. 2. & seq.

Elias probabiliùs non fruitur visione Dei. p. 152. n. 1. & seq. an sit adhuc viator? p. 152. n. 1. & seq.

Enoch probabiliùs non fruitur visione Dei. p. 152. n. 1. & seq. an sit adhuc viator? ibid.

Enos non fuit causa Idololatriæ. p. 57. n. 1. 2. & 3.

Ens. quomodo Deus cognoscat entia rationis? p. 190. n. 20.

Epicurus erravit circa supremum Numinis Regimen. p. 253 n. 8. idem falsam opinionem docuit de unius supremi Numinis existentia, p 27. n. 1. & seq.

S. Epiphanius vindicatur ab errore Anthropomorphitarum. p. 85. n 9.

Epulæ: in Epulis non consistet Beatitudo Sanctorum. p. 154. n. 1. & seq.

Erasmus an errorem docuerit circa immensitatem Dei? p. 100. n. 4.

Erroneus: quid sit propositio erronea? p. 20. n. 6.

Esca: Beatitudo Justorum non consistet in Esca. p. 154. n 1. & seq.

Esse à se: Natura Dei consistit in Esse à se. p. 75. à n. 1. & seq.

Essentia: Quid constituat essentiam Dei, & quô potissimùm ea exprimi possit vocabulô? p. 75. à n. 1. & seq Dei essentia non consistit in infinitate, nec in aggregatione attributorum, nec in actuali intellectione: sed in esse à se. p. 75. à n. 1. & seq. qualis detur distinctio inter Essentiam Divinam, & attributa? p. 88. à n. 1. & seq. circa hanc distinctionem erravit Gilbertus Porretanus. p 88. n. 1 item & Eunomius. p. 90. n. 3. & 26. ac seq. Deus est secundùm Essentiam suam infinitus p. 100. n. 1. 2. & 3. adducitur error Socinianorum circa hoc. p. 100. n. 1. Deus ex sua Essentia est immensus, quod erroneè negant Sociniani. p. 100. n. 4. & seq. an Essentia Divina possit videri per absolutam Dei omnipotentiam sine attributis? p. 179. n. 5. Essentiæ rerum quomodo immutabiles? p. 113 n. 6.

Eugubinus: an erraverit circa immensitatem Dei? p. 100. n. 4 ejus opinio circa æternitatem Dei. p. 107. n. 4.

Eunomius: ejus error de Divinis Nominibus. p. 79. n. 1. & seq. item circa distinctionem inter essentiam Divinam, & Attributa. p. 90. n. 3. & 26. ac seq. idem docuit, quòd Deus possit virtute naturali videri ab intellectu creato. p. 123. n. 1.

Executio: ordo intentionis, & executionis, in prædestinatione consuetus explicatur. p. 275. n. 3.

F.

Facio: plura potest Deus facere, quàm actu facit. p. 113. n. 8. & seq. imo etiam meliora. p. 115. n. 15. & seq.

Fallo: Deus non potest fallere etiam per omnipotentiam suam. p. 112. n. 4.

Fatum: an omnia eveniant fato? p. 207. n. 7. & p. 253. n. 8. item p. 256. n. 15. & seq.
Felicitas Beatorum non consistet in Epulis, divitiis, carnis voluptatibus &c. p. 154. n. 1. & seq.
Fides: huic non repugnat Theologia scholastica: nec tollit illius meritum. p. 11. n. 10. & 11. In rebus de fide credendis conveniunt Theologi. p. 12. n. 12. & 13 quomodo articulus fidei differat à dogmate catholico? p. 19. n. 1. fidei propositiones referuntur ad septem gradus. p. 19. n. 2. prædestinatio non fit ob præscientiam fidei. p. 270. n. 4.
Formalis: quæ sit formalis malitia peccati? p. 205. n. 1.
Futurus: Deus non præcognoscit futura libera ordinis naturalis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. nec ea, quæ sunt Ordinis supernaturalis. p. 212. n. 1. & seq. an Deus futura contingentia videat per scientiam mediam? p. 224. n. 1. & seq. ac p. 232. n. 1. & seq. futura libera Ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ Deus per decretum efficax cognoscit, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8.

G.

Gallia: Secta prædestinatianorum sub Cœlestino I. non est orta in Galliis. p. 307. n. 12.
Genethliacus: error Genethliacorum adscribentium omnia fato. p. 252. n. 8.
Gentiles habuerunt triplicem Theologiam. p. 2. n. 2. sed horum Theologia reprobatur. p. 2. n. 3. & 4.
Geometria an utilis sit Theologo? p. 23. n. 3.
Gilbertus Porretanus: hujus error circa distinctionem inter essentiam divinam, & attributa p. 88. à n. 1.
Gloria: lumine supernaturali gloriæ potest intellectus creatus intuitivè Deum videre. p. 128. n. 1. & seq. Variorum opiniones de lumine Gloriæ. p. 133. n. 1. & seq. Lumen Gloriæ est ipse Deus. p. 136. à n. 10. & seq. quid requiratur ad lumen Gloriæ? p. 137. n. 14. de inæquali Gloria Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. causa moralis hujus inæqualitatis est meritum, effectrix verò lumen Gloriæ. p. 177. n. 8. datur aliqua ad Gloriam prædestinatio Electorum. p. 265. n. 1. quis sit dicendus prædestinatus ad Gloriam? p. 266. n. 5. quid sit prædestinatio ad Gloriam? p. 266. n. 7. prædestinatio ad Gloriam est prior prædestinatione ad gratiam. p. 273. n. 1. & seq. prædestinatio ad Gloriam non est ex præscientia meritorum. p. 274. n. 1. & seq. usque p. 296. n. 1. quid doceat S. Augustinus circa hanc quæstionem? p. 280. n. 1. & seq.
Glorificatio quomodo distinguatur à prædestinatione? p. 268. n. 3. est effectus prædestinationis. p. 298. n. 1.
Gnosticus: error Gnosticorum circa præscientiam Dei. p. 190. n. 1.
Gothescalcus: ejus error circa prædestinationem. p. 303. n. 2. & seq. non fuit prædestinatianus p. 308. n. 16.
Græcus: lingua græca Theologo est perutilis. p. 22. n. 1. Græcorum Palamitarum error de æternitate. p. 106. n. 3. & seq. ac p. 110. n. 11. item eorum error de supernaturali lumine Gloriæ. p. 133. n. 1.
Gratia: Thomistarum sententia de gratia victrice explicatur. p. 201. n. 16. an Angelus bonus fuerit præservatus per gratiam in se efficacem? p. 212. n. 1. an Angelorum bonorum gratia fuerit victrix? p. 212. n. 1. an Creatura innocens præter gratiam habitualem ad perseverantiam indigebat gratiâ actuali, aut prædeterminante? p. 213 n. 4. Adrumetinorum Monachorum error circa gratiam, & liberum arbitrium. ibid. eundem errorem docuerunt Semipelagiani. ibid Gratia versatilis quæ? p. 212. n. 1. & seq. Gratia quænam dicatur ab intrinseco efficax? quæ inefficax? & quæ sufficiens? p. 215 n. 4. & p. 230. n. 9. Gratia efficax est necessaria in statu naturæ lapsæ. p. 229. n. 8. an etiam Victrix? ibid. & seq. Gratia efficax non est qualitas mortua. p. 241. n. 6. prædestinatio ad gloriam est prior prædestinatione ad gratiam. p. 273. n. 1. & seq. quomodo gratia dividatur à Pelagio? p. 280. n. 2.
Gratuitus: an prædestinatio ad gloriam sit gratuita? p. 274. n. 1. & seq. usque p. 296. n. 1. quid de hoc sentiat S. Augustinus? p. 280. n. 1. & seq. Argumenta Petavii contra gratuitam prædestinationem solvuntur. p. 293. n. 1.
Grimanus defenditur ab errore circa prædestinationem. p. 314 n. 7.
Guberno: Deus providentiâ suâ gubernat etiam creaturas minimas, & abjectissimas p. 253. n. 8.

H.

Hæresis: in lectione SS. PP. quid observandum, si videntur in hæresin deflectere? p. 138. n. 1.
Hæreticus: varia Hæretici spargunt convicia in Theologiam scholasticam. p. 4. n. 1. & 2. & cur id faciant? p. 4. n. 3. Quæ dicatur propositio hæretica? p. 20. n. 5.
Hebraicus: lingua Hebraica est Theologo perutilis. p. 22. n. 2.
Hebræus: Hebræi non sunt causa vel origo Idololatriæ. p. 57. n. 4. usque ad n. 10.
S. Hieronymus non præluxit errori Palamitarum circa visionem Dei. p. 138. n. 1.
Homo: an Deus velit omnes homines salvos fieri? p. 243. n. 1. & seq.

Hus: hæresis Husitarum de præscientia Dei, p. 190. n. 1.

I.

Jansenius ejus error circa libertatem humanam. p 239. n. 4. 5. & 6. qualiter erraverit circa voluntatem Dei salvandi omnes homines? p. 245. n. 5. & p. 246. n. 9. & 10. item circa prædestinationem? p. 303. n. 1. & seq.

Idea: divisio, ac differentia Idearum. p. 28. n. 1. & 2. quam certitudinem faciat clara alicujus rei Idea? p. 29. n. 3. probabile est, inditam esse singulis hominibus à Deo ingenitam Ideam sui ipsius. p. 29. n. 5. usque ad n. 23. ex supposita idea ingenita hominibus indita facile demonstratur existentia Dei. p. 35. n. 23. & seq. hæc idea vel est insita, vel sensibus hausta. p. 36. n. 26. & seq. Deus in suis ideis, & etiam immediate universas cognoscit creaturas. p. 195. n. 1. & seq. quomodo Deus in ideis videat peccata? p. 211. n. 20.

Idololatra: adducitur, & refutatur Theologia Idololatrarum. p. 2. n. 2. 3. & 4. quidam Idololatræ per falsa miracula, ac veras deceptiones volunt ostendere plures Deos. p. 66. n. 3. & seq.

Idololatria: hujus causa & origo. p. 56. n. 1. Auctor hujus non fuit Enos. p. 57. n. 1. 2. & 3. nec Gens Hebræorum. p. 57. n. 4. usque ad n. 13. Auctor hujus sunt Posteri Cham. p. 59. à n. 10. usque ad n. 13. varia notanda de ea. p. 60. n. 13. error de duobus Diis bono uno, altero malo pertinet ad Idololatriam à Posteris Cham disseminatam. p. 71. n. 3.

JESU Nomen quid significet? p. 82. n. 6.

Ignorantia invincibilis Creatoris nequit dari. p. 54 à n. 7. usque ad n. 15.

Imaginarius: an dentur spatia imaginaria? & an in iis præsens sit Deus? p. 103. n. 11.

Immensus: Deus est immensus. p. 100. n. 4. & seq. error Socinianorum circa immensitatem Dei. p. 100. n. 4. & seq. an etiam circa eandem erraverint Eugubinus, & Erasmus? p. 100. n. 4.

Immutabilis: Deus est immutabilis. p. 103. n. 12 naturæ rerum quomodo sint immutabiles. p. 113. n. 6. quomodo creaturæ omnes in immutabili æternitate sint præsentes? p. 193. n. 1. quomodo prædestinatio sit immutabilis? p. 301. n. 1. & seq.

Impius: quid sit propositio impia? p. 21. n. 8.

Impossibilis: quid possit dici impossibile? p. 111. n. 2. potest quid esse impossibile diversimodè. p. 111. n. 2. quomodo Deus cognoscat impossibilia? p. 190. n. 20.

Inæqualitas: an in visione beatifica Dei intercedat aliqua inæqualitas. p. 175. n. 1. & seq. causa moralis hujus inæqualitatis est meritum, effectrix verò lumen gloriæ. p. 177. n. 8.

Indifferens: causa secunda indifferens potest exire in actum sine prædeterminatione. p. 198. n. 1. & seq.

Ineffabilis: Deus est ineffabilis. p. 79. n. 1. & 5.

Inefficax: Quando gratia Dei ab intrinseco dicatur in inefficax? p. 225. n. 4. & p. 230. n. 9.

Infinitas: Dei natura non consistit in Infinitate. p. 75. n. 2. & 7. error Socinianorum circa infinitatem Dei p. 100. n. 1.

Infinitus: in productione rerum non datur processus in infinitum. p. 41. n. 8. Deus secundum essentiam suam est infinitus. p. 100. n. 1. 2. & 3. quod erroneè negant Sociniani. p. 100. n. 1.

Injuriosus: quid sit propositio injuriosa? p. 21. n. 9

Innocens: Deus non videt statum naturæ innocentis in decreto præterminante. p. 212. n. 1. & seq. an creatura innocens indigebat ad perseverantiam præter habitualem etiam aliqua gratia actuali, aut prædeterminante? p. 213. n. 4. & seq.

Intellectio: Divina Essentia non consistit in actuali intellectione. p. 75. n. 2. & p. 77. n. 11.

Intellectus: Deus nequit videri solo naturali lumine ab intellectu creato. p. 124. n. 1. visio intuitiva quas conditiones requirat? p. 126. n. 8. Deus potest videri intuitivè ab intellectu creato lumine supernaturali gloriæ. p. 128. n. 1. & seq. Intellectus Deum videns non potest eum comprehendere. p. 130. n. 7.

Intelligentia: quando scientia Dei vocetur simplex intelligentia? p. 185. n. 7. & p. 224. n. 1.

Intentio: Ordo intentionis, & executionis in prædestinatione consuetus explicatur. p. 275. n. 3.

Intuitivè: Deus nequit intuitivè videri solo naturali lumine ab intellectu creato. p. 124 n. 1. visio intuitiva Dei quas requirat conditiones? p. 126. n. 8. Deus potest videri intuitivè ab intellectu creato supernaturali lumine Gloriæ. p. 128. n. 1. & seq. an visio Dei intuitiva sit etiam comprehensiva? p. 130. n. 7.

Invisibilis: qualiter Deus sit invisibilis? p. 128. n. 1. & seq. An Theologia Augustiniana doceat Deum visibilem corporeis oculis? p. 142. n. 1. & seq. quid tenendum de oculis Beatorum? p. 144. n. 9. vide *Video*.

Joannes XXII. an docuerit, Beatitudinem Sanctis differendam esse usque post diem Judicii? p. 155. n. 3. & p. 171. n. 1. & seq.

Joannes Chrysoloras quis fuerit? p. 106. n. 3.

Juvinianus: ejus error de inæquali visione, & Gloria Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq.

Irenæus cecidit in errorem Papiæ Millenarii. p. 155. n. 3. & p. 161. n. 4.

Judaicus: Moyses non præscripsit populo Judaico Idololatriam. p. 57. à n. 4. usque ad n. 13.
Judicium: an Sanctis Clara Dei visio sit differenda usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. & p. 159. n. 1. & seq. quid desuper sentiant SS. Ambrosius, Augustinus, & Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. quid Joannes XXII. p. 171. n. 1. & seq.
Justificatio quomodo distinguatur à prædestinatione? p. 268. n. 3. est effectus prædestinationis. p. 298. n. 1.
Justinus cecidit in errorem Papiæ Millenarii. p. 155. n. 3. concordatur cum Tertulliano. p. 162. n. 5.
Justus. An justi videant Deum oculis corporeis in cœlo? p. 144. n. 9. & seq. an Justorum animabus clara Dei visio sit differenda usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. ac p. 159. n. 1. & seq. in Escis, potu, Divitiis non consistet felicitas justorum. p. 154. n. 1. & seq. quid de eorum præsenti statu senserint SS. Ambrosius, Augustinus, & Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. quid Joannes XXII. 171. n. 1. & seq. de inæquali gloria Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. Justi in Deo vident Unitatem, Trinitatem, ac omnia attributa. p. 178. n. 1. & seq. quæ Justis cognitio competat de terra, Cœlo, ac rebus, quæ in terra fiunt? p. 179. n. 2. & 3.

L.

Lactantius cecidit in errorem Papiæ, Millenarii. p. 155. n. 3.
Lectio: quid notandum in Lectione SS. Patrum, si videntur in hæresin deflectere? p. 138. n. 1.
Leonardus Retinensis defenditur circa sententiam de prædestinatione. p. 314. n. 7.
Liber: Deus non præcognoscit futura libera naturalis Ordinis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus, p. 198. n. 1. & seq. error Adrumetinorum Monachorum, ac Semipelagianorum circa liberum arbitrium. p. 213. n. 4. futura libera Ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, Deus per decretum efficax cognoscit, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8.
Libertas: an præscientia Dei non lædat libertatem animorum? p. 190. n. 1. & seq. quædam regulæ traduntur Divinas prædefinitiones reconciliandi cum libertate humana. p. 236. n. 1. & seq. de Christi libertate supposito præcepto Patris Cœlestis. p. 239. n. 4. Jansenii error circa libertatem. ibid. & seq. perfectio libertatis non deest voluntati divinæ. p. 257 n. 1. & seq. libertas à coactione, libertas contrarietatis, & libertas contradictionis explicantur. p. 258. n. 2.
Lingua græca, & hebraica theologo est perutilis. p. 22. n. 2.
Lombardus Petrus, ejus methodus scholastica non est absolutè theologo necessaria, benè tamen utilissima. p. 7. n. 15.
Lucretius: error illius circa existentiam Dei. vide *Deus.*
Lumen: solo naturali lumine nequit Deus ab aliquo creato intellectu intuitivè videri. p. 124. n. 1. benè verò si accedat lumen supernaturale Gloriæ. p. 128. n. 1. & seq. variorum opiniones de lumine supernaturali Gloriæ. p. 133. n. 1. & seq. lumen Gloriæ est ipse Deus. p. 136. à n. 10. & seq. quid requiratur ad lumen Gloriæ? p. 137. n. 14. de inæquali lumine Gloriæ Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. causa moralis hujus inæqualitatis est meritum, effectrix verò lumen Gloriæ. p. 177. n. 8.

M.

Malitia formalis, & materialis peccati in quo consistat? p. 205. n. 1.
Malum non est aliqua substantia, quæ deberet produci à causa Summa efficiente. p. 72. n. 3. 4. & 5. Deus non prævidet mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq.
Manes, Manichæorum auctor, vide *Manichæus.*
Manichæus: historia Manichæorum. p. 70. n. 1. eorum error de duobus Summis Principiis bono uno, & altero malo refutatur. p. 70. à n. 1. & seq. item error circa omnipotentiam Dei. p. 110. n. 1. & seq.
Marcionita: refertur historia, & error Marcionitarum de duobus Summis Principiis, bono uno, altero malo. p. 70. n. 1.
Massilienses: quid docuerint Massilienses de gratuita prædestinatione ad gloriam. p. 280. n. 4. & p. 307. n. 12.
Materialis: Deus non prævidet materiale peccati in decreto prædeterminante. p. 205. n. 1. & seq. quænam sit materialis malitia peccati? p. 205. n. 1.
Mathesis est utilis theologo. p. 23. n. 3.
Medius: scientia media non est proscripta ab Ecclesia. p. 199. n. 5. an per eam Deus cognoscat futura contingentia? p. 224. n. 1. & seq. ac p. 232. n. 1. & seq. scientiæ mediæ explicatio. p. 224. n. 1. præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, & non ad scientiam mediam. p. 225. n. 4. scientia media, si non est scientia visionis, nec simplicis intelligentiæ, omninò non datur. p. 226. n. 5. quid sit scientia media? p. 228. n. 1. an hujus Auctor sit Molina? p. 228. n. 2. Semipelagiani eam docuêre, sed refutati sunt per S. Augustinum. p. 228. n. 3. item & Ariani eam tenuêre. p. 228. n. 4. Mediстæ alio modo docent scientiam

mediam, quàm eam aliquando tenuerunt Semipelagiani. p. 229. n. 5. & 6. Deus cognoscit ea, quæ spectant ad statum Ordinis supernaturalis, & naturæ lapsæ per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 219. n. 8.

Melito Asianus an fuerit Anthropomorphita? p. 83. n. 1. 2. 3. 4. & 5.

Mendacium: hujus Auctor nequit esse Deus. p. 117. n. 1. & seq. varia loca S. Scripturæ à mendacio vindicantur. p. 118. n. 4. regulæ quædam traduntur cognoscendi, quòd in S. Scriptura non contineantur mendacia. p. 119. n. 8.

Meritum: causa moralis inæqualis Gloriæ Sanctorum est meritum, effectrix verò lumen Gloriæ. p. 177. n. 8. Anima separata à corpore non meretur prædestinationem. p. 270. n. 2. Electi non prædestinantur ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii. ibid. n. 3. præscientia meritorum non est causa prædestinationis ad gloriam. p. 274. n. 1. & seq. usque p 296. n. 1 hoc ipsum etiam docuit S. Augustinus p. 280. n. 1. & seq. merita Christi sunt causa prædestinationis nostræ. p. 296. n. 1. & seq.

Millenarius: Cerinthus fuit conditor Millenariorum. p. 154. n. 1. & seq. explicatur locus S. Scripturæ loquens de 000. annis ibid.

Miraculum: ea miracula, quæ Diis adscribunt Idololatræ, falsæ sunt deceptiones, ac simulationes. p 66. à n. 3. usque ad n. 9.

Molina an sit Auctor scientiæ mediæ? p. 228. n. 3.

Monachus: Ægyptiorum Monachorum error de simplicitate Dei. p. 83. n. 1. error Monachorum in monte Atho circa æternitatem Dei. p. 106. n. 3. error Monachorum Adrumetinorum circa gratiam, & liberum arbitrium. p. 213. n. 4. item eorundem error circa prædestinationem. p. 303. n. 2. & seq. error Gothescalci Monachi circa eandem. p. 303. n. 2.

Morior: Deus etiam per omnipotentiam suam mori non potest. p. 111. n. 3.

Mors duplex hominibus futura explicatur. p. 158. n. 13.

Mortalis: in quo sensu anima rationalis sit mortalis? p. 108. n. 8.

Mortuus: gratia efficax non est qualitas mortua. p. 241. n. 6.

Motio vide *Præmotio*.

Moyses non præscripsit populo Judaico Idololatriam. p. 57. n. 4. usque ad n. 13.

Mundus: ante Mundi creationem ubi Deus fuerit, quid operatus sit? p. 103. n. 11. an fuerit ab æterno? p. 108. n. 8.

N.

Natura: quæ sit Essentia vel natura Dei? vide *Deus*. Quomodo naturæ rerum sint immutabiles? p. 113. n. 6. Deus non videt in decreto præterminante statum naturæ innocentis. p. 212. n. 1. & seq. Deus videt ea, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, si sunt ordinis supernaturalis per decretum efficax. p. 229. n. 8. gratia efficax est necessaria in statu naturæ lapsæ. p. 229. n. 8. & seq. dona naturæ an sint effectus prædestinationis? p. 299. n. 6.

Naturalis: dona naturalia an sint effectus prædestinationis? p. 299. n. 6. vide *Ordo*.

Necessitas: ex præscientia Dei non infertur creaturis necessitas agendi. p. 190. n. 2. necessitas est duplex, una simplex altera conditionis. p. 193. n. 11. necessitas gratiæ efficacis in statu naturæ lapsæ. p. 229. n. 8. necessitas gractiæ vitricis. p. 229. n. 8. & seq. necessitas absoluta, naturalis, & consequentiæ explicantur. p. 237. n. 1.

Nomen: error Eunomii de Divinis nominibus. p. 79. n. 1. Nomen Dei est ineffabile. p. 79 n. 1. ex Divinis Nominibus alia significant naturam, alia attributa. p. 80. n. 3. quot sint Dei Nomina? p. 80. n. 5. quæ Dei nomina inveniantur in S. Litteris? p. 80. à n. 5. & seq. Nomen Jesu quid significet? p. 82. n. 6.

Novatores: error eorum de inæquali visione, & gloria Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq.

Numerus: quis sit numerus prædestinatorum? p. 315. n. 1. & seq.

O.

Objectum quale sit visionis Beatificæ? p. 178. n. 1. & seq.

Oculus corporeus an possit virtute supernaturali videre Deum, vel Angelum? p. 130. n. 6. quid de hoc sentiat Theologia Augustiniana? p. 141. n. 1. & seq. quid dicendum de oculis Beatorum? p. 144. n. 9. oculus noster post resurrectionem an alterius fiat naturæ, ut possit videre Deum? p. 144. n. 9. & seq.

Offensivus: quid sit propositio piarum aurium offensiva? p. 21. n. 7.

Ogdoas æonum Valentini quid? p. 106. n. 2.

Omnipotens est Deus. p. 110. à n. 1. & seq. quid Deus possit per omnipotentiam, & quid per eam non possit? ibid. Variorum errores contra omnipotentiam. p. 110. à n. 1. & p. 113. à n. 8. & seq. plura potest Deus facere, quàm actu facit. p. 113. à n. 8. & seq. imò etiam meliora præsentibus. p. 115. à n. 15. & seq.

Ontologia quid sit? p. 3. n. 5.

Opus: opera virtutum moralium prævisa non sunt causa prædestinationis Electorum. p. 171. n. 6.

Oratio: vid. *Sanctus*.

Ordo: non præcognoscit Deus futura libera Ordinis naturalis in præfinitionibus, & decretis

cretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. nec ea, quæ sunt Ordinis supernaturalis. p. 212. n. 1. & seq. ea verò, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, & sunt Ordinis supernaturalis, cognoscit Deus per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8. Ordo intentionis, & executionis in prædestinatione consuetus explicatur. p. 275. n. 3.

Origenes: vid. *Prædestinatio.*

Originale peccatum an sit causa reprobationis? p. 321. n. 1.

P.

Paganus: triplicem Pagani habuerunt Theologiam. p. 2. n. 2. ea reprobatur. p. 2. n. 3. & 4.

Palamita: errori Palamitarum non præluxerunt SS. Chrysostomus, Theodoretus, & Hieronymus. p. 138. à n. 1. & seq. item eorum deliria circa æternitatem Dei. p. 106. n. 3. & 4. his deliriis non adhæsit Augustinus Steuchus. ibid. & seq. iidem falsò docuerunt, Deum non posse videri lumine supernaturali gloriæ. p. 128. n. 1. & seq. item erraverunt circa lumen gloriæ. p. 133. n. 1.

Papias constituit pro Regno Christi, post Resurrectionem mille annos in terris. p. 154. n. 2 & seq.

SS. Patres: eorum sententiæ reducuntur ad 3. Ordines. p. 20. n. 3. quid attendendum in lectione SS. Patrum si videntur ad hæresin deflectere? p. 138. n. 1.

Patria: quale auxilium patriæ competebat Angelis bonis? p. 220. n. 2.

Peccator: gradus seu scala peccatoris adducitur. p. 328 n. 5.

Peccatum Deus cognoscit intima creaturæ peccata. p. 189. n. 17. Deus non prævidet in decreto prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq. quæ sit malitia peccati materialis? & quæ peccati formalis? p. 205. n. 1. quomodo Deus videat peccata in ideis? p. 211. n. 20. præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, & non ad scientiam mediam. p. 225. n. 4. permissio peccati an sit effectus prædestinationis? p. 300. n. 10. reprobatio positiva an præcedat præscientiam peccatorum? p. 317. n. 1. & seq. peccatum originale an sit causa reprobationis negativæ? p. 321. n. 1. nullum peccatum est effectus reprobationis. p. 327. n. 1. gradus peccatorum exponuntur. p. 328. n. 5.

Pecco: Deus nec per omnipotentiam suam peccare potest. p. 112. n. 4.

Pelagius ejus error de scientia Dei. p. 188. n. 12. & 16. item circa prædestinationem. p. 268. n. 1. & p. 269. n. 1. & seq. ac p. 280. n. 1. item p. 303. n. 1. & seq.

Perditio: adducitur scala perditionis. p. 328. n. 5.

Perfectio: quid sit perfectio simplex, & quid simpliciter simplex? p. 121. n. 1. perfectiones rerum omnium sunt in Deo eminenter. p. 121. n. 2. perfectio libertatis minimè deest voluntati divinæ. p. 257. n. 1. & seq.

Permissio: an peccati permissio sit effectus prædestinationis? p. 300. n. 10.

Perseverantia: an bonorum Angelorum perseverantia fuerit prævisa in decreto prædeterminante? p. 212. n. 1. & seq.

Persona: an una Persona Divina sine altera possit per absolutam Dei potentiam videri? p. 179. n. 5.

Petavius: hujus argumenta contra gratuitam prædestinationem solvuntur. p. 293. n. 1. & seq.

Petrus Abaelardo: ejus error circa potentiam Dei. p. 110. à n. 1. & seq. refutatur. p. 113. à n. 8.

Philosophia vid. *Dialectica.*

Phrebonites: error illius de æternitate. p. 106. n. 2.

Plenitudo: in Deo est omnis plenitudo scientiæ. p. 184. n. 1. & seq.

Polytheismus, seu Idololatria: hujus causa, & origo. p. 56. n. 1. Auctor hujus non fuit Enos. p. 57. n. 1, 2. & 3. nec Moyses eum præscripsit populo Judaico. p. 57. à n. 4. usque ad n. 13. sed originem duxit à Posteris Cham. p. 59. à n. 10. usque ad n. 13. varia notanda de eo. p. 60. n. 13.

Porretanus Gilbertus, vid. *Gilbertus.*

Potentia: vid. *Præsens.* Deus habet potentiam infinitam. p. 110. à n. 1. & seq. variorum errores circa eam. p. 110. à n. 1. & seq. an Deus possit facere præterita non esse præterita? p. 112. n. 5. Deus potest plura facere, quàm actu facit. p. 113. n 8. & seq. imò & meliora. p. 115. à n. 15. & seq.

Potus: Felicitas Beatorum non consistet in epulis, potu &c. p. 154. n 1. & seq.

Præceptum: de libertate Christi præsuppositio præcepto Patris Cœlestis. p. 239. n. 4.

Præcognitus: Prædestinati dicuntur etiam Præcogniti. p. 266. n. 5.

Præcognosco: Deus non præcognoscit futura libera naturalia Ordinis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq.

Prædestinatianus: adducitur error Prædestinatianorum circa prædestinationem. p. 303. n. 1. & seq. Adrumetini Monachi defenduntur ab errore Prædestinatianorum. p. 304. n. 6. & seq. Prædestinatiani non erant Massilienses. p. 307. n. 12. secta Prædestinatiana sub Cœlestino I. non fuit in Galliis. ibid. nec eam docuit Gotheschalcus. p. 308. n. 16.

Prædestinatio: datur aliqua Electorum prædestinatio ad gloriam. p. 265. n. 1. eáque est multiplex. ibid. n. 4. ac varia sortitur nomina. p. 266. n. 5. & 6. quid sit prædestinatio? p. 266. n. 7. prædestinatio pertinet ad men-

mentem Dei, & voluntatem. p. 266. n. 8. Ambrosii Catharini error circa prædestinationem. p. 267. n. 1. & seq. in vocabulo prædestinationis propositio: *Præ:* non dignitatis, sed temporis denotat præeminentiam. p. p. 268. n. 2. quomodo distinguatur à vocatione? quomodo à justificatione? & quomodo à Glorificatione? p. 268. n. 3. refutantur errores Pelagianorum, Origenis, & Semipelagianorum. p. 269. n. 1. & seq. non datur prædestinatio animarum ante unionem cum corporibus ob merita in statu præexistentiæ facta. p. 270. n. 2. prædestinatio Electorum non fit ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrii. p. 270. n. 3. neque ob præscientiam bonæ voluntatis, aut fidei. ibid. n. 4. libera acceptatio, & bonus usus arbitrii non est causa prædestinationis. ibid. n. 5. nec opera virtutum moralium prævisa. ibid. n. 6. prædestinatio ad Gloriam est prior prædestinatione ad gratiam. p. 273. n. 1. & seq. prædestinatio ad Gloriam non est ex præscientia meritorum. p. 274. n. 1. & seq. usque p. 296. n. 1. Ordo intentionis, & executionis in prædestinatione consuetus explicatur. p. 275. n. 3. S. Augustinus tuetur gratuitam prædestinationem ad Gloriam p. 280. n. 1. & seq. prædestinationis nostræ causa sunt Merita Christi. p. 296 n. 1. & seq. Petavii argumenta circa prædestinationem solvuntur. p. 293. n. 1. & seq. prædestinatio Electorum qua ratione sit immutabilis? p. 301. n. 1. & seq. quinam sint effectus prædestinationis? p. 298. n. 1. & seq. error Calvini, & Jansenii, ac aliorum circa prædestinationem. p. 303. n. 2. an possit prædicari populo materia de prædestinatione? p. 311. n. 1. & seq. Utinensis Leonardus, & Germanus defenduntur ab errore imputato circa prædestinationem. p. 314. n. 7.

Prædestinatus: Oratio Sanctorum est utilis Prædestinatis. p. 297. n. 1. & seq. Prædestinati substantia an sit effectus prædestinationis? p. 299. n. 6. quis numerus, & quæ signa prædestinatorum? p. 315. n. 1. & seq. quis dicatur prædestinatus ad gloriam? p. 266. n. 5. Prædestinati variis honorantur in Scriptura Nominibus. p. 266. n. 5. soli Prædestinati salutem consequuntur æternam. p. 268. n. 4.

Prædeterminans. Deus non cognoscit futura libera ordinis naturalis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. Deus non prævidet mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq. error Calvini, & Chrysippi circa prædeterminationem. p. 207. n. 7. Deus non videt in decreto prædeterminante statum naturæ innocentis. p. 212. n. 1. & seq. an perseverantia bonorum Angelorum sit prævisa à Deo in decreto prædeterminante? ibid. an creatura innocens ad perseverantiam indigebat gratia prædeterminante? p. 213. n. 4. regulæ quædam reconciliandi decretum prædeterminans cum libertate humana. p. 236. n. 1. & seq.

Prædeterminatio physica non est necessaria ad salvandam causarum secundarum dependentiam à prima. p. 198. n. 1. & seq. nec est necessaria, ut causa secunda indifferens exeat in actum secundum. p. 198. n. 1. & seq.

Prædeterminatus: quis dicatur ad Gloriam prædeterminatus? p. 266. n. 5.

Præexistentia animarum, quam finxit Origenes, est erronea. p. 270. n. 2.

Præfinitio: non cognoscit Deus futura libera Ordinis naturalis in præfinitionibus, & decretis prædeterminantibus. p. 198. n. 1. & seq. regulæ quædam divinas præfinitiones reconciliandi cum libertate humana. p. 236. n. 1. & seq.

Præfinitus: quis dicatur ad Gloriam præfinitus. p. 266. n. 5.

Præmotio Generalis, item & concursus simultaneus, quo Deus conservat causas à se productas, non vocantur in dubium. p. 198. n. 2. quòd autem præmotio physica non requiratur, probatur. p. 200. n. 8.

Præscientia: an præscientia Dei lædat libertatem animorum? p. 190. n. 1. & seq. ex ea non sequitur inevitabilis contingentium eventus. p. 190. n. 2. ubi etiam rejicitur error Gnosticorum, & Husitarum. ibid. præscientia peccatorum spectat ad scientiam visionis, & non ad scientiam mediam. p. 225. n. 4. prædestinatio non fit ob præscientiam fidei, aut bonæ voluntatis. p. 270. n. 4. prædestinatio ad gloriam non est ex præscientia meritorum. p. 274. n. 1. & seq. usque p. 296. n. 1. & hæc fuit etiam mens S. Augustini. p. 280. n. 1. & seq. an reprobatio præcedat præscientiam peccatorum? p. 317. n. 1. & seq.

Præsens: an Deus sit ubique præsens per substantiam, & potentiam? p. 101. n. 5. an Deus sit præsens in spatiis imaginariis? p. 103. n. 11. quomodo Creaturæ omnes in immutabili æternitate sint præsentes? p. 193. n. 1. & seq.

Præterita: an Deus possit præterita facere, quòd non sint præterita? p. 112. n. 5.

Prævideo: an Deus prævideat in decreto prædeterminante statum naturæ innocentis? p. 212. n. 1. & seq. an perseverantia bonorum Angelorum sit prævisa in decreto prædeterminante? ibid. Deus non prævidet mala culpæ in decreto efficaciter prædeterminante materiale peccati. p. 205. n. 1. & seq.

Prævisio: vide *Præscientia.*

Principium: de duobus summis Principiis bono uno, altero malo. p. 70. n. 1. probatur, non dari similia principia. p. 72. n. 6. usque ad n. 11.

Pro-

Res: quomodo essentiæ rerum sint immutabiles? p. 313. n. 6.
Processus: In productione rerum non datur processus in infinitum. p. 41. n. 8.
Proëmium Theologiæ, quænam in eo tractentur? p. 15. à n. 1. & seq.
Propositio: quid sit propositio hæretica? p. 20. n. 5. quid erronea? ibid. n. 6. quid temeraria? p. 21. n. 7. quid seductiva? ibid. n. 8. quid scandalosa? ibid. n. 7. quid piarum aurium offensiva? ibid. n. 7. quid impia? ibid. n. 8. quid Blasphema? ibid n. 8. quid injuriosa? p. 21. n. 9. quid schismatica? p. 21. n. 9. quid Judaica, athea &c? ibid. n. 9. quis possit propositiones aliquâ censurâ afficere? p. 21. n. 10. quæ sit propositio per se nota? p. 51. n. 1. an sit propositio per se nota: *Deus existit?* p. 51. à n. 1.
Providentia: Deus providentiâ suâ gubernat etiam creaturas abjectissimas, & minimas. p. 253. n. 8.
Ptenethites: vide *Phrebonites.*
Pulcher: Deus est pulcherrimus. p. 122. n. 7.

Q.

Qualitas: an gratia efficax sit qualitas mortua? p. 241. n. 6.
Quenellus falsò docuit, Deum non velle omnes salvari homines. p. 245. n. 7.
Quiescentes: error eorum circa æternitatem Dei. p. 106. n. 3.

R.

Rabsaces: ejus error circa potentiam Dei. p. 110. à n. 1.
Ratio: an Deus cognoscat entia rationis? p. 190. n. 20.
Rationalis anima in quo sensu sit mortalis? p. 108. n. 8.
Regnum: vide *Resurrectio.*
Regula utilis legendi S. Scripturam. p. 119. n. 8. regulæ quædam divinas prædefinitiones reconciliandi cum libertate humana. p. 236. n. 1. & seq. regulæ quædam observandæ Concionatoribus volentibus concionem habere de prædestinatione. p. 311. n. 1. & seq.
Reprobatio: quid sit reprobatio positiva? quid negativa? p. 317. n. 1. qualiter Calvinus positivam reprobationem explicet? ibid. n. 2. ejus tamen sententia reprobatur ùt horrenda, ac detestabilis. p. 318. n. 3. & seq. an reprobationis negativæ causa sit peccatum origenale? p. 321. de reprobatione malorum Angelorum. p. 321. n. 1. & seq. sententia S. Augustini in hanc materiam adducitur, & laudatur. p. 321. n. 2. & seq. nullum peccatum est effectus reprobationis. p. 327. n. 1. quinam effectus reprobationis? p. 327. n. 2. quinam gradus reprobationis? p. 328. n. 5.
Resurrectio: an post resurrectionem corpus fiat spirituale, & oculi alterius naturæ, quàm nunc sunt? p. 144. n. 9. & seq. error Cerinthi constituentis regnum Christi post resurrectionem in terris. p. 154. à n. 1. & seq. Papias constituit pro regno Christi mille annos in terris post resurrectionem. p. 154. n. 2. & seq. ante resurrectionem Sancti non lætabuntur in epulis, potu, divitiis, vel carnis voluptatibus. ibid. resurrectio est duplex. p. 158. n. 13. quid desuper sentiant SS. Augustinus, Ambrosius, & Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. quid sentiat Joannes XXII. p. 171. n. 1. & seq.
Revelatio: ob revelationes debet Theologus Philosophiam captivare in obsequium fidei. p. 7. n. 13. & 14.
Rombardus: vide *Theologus.*

S.

Salus: an Dei beneplacitum versetur in salutem singulorum hominum? p. 243. n. 1. & seq. soli Prædestinati salutem consequuntur æternam. p. 268. n. 4.
Sanctus: an Sanctis clara Dei visio sit differenda usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. ac p. 159. n. 1. Sanctorum felicitas non consistet in epulis, potu, divitiis, aut carnis voluptatibus. p. 154. n. 1. & seq. quid de præsenti Sanctorum statu senserint SS. Augustinus, Ambrosius, Bernardus? p. 167. n. 1. & seq. quid senserit Joannes XXII. p. 171. n. 1. & seq. de inæquali gloria Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. quæ causa hujus inæqualitatis? p. 177. n. 8. Sancti vident in Deo Unitatem, Trinitatem, & omnia atributa. p. 178. n. 1. & seq. quæ cognitio Sanctis concedatur eorum, quæ fiunt in Cœlo, & in terra? p. 179. n. 2. & 3. oratio Sanctorum utilis est Prædestinatis. p. 297. n. 1. & seq. an Sancti Deum in Cœlo videant oculis corporeis? p. 144. n. 9. & seq.
Sapientia: omnia attributa conveniunt Dei Sapientiæ. p. 185. n. 6. Sapientia Dei quando dicatur scientia? p. 185. n. 7.
Scandalosus: quid sit propositio scandalosa? p. 21. n. 7.
Schismaticus: quid sit propositio schismatica? p. 21. n. 9.
Scholasticus: vide *Theologus.* sunt Scholasticorum placita in duplici differentia. p. 20. n. 3.
Scientia: an Theologia sit scientia, an speculativa? &c. vide *Theologia.* quæ scientia detur in Deo? p. 183. n. 1. in Deo est omnis plenitudo scientiæ. p. 184. n. 1. & seq. Divina Scientia est ipsa Dei substantia connotans intelligibilia objecta. p. 184. n. 5. scientia Dei quando dicatur sapientia? quando scientia? quando speculativa? quando

do practica? quando libera? quando neceſſaria? quando ſimplex intelligentia? quando ſcientia viſionis? p. 185. n. 7. an ſcientiam Dei poſſit aliquid ſubterfugere? p. 185. n. 1. & ſeq. Deus ſe ipſum cognoſcit, & comprehendit, p. 186. n. 1. 2. 3. & 4. Deus cognoſcit omnes creaturas præteritas, præſentes, futuras & poſſibiles. p. 186. n. 5. usque ad n. 9. Dei ſcientiam non latent futura contingentia, & conditionata. p. 187. n. 9. usque ad n. 16. error de hac ſcientia, in quem cecidêre Crellius, Wolzogenius, ac Sociniani. p. 187. n. 10. item & Pelagiani. p. 188. n. 12. & 16. nec non & Semipelagiani. ibid. Deus cognoſcit intimas creaturæ cogitationes, & peccata. p. 189. n. 17. item ſcit etiam impoſſibilia, ac entia rationis. p. 190. n. 20. præſcientia Dei an lædat libertatem animorum? p. 190. n. 1. & ſeq. ex præſcientia Dei non ſequitur inevitabilis contingentium eventus, ubi etiam reprobatur error Gnoſticorum, & Huſitarum. p. 190. n. 2. & ſeq. ſcientia Media non eſt proſcripta ab Eccleſia. p. 199. n. 5. an Deus per ſcientiam mediam cognoſcat futura contingentia? p. 224. n. 1. & ſeq. ac p. 232. n. 1. & ſeq. ſcientiæ mediæ explicatio. p. 224. n. 1. præſcientia peccatorum ſpectat ad ſcientiam viſionis, & non ad ſcientiam mediam. p. 225. n. 4. quando ſcientia Dei vocetur ſcientia ſimplicis intelligentiæ? & quando ſcientia viſionis? p. 224. n. 1. ac p 185. n. 7. ſcientia media, ſi non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, aut viſionis, omninò non datur. p. 226. n. 5. quid ſit ſcientia media? p. 228. n. 1. An Molina ſit auctor ſcientiæ mediæ? p. 228. n. 2. an eam docuerint Semipelagiani refutati poſteà à S. Auguſtino? p. 228. n. 3. an ſcientiam mediam docuerint Ariani? p. 228. n. 4. eam alio modo tradidêre Semipelagiani, quàm nunc faciunt mediſtæ. p. 229. n. 5. & 6. Deus videt ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & ſpectant ad ſtatum naturæ lapſæ per decretum efficax, & non per ſcientiam mediam. p. 229. n 8.

Scotus: An detur diſtinctio Scoti inter eſſentiam Divinam, & attributa. p. 91. à n. 8.

Scriptura: Varia loca S. Scripturæ à mendacio excuſantur. p. 118. n. 4. aliquæ traduntur regulæ, ex queis conciliantur textus, in quibus videtur ſubeſſe mendacium. p. 119. n. 8.

Seductivus: quid ſit propoſitio ſimplicium ſeductiva? p. 21. n. 8.

Semipelagianus: error Semipelagianorum de ſcientia Dei. p. 189. n. 16. item de gratia & libero arbitrio. p. 213. n. 4. an docuerint ſcientiam mediam? p. 228. n. 3. & an eam docuerint eodem modo, quo de facto Mediſtæ? p. 229 n. 5. & 6. eorum error circa prædeſtinationem refutatur. p. 269. n. 1. & ſeq. ac p. 281. n. 5. item p. 303. n. 1. & ſeq.

Sententia: SS. Patrum ſententiæ ad 3. ordines reducuntur. p. 20. n. 3.

Sidus: an omnia proveniant ex ſiderum conſtitutione? p. 207. n. 7. & p. 253. n. 8. ac p. 256. n. 15. & ſeq.

Signum: voluntas Dei dividitur in voluntatem ſigni, & beneplaciti. p. 244. n. 3. quænam ſint ſigna prædeſtinatorum? p. 315. n. 1. & ſeq.

Simplicitas: de Simplicitate Dei. p. 82. à n. 1. & ſeq. circa eandem erraverunt Monachi Ægyptii: ibid. item & Melito, ac Tertullianus. p. 83. à n. 1. & ſeq. ab hoc errore excuſatur S. Epiphanius p. 85. à n. 9. ac Audius. ibid.

Socinianus: error Socinianorum circa infinitatem Dei. p. 100. n. 1. & immenſitatem. ibid. item circa ſcientiam Dei. p. 187. n 10.

Spatium: an dentur Spatia imaginaria, ac an in eis ſit Deus? p. 103. n. 11.

Spinoſa: hujus error circa exiſtentiam Dei. vide *Deus*.

Status: quid de præſenti Sanctorum ſtatu ſenſerint SS. Auguſtinus, Ambroſius, & Bernardus? p. 167. n. 1. & ſeq. quid Joannes XXII. p. 171. n. 1. & ſeq. Deus non videt in decreto prædeterminante ſtatum naturæ innocentis. p. 212. n. 1. & ſeq. Deus videt ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & ſpectant ad ſtatum naturæ lapſæ per decretum efficax, & non per ſcientiam mediam. p. 229. n 8. gratia efficax eſt neceſſaria in ſtatu naturæ lapſæ. p. 229. n. 8. & ſeq.

Stella: an omnia proveniant ex conſtitutione Stellarum? vide *Sidus*.

Steuchus Auguſtinus non adhæſit deliriis Palamitarum. p. 107. n. 4.

Stoicus: error Stoicorum circa ſupremum Numinis regimen. p. 253. n. 8.

Subſtantia: an Deus ſit ubique præſens per ſubſtantiam, & potentiam? p. 101. n. 5. ſubſtantia Prædeſtinati an ſit effectus prædeſtinationis? p. 299. n. 6.

Sufficiens: quid ſit gratia ſufficiens? p. 230. n. 9. ac p. 225. n. 4.

T.

Temerarius: quid ſit propoſitio temeraria? p. 21. n. 7.

Terra: an Sancti videant ea, quæ in terra fiunt? p. 179. n. 2.

Tertullianus: ipſius error de Simplicitate Dei. p. 84. à n. 5. uſque ad n. 9. concordatur idem cum Juſtino circa opinionem de felicitate Beatorum poſt mortem. p. 162. n. 5.

Theodoretus non præluxit errori Palamitarum circa viſionem Dei. p. 139. n. 1. & ſeq.

Theologia: quænam facultas veniat ſub nomine generali theologiæ? p. 1. n. 1. Pagani ha-

habuerunt triplicem Theologiam. p. 2. n. 2. ea tamen reprobatur. p. 2. n. 3. & 4. Theologia pariter Idololatrarum refutatur. p. 2. n. 3. & 4. Theologia vera quid sit? p. 3. n. 5. divisio theologiæ in acquisitam, & infusam. p. 3. n. 5. divisio in positivam, scholasticam, & Mysticam. p. 3. n. 6. divisio in Polemicam, Dogmaticam, & adiaphoram. p. 3. n. 7. divisio in theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum. p. 3. n. 7. omnes hæretici debacchantur in Theologiam scholasticam. p. 4. n. 1. & 2. & cur id faciant? p. 4. n. 3. Theologia scholastica est utilis necessaria, & ad confutandos hæreticos aptissima. p. 8. n. 16. 17. & 18. eadem non adversatur fidei, nec tollit hujus meritum. p. 11. n. 10. & 11. Theologia à scholasticis non privatur suo nitore. p. 12. n. 14. & 15. Theologia scholastica non est recens. p. 13. n. 19. & 20. Theologia est scientia; at non ejusdem rationis cum aliis scientiis. p. 15. n. 1. 2. & 3. habitus Theologiæ reducitur simul ad praxin, & speculationem. p. 16. n. 4. 5. & 6. Theologia ad naturales scientias pertinet. p. 16. n. 7. & 17. n. 8. 9. 10. & 11. Theologia speculativa, moralis, seu polemica unus est habitus. p. 17. n. 12. & 13. ac p. 18. n. 14. Quale sit objectum Theologiæ? p. 18. n. 15. 16. & 17. quænam sint illius partes? p. 24. n. 7. Theologia Augustiniana an doceat, Deum esse visibilem oculis corporeis? p. 142. n. 1. & seq. quid eadem sentiat de oculis Beatorum? p. 144. n. 9. & seq.

Theologus: quis sit Theologus propriè talis? p. 2. n. 1. Theologo est summè utilis usus Dialecticæ, immò & necessarius. p. 5. n. 4. 5. & 6. Theologi ea utentes non sunt fallaces. p. 6. n. 7. id docet exemplum Christi, S. Pauli, & SS. Patrum. p. 6. n. 7. & 8. Theologo plurimùm confert Philosophia naturalis. p. 6 n. 9. id probatur testimonio Scripturarum, Patrum, ac rationum. p. 6 n. 9. 10. & 11. ac p. 7. n. 12. Theologus debet Philosophiam captivare in obsequium fidei ob revelationes divinas. p. 7. n. 13. & 14. scholastica methodus Petri Rombardi non est absolutè Theologo necessaria, benè tamen perutilis. p. 7. n. 15. in rebus de fide credendis conveniunt Theologi. p. 12. n. 12. & 13. Theologi utuntur valdè utiliter tribus argumentorum speciebus, demonstratione, probabilitate, & sophismate. p. 13. n. 16. 17. & 18. cur Theologus examinet quæstiones metaphysicas? p. 13. n. 21. & 22. Theologus non examinat futilia. p. 14. n. 23. & 24. quas debeat propugnare, & oppugnare propositiones? p. 19. n. 1. & p. 20. n. 4. qualis in Theologo sit dispositio mentis? p. 22. n. 1. lingua græca, & hebraica Theologo est utilissima. p. 22. n. 2. utilis est ei pariter & Mathesis. p. 23. n. 3. an etiam Theologo sit utilis Arithmetica, Geometria, & Cosmographia? p. 23. n. 3. Theologus debet habere Primò Cordis munditiam. p. 23. n. 4. Secundò inanis Gloriæ contemptum. p. 24. n. 5. Tertiò discendi ardorem. p. 24. n. 6.

S. Thomas certò non docuit prædeterminationem concurrere ad materiale peccati. p. 207. n. 8. Idem docuit, quòd creatura in statu naturæ integræ, ùt erat Adamus, non indigeret aliqua gratia actuali, aut prædeterminante, sed sufficiens fuisset gratia habitualis. p. 216. n. 16.

Trickius falsò docuit, Deum non velle omnes homines salvos fieri. p. 245. n. 7.

Trinitas: Sancti vident in Deo Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. p. 178. n. 1.

U.

Valentinus: ejus error circa æternitatem Dei. p. 106. n. 2. & seq.

Ubique: an Deus sit ubique præsens per substantiam, & potentiam? p. 101. n. 5.

Verax est Deus. p. 117. à n. 1. & seq.

Versatilis: quæ sit gratia versatilis? p. 212. n. 1. & seq.

Via: quale auxilium viæ habuerint Angeli boni? p. 220. n. 2.

Viator: an aliqui Viatores Deum viderint? p. 148. à n. 1. & seq. Enoch, & Elias an sint adhuc Viatores? p. 152. n. 1. & seq.

Victrix gratia Thomistarum explicatur. p. 201. n. 16. an Angelorum bonorum gratia fuerit victrix? p. 212. n. 1. Gratia victrix est necessaria ad opus bonum in statu naturæ lapsæ. p. 229 n. 8. & seq.

Video: Deus nequit videri solo lumine naturali intuitivè ab intellectu creato p. 124. n. 1. benè verò lumine supernaturali. p. 128. n. 1. & seq an oculus corporeus virtute supernaturali possit videre Deum? p. 130. n. 6. Intellectus creatus Deum videns non potest eum comprehendere. p. 130. n. 7. an Theologia Augustiniana doceat, Deum videri posse oculis corporeis, p. 142. n. 1. & seq. quid eadem sentiat de oculis Beatorum? p. 144. n. 9 & seq. an aliqui in hac vita Deum viderint? p. 148. n. 1. & seq. quid videant Sancti in Deo? p. 178. n. 1. & seq. an per absolutam Dei potentiam possit videri Essentia Divina sine attributis? aut una Persona Divina sine altera? p. 179. n. 5. quomodo Deus videat creaturas in ideis suis? p. 196. n. 1. & 2 quomodo Deus videat in ideis peccata? p. 211. n. 20. Deus non videt statum naturæ innocentis in decreto prædeterminante. p. 212. n. 1. & seq. an Deus viderit in decreto prædeterminante perseverantiam Angelorum bonorum? ibid. an Deus videat futura contingentia per scientiam mediam.

diam. p. 224. n. 1. & seq. ac p. 232. n. 1. & seq. Deus videt ea, quæ sunt Ordinis supernaturalis, & spectant ad statum naturæ lapsæ per decretum efficax, & non per scientiam mediam. p. 229. n. 8.

Virtus: opera virtutum moralium prævisa non sunt causa prædestinationis. p. 271. n. 6.

Visio intuitiva Dei quid sit? quas conditiones requirat? p. 126. n. 8. vid. *video*. circa visionem Dei errori Palamitarum non præluxêre SS. Chrysostomus, Hieronymus, & Theodoretus. p. 138. n. 1. & seq. S. Chrysostomus non visionem Dei in se, sed comprehensionem Dei negat esse possibilem. p. 138. n. 1. & seq. Visione Dei probabiliùs non fruuntur Enoch, & Elias. p. 152. n. 1. & seq. an clara Dei visio Sanctis differatur usque post diem Judicii? p. 154. n. 1. & seq. ac p. 159. n. 1. & seq. quid sentiant SS. Augustinus, Ambrosius, & Bernardus de quæstione hac? p. 167. n. 1. & seq. quid de eadem sentiat Joannes XXII? p. 171. n. 1. & seq. de inæquali visione Beatifica Sanctorum. p. 175. n. 1. & seq. quæ sit causa hujus inæqualitatis? p. 177. n. 8. quodnam sit objectum VisionisBeatificæ? 178. n. 1. & seq. scientia Dei quando vocetur scientia visionis? p. 185. n. 7. præscientia peccatorum spectat ad scientiam Visionis, & non ad scientiam mediam p. 225. n. 4.

Unitas: Sancti in Deo vident Mysterium Unitatis Dei. p. 178. n. 1.

Vocatio qualiter distinquatur à prædestinatione? p. 268. n. 3. vocatio est effectus prædestinationis. p. 298. n. 1.

Voluntas: Datur in Deo voluntas. p. 243. n. 1. & seq. quodnam sit illius objectum? ibid. n. 2. dividitur in voluntatem signi, & beneplaciti. p. 244. n 3. & 4. & hæc ulteriùs dividitur in antecedentem, & consequentem. ibid. n. 4. 5. 6. & 7. error Jansenii, & aliorum enumeratur circa voluntatem Dei. ibid. & p. 246. n. 9. & 10. Divinæ voluntati perfectio libertatis minimè deest. p. 257. n 1. & seq. prædestinatio pertinet ad mentem, & voluntatem Dei. p. 266. n. 8. prædestinatio non fit ob præscientiam fidei, aut bonæ voluntatis. p. 270. n. 4.

Voluptas: felicitas Beatorum non consistet in voluptatibus carnis. p. 154. n. 1. & seq.

Utinensis Leonardus defenditur ab errore circa prædestinationem. p. 314. n. 7.

W.

Wiclefus: ejus error circa omnipotentiam Dei. p. 113. n. 8. & seq.

Wolzogenius: ejus error circa infinitatem, & immensitatem Dei. p. 100. à n. 1. & seq. item circa scientiam Dei. p. 187. n. 10.

Worstius Conradus Calvinianus: ejus error circa infinitatem, & immensitatem Dei. p. 100. à n. 1. & seq.

Z.

Zwinglius: ejus horrendum dogma de reprobatione Damnatorum. p. 317. n. 2.

FINIS
Tomi Primi.

P.
BERITI a

Th
889a

X.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN